
Ex Libris
BIBLJOTEKI
PUBLICZNEJ
IMIENIA
STEFANA HEMPLA
SEJMIKU
RADOMSKIEGO
W RADOMIU.

273 f. II

P. OVIDII NASONIS

METAMORPHOSES

53

RECENSVIT

VARIETATE LECTIONIS NOTISQVE
INSTRVXIT ET INDICES DVOS VNVM

VERBORVM ALTERVM NOMINVM PROPRIORVM

ADIECIT

GOTTLIEB ERDMANN GIERIG.

EDITIO ALTERA AD SINGVLOS PROPE VERSVS VEL
EMENDATIOR VEL AVCTIOR.

TOMVS POSTERIOR.

Z KSIĘGOZBIORU
STEFANA HEMPLA

LIPSIAE
SVMTV E. B SCHWICKERTI
MDCCCVII.

BIBLJOTEKA PUBLICZNA
imienia
STEFANA HEMPLA
w RADOMIU.
Sejmiku Radomskiego

WOJEWÓDZKA
BIBLIOTEKA PUBLICZNA
-I- 26-600 RADOM
księgozbiór
przedwojenny
16035

P. OVIDII NASONIS METAMORPHOSEON

LIBER NONVS.

Quae gemitus, truncaeque Deo Neptunius heros *Achelous.*
Cauſſa rogat frontis: cum ſic Calydonius amnis
Coepit, inornatos redimitus arundine crines:

VARIAE LECTIONES.

3 *inornatos.* Tert. Med. inepte *inauratos.*

NOTAE.

Fab. I. vſ. 1 — 100. *Achelous*, luctans cum Hercule propter Deianirae coniugium, ter ab aduerſario vincitur in varias formas mutatus, et ad extremum altero cornu privatur. Ducta eſt fab. e Sophocl. Trach. init. Cf. Diod. Sic. IV, 34 ſq. Strabo lib. X. pag. 458. Apollod. II, 7, 5. Schol. Hom. ad Il. Φ, 194. Hygin. f. 31. Monumentum cedrinum et inauratum, referens Herculis cum Acheloo pugnam, ſpectabatur apud Megarenſes, in quo Mars Acheloo, Herculi Minerua aderat, adſtantibus etiam Ione et Deianira. Pauſan. Eliac. II. p. 500. Cernebatur etiam in ſolio Amyclaei. Idem p. 256. Mole exſtructa Herculem coercuiſſe hunc fluuium, rapiditate ſua multum damni inferentem accolis, iam olim ſuſpicabantur. v. Strabo d. l. Ea latius perſequitur Heyne in Antiqu. Auſſätzen T. I, p. 57. vbi monet, hac fab. vel maxime illuſtrari imagines et ſermonem poetarum antiquiſſimorum, eandemque facillime poſſe explicari. — Qui non recens a lib. ſuper lectione nexum quaerit, reſpiciat ad VIII, 548 ſqq. et 886 — fin.

1 — 3. *Neptunius heros*, Theſeus, cuius cum matre Aethra *Neptunus* et Aegeus vna nocte concubuiſſe credebantur. Meurſ. in Theſ. cp. 1. *Gementem*, aut *moerentem*, *triſtem*, *pudibundum* inducere Acheloum ſolent poëtae, quod exemplis docet Broeckh. ad Propert. II, 25, 34. *Truncа frons*, cuius alterum cornu truncatum et revulſum, vſ. 86. Boëth. Conſ. Phil. IV. *Fronte turpatus Achelous.* Sil. Ital. III, 42.

Triſte petis munus: quis enim ſua proelia victus
Commemorare velit? referam tamen ordine. Nec tam
Turpe fuit vinci, quam contendiſſe decorum eſt:
Magnaque dat nobis tantus ſolatia victor.
Nomine ſi qua ſuo tandem peruenit ad aures
Deïanira tuas: quondam pulcherrima virgo,
Multorumque fuit ſpes inuidioſa procorum.

6 *eſt* poſt *decorum* omittunt Palat. et tres alii.

frontem minor truncam amnis Acarnan. Sed h. l. *Calydonius*, quia Achelous inter Aetolos, quorum vrbs *Calydon*, et Acarnanes in mare defluit. Sollemne autem veteribus, fluviis vel propter mugitum aquarum (Scamander μεμυκὼς ἠΰτε ταῦρος ap. Homer. Il. Φ, 237.) vel propter curuaturas eorum, quae cornuum figuram referunt, taurina aut capita, aut cornua tribuere. Strabo d. l. Acheloi noſtri caput cornutum exſtat in monumentis. Vid. Spanhem. de vſu et praeſtant. Numiſm. diſſ. VII. p. 490. Cf. Iani ad Horat. IV od. 14, 25. *Arundo* inſigne Fluuiorum, quo coronari ſolebant. Virg. Aen. VIII, 33. Vellei. II, 83. *inornatos.* Horridi enim et inculti pingebantur Fluuii. Vid. v. c. Rheni deſcriptionem ap. Claudian. Conſ. Olyb. 210 ſqq.

4 — 7. Talia praefari ſolent, rem ingratam narrare iuſſi. *proelia* dignius quam, colluctatio, certamen. *referre ordine* formula ſollemnis, totam rei ſeriem narrare, non ſummatim. V, 335. *Nec tam turpe* etc. Vere e ſenſu Graecorum. v. XIII, 19. Mors etiam a viro forti et a beſtia maiore illata minus acerba habebatur. V, 191. Aelian. V. H. XIV, 4. quem ſenſum leoni etiam tribuit Phaedr. I, fab. 21. *decorum*, glorioſum. Cic. Brut. I. de Hortenſio, *cum quo certare erat gloriosius, quam omnino aduerſarium non habere.* Victus tamen Achelous erat, cum Hercules nondum Deus eſſet, adeoque turpe duxerat ei cedere. vſ. 16.

8 — 10. Regius *tandem* interpretatur, aliquando. Burm. hoc non concoquit, ſed corruptum voc. putat, quod et Heinſ. viſum ſit, qui margini adſcripſerit: ſorte, *forſan.* Ipſe malit, *fando*, vt XV, 477. Virg. Aen. II, 81. Mihi tamen hoc parum placet propter ingratum ſonum, *ſuo fando.* Vſitatius eſt, *ſi forte*, vt VII, 694. et ſaepe. *Deïanira nomine ſuo* pro vulgari, nomen Deianirae. Cum addit, *qua*, indicat, non ſatis celebrem fuiſſe mulierem: quod tamen melius forte omiſiſſet. *Multorumque*

Cum quibus vt ſoceri domus eſt intrata petiti;
Accipe me generum, dixi, Parthaone nate.
Dixit et Alcides. Alii ceſſere duobus.
Ille Iouem ſocerum dare ſe, famamque laborum,
Et ſuperata ſuae referebat iuſſa nouercae
Contra ego: (turpe Deum mortali cedere duxi:

16 Cum antea *dixi* vulgaretur, Heinſ. ex vno Strozzae *duxi* recepit. Quamquam ne ſic quidem verba ſatis bene iuncta procurrunt. Itaque idem ſuaſit aut *ducens*, aut ſic: *Contra ego, turpe ratus mortali cedere, dixi.*

etc. Idem verſ. legitur IV, 794.

11. *petere*, vt αἰτεῖν, pr. de procis puellam ambientibus. v. Cerda ad Virg. Aen. VII, 54.

12. 13. Miſſis more antiquiſſimo ambagibus, rem ipſam proponit. *Accipere*, vt λαμβάνειν, pr. de adoptione, v. Corte ad Salluſt. Iug. 10, 1. hinc etiam bene, *accipere generum*, vt alibi, *accipere amicum, in amicitiam, in matrimonium.* Supra II, 526. *ſumere ſocerum*, et Heroidd. VI, 80. *ſumere nurum. Parthaone natus*, Oeneus, de quo lib. ſup. Huius filiam Deianiram faciunt et alii, paucis diſſentientibus, qui ei Dexamenum patrem dant, vel Bacchum. Eam, auctore Diod. Hercules duxit, Meleagro exſtincto. Meleagri vmbra impulſus, cum eſſet apud inferos, duxiſſe eam traditur a Schol. Hom. d. l. Secundum Homer. Il. Ξ, 115. Porthei filius fuit Oeneus. *Alcides*, Alcei nepos, dictus creditur, dum in terris verſabatur, *Hercules* autem in coelum receptus. Cerda ad Virg. VIII, 203. *Alii*, caeteri. Auctore Lactant. in Argum. pater promiſerat, ſe filiam daturum ei, qui lucta viciſſet. Hinc caeteri proci, metu perculſi, *ceſſerunt* Herculi et Acheloo.

14. 15. Nobilem ſe genere, clarum rebus geſtis iactat, vt Perſeus Andromedam ambiens IV, 357. *Dat*, tamquam munus, ea, in quorum ſocietatem ventura erat coniux futura. Mirari licet, placuiſſe Heinſ. et Burm. quod in Graev. Mſ. legitur, *ſummamque laborum.* Etenim *ſumma laborum* vel vniuerſos labores ſignificat, vel maximum laborem. Sed Deianira profecto et hunc et illos recuſaſſet. *nouercae*, Iunonis, qua poſtulante Euryſtheus Herculem ad labores iſtos adegerat. Senec. Herc. Fur. 34. 41. *Novercales ſtimulos* vocat Claudian. R. P. II. praef. 29. *ſuperare*, exſequi. Ea *iuſſa* Hercules ipſe vſ. 69 ſqq. 182 ſqq. recenſet.

16 — 26. Attemperata eſt haec Acheloi oratio cupiditati proci, puellam ambientis; ſu-

Nondum erat ille Deus;) Regem me cernis aquarum,
Curſibus obliquis intra tua regna fluentum.
Nec gener externis hoſpes tibi miſſus ab oris,
Sed popularis ero, et rerum pars vna tuarum.
Tantum ne noceat, quod me nec regia Iuno
Odit, et omnis abeſt iuſſorum poena laborum.
Nam quod te iactas Alcmena matre creatum;

17 *Regem* dedit Heinſ. cum Neap. primo, Medic. ſecundo, Norico et duobus aliis. Vulgo, *dominum*. Multi veteres, *numen*, de quo v. not. 20 Lovan. *pars priua*, i. propria, quod Burm. non credit ab indocto librario profectum; ita illum dicere, ſe totum eſſe in eius regno et ditione. Verum Ouid. non amat obſoleta. 23 *quod*. Sec. Palat. *quo* cum nota interrogationis.

as virtutes commendat, riualis autem laudes inuidioſe minuit. *duxi*. Forte melius erit ex Heinſ. emendat. *ducens*. Sed τὸ *Deum* nolim tentari, quia in oppoſ. *Deum mortali* magna vis. *Regem me cernis* pro ſimplici, ſum rex, quia coram haec dicebat. *Curſibus obliquis* tantum ornatus cauſſa additum. Caeterum, quoniam diuinitatem ſuam iactat, et *regna* ſequitur, poſſis cum aliis Mſſ. non male legere, *numen me cernis*. Ita *numen aquarum* II Amorr. 14, 13. IV Faſt. 531.

19 Cum *hoſpite* ſ. aduena matrimonium inire ſummum dedecus apud Graecos. Etiam in *tibi miſſus* aliquid inuidiae eſt; et *oris* contemtim additum, quaſi neſciret, vnde eſſet Hercules. *popularis*, δημότης, qui eſt eiusdem populi. *rerum tuarum*, regni tui, vt VII, 509. Sed Gronov. Obſ. IV, p. 706. *res* h. l. interpretatur ſubditos. Sic ſane VII, 522. *pars*. Heroidd. III, 46. *patriae pars ego magna meae*. Infra XI, 216. *pars militiae*.

21 Satis acerbe reſpondet et ad rerum geſtarum gloriam et ad generis nobilitatem. De *nec — et* v. ad II, 42. *poena laborum*, labores poenae loco impoſiti, non ſponte ſuſcepti. Bene autem *poenam* memorat, et *iuſſos* labores, quia ſic minuitur gloria actorum. *omnis abeſt* a me *poena*, ad nullos umquam labores condemnatus ſum.

23 Dilemmate admodum moleſto premit Herculem. *Nam* alterum multo minus nocet. *iactas*, dicis, fateris. *falſus*, fictus. Etiam I, 754. *falſus genitor*, ſed III, 558. elegantius *adſumtus pater*. *Crimen* paſſim abſolute de adulterio. Vt Hercules ſentiat vim omnem opprobrii, clarioribus verbis repetit, *Matris adulterio* etc. matrem facis adulteram, vt Iouem patrem habeas. — *Elige*, vtrum *fictum* patrem *eſſe Iouem*

Iuppiter aut falſus pater eſt, aut crimine verus.
Matris adulterio patrem petis. Elige, fictum
Eſſe Iouem malis, an te per dedecus ortum.
Talia dicentem iamdudum lumine toruo
Spectat; et accenſae non fortiter imperat irae,
Verbaque tot reddit: Melior mihi dextera lingua.
Dummodo pugnando ſuperem; tu vince loquendo.
Congrediturque ferox. Puduit modo magna locutum
Cedere. Reieci viridem de corpore veſtem,
Brachiaque oppoſui, tenuique a pectore varas
In ſtatione manus; et pugnae membra paraui.

25 Capoferreus *Matris-petis* per interrogationem efferendum cenſet. Pro *fictum* Iunian. repetit *falſum*. 27 *toruo*. Leidenſ, *torto*, vt II, 787. *obliquum lumen*, quod Burm. comparat. At ibi de inuidia ſermo eſt, nunc de ira. 33 Viuianus et alii *curuas*, quod fluxit vel ex interpret. vel ex ignorantia voc. *varas*, de quo v. not.

malis etc. *dedecus*, adulterium, vt II, 473.

27 — 30 *Iamdudum*, continuo. Vix exſpectare poteſt finem orationis. Bene, *non fortiter*; fortis enim animi eſt, imperare adfectibus. Qui id non poteſt, *impotens* dr. *Melior mihi* etc. Cf. XIII, 9. Eſt ſermo hominis corporis robore, non item ingenio valentis, nec crimina repellere ſuſtinentis. Et Herculis aetate nihil glorioſius corporis robore. *Melior*, valentior et exercitatior.

31 Non credibile eſt, eos in ipſo Oenei conclaui congreſſos eſſe, neque hoc ſeqq. credere ſinunt; ſed cum ibi alter alterum prouocaſſet ad certamen, elegerunt extra domum aream colluctationi aptam. *ferox*, iratus. *magna loqui*, gloriari. v. ad I, 751. Alibi *magnifica dicere*, vt Tibul. I. eleg. 5, 6. II, 6, 11. Gloriantibus tribuuntur et *magna verba*, Senec. Ep. 82. et *magna lingua*, Horat. IV od. 6, 1. Sophocl. Antig. 108. μεγάλης γλώσσης κόμποι. Contrarium eſt, *verbis minoribus vti* VI, 151.

32 — 34 Parat ſe pugnae. *Viridem veſtem* fluuiis tribuebant poetae, quia ripae viridibus herbis conſitae. *Reieci*, ſcil. in tergum, quo ſenſu pr. *reiicere* dr. Id autem facere ſolebant, qui ſe ad pugnam parabant. Sueton. Aug. 26. Phaedr. V. fab. 2, 3. item ad pugilatum. Virg. Aen. V, 421. *Haec fatus, duplicem ex humeris reiecit amictum*. Sed h. l. forte pro *deieci*, niſi ita legi malis. Graeci inſtituebant luctam ante Acanthum Lacedaem., qui vixit Olymp. XV., ſuccincti (ſic etiam ap. Homer. Il. ψ, 710.) poſt-

Ille canis hauſto ſpargit me puluere palmis,
Inque vicem fuluae tactu flaueſcit arenae.
Et modo ceruicem, modo crura micantia captat,
Aut captare putes, omnique a parte laceſſit.
Me mea defendit grauitas, fruſtraque petebar.
Haud ſecus ac moles, quam magno murmure fluctus

36 *tactu*. Barth. *iactu* reponendum cenſuit, quod et praeferunt alter Hamb. Rottendorph. et tres alii. Inde recepit Heinſ. approbante Burm. 37 Lovan. Argent. Medic. Strozzae *crura trementia*. 38 Schepper. legi vult, *putat*. Pro *laceſſit* vnus Heinſ. *fatigat*.

ea nudi. v. Dionyſ. Halic. Antiq. Rom. VII, cap. 72. Habemus autem hic loc. claſſic. de lucta, antiquiſſima omnium certaminum, (Plutarch. Sympoſ. II, 4.) qua inprimis excellebat Hercules. Noſter ſingulos motus ita deſcripſit, vt res ſubiecta oculis videatur. *varas*, proiectas et recuruas. Paſſim *vara brachia* luctantium. v. Heinſ. *ſiatio*, geſtus luctantium. De v. *ſiare* hoc ſenſu v. Broukh. ad Propert. III Eleg. 12, 7.

35 De hac puluueris palaeſtrica adſperſione v. Salmaſ. ad Tertul. Pall. p. 217. et Mercurial. de Arte Gymn. I, 8. In palaeſtra fiebat, poſtquam oleo corpus vnxerant, vt melius puluis haereret, eoque induceretur cutis; nam ſic eo facilius aduerſarius capi poterat. H. l. nulla vnctionis mentio. *flaueſcit* verb. delectum, quia arena flaua. Etiam Martial. VII Epigr. 66, 5. *flaueſcere haphe*. Nempe *haphe*, Graec. ἁφή, tactus puluueris. v. Gronov. Obſeruatt. III, 18. qui etiam h. l tuetur *tactu*: quod idem Hermolaus ad Plin. H. N. 38, 10. agnoſcebat. Recte; fuit enim ἁφή, *tactus*, verb. pr. de hac puluueris adſperſione. Id ergo reuocaui. In locis ab Heinſ. et Burm. allatis, in quibus *iactus* puluueris commemoratur, ſermo non eſt de luctatoribus.

37 *Crura micantia* Sallustius vertit *glänzende Schenkel*. Sed vnde nunc ille ſplendor? Nec membra vel maxime oleo vncta facile quisquam dixerit *micantia*. Itaque *micantia* ſunt celeriter mota; talis enim motus fuit in artibus palaeſtricis. Virg. Aen. V, 430. in caeſtus deſcriptione, *Ille pedum melior motu, hic membris et mole valens*, qua et ipſe valebat Achelous vſ. 39. Et quoniam celeritate pedum effugiebat captationes aduerſarii, propterea ingenioſe addit, *aut captare putes*. *Trementia*, quod habent 4 Mſſ., gloſſa eſſe videtur. *tremere* enim de crebro et celeri motu dr. Etiam Homer. Od. Σ, 265. celerrimos motus ſaltantium vocat μαρμαρυγὰς ποδῶν, *coruſcationes*, *micationes* pedum.

Oppugnant: manet illa, ſuoque eſt pondere tuta.
Digredimur paullum, rurſumque ad bella coimus;
Inque gradu ſtetimus, certi non cedere; eratque
Cum pede pes iunctus: totoque ego pectore pronus
Et digitos digitis, et frontem fronte premebam.
Non aliter fortes vidi concurrere tauros,
Cum pretium pugnae, toto nitidiſſima ſaltu,
Expetitur coniux. Spectant armenta, pauentque
Neſcia quem maneat tanti victoria regni.

43 Quatuor Mſſ. *Iamque gradu*. Heinſ. coni. *Iamque gradum ſtitimus*. 49 *regni*. Duodecim *belli*, duo alii *pugnae*.

Metaph. haud dubie a celeri ignis motu petita. Pro *laceſſit* quidam non indocte *fatigat*: hoc enim verbum omnino frequentare, crebro aliquid facere, tractare, mouere ſignificat. Ap. Virg. *fatigare ſilvas venatu, coelum clamore* et alia. *Petere* et de ictibus gladiatorum et de captationibus luctantium dr. *grauitas*, moles corporis. *defendit* a lapſu. Voc. *moles*, quo Virg. vſus, peperit haud dubie ſimilitudinem ſeq. Niſi Noſter reſpexit Aen. X, 693. vbi de Mezentio pugnante, *Ille, velut rupes, vaſtum quae prodit in aequor, Obvia ventorum furiis, expoſitaque ponto* etc. *manet*, vt I, 288.

42—45 *bellum*, vt πόλεμος, de pugna. *coimus*, congredimur. Terent. Ph. II, 2, 32. *prima coitio eſt acerrima*. *gradus* i. q. ſtatus luctantium. Conabantur aduerſarium *de gradu deiicere*. *certi*, animo hic obſtirmato, vt non cederemus. Virg. G. IV, 84. *obnixi non cedere*. — *Cum pede pes iunctus* etc. Ita deſcripſerunt Veteres etiam acerrima certamina. Tyrtaeus p. 101. Καὶ ποδὶ παρ' ποδὶ θεὶς, καὶ ἐπ' ἀσπίδος ἀσπίδ' ἐρείσας etc. vbi vid. Klotius, et Freinsh. ad Curt. III, 4, 5. Sed nunc ille ardor accommodate ad lucram notatus *pronus* v. ad X, 652. *frontem fronte*; hinc *pugnantia ſecum frontibus aduerſis*, contraria. Horat. I Sat. 1, 102.

46—49 Similitudo bene delecta, quia et tauri de coniuge certant, et quia Achelous interdum armenti dux, VIII, 882. Huiusmodi autem taurorum proelium de formoſiſſima iuuenca copioſe et excellenter deſcribit Virg. G. III, 217 ſqq. Cf. Amorr. II, 12, 25 ſqq. Sed Noſter nunc reſpexit Aen. XII, 715 ſqq. *Cum duo conuerſis inimica in proelia tauri Frontibus incurrunt, pauidi ceſſere magiſtri: Stat pecus omne metu tutum, muſſantq iuuenecae, Quis nemori imperitet, quem*

Ter ſine profectu voluit nitentia contra
Reiicere Alcides a ſe mea pectora: quarto
Exuit amplexus, adductaque brachia ſolvit:
Impulſumque manu (certum mihi vera fateri)
Protinus auertit, tergoque oneroſus inhaeſit.
Si qua fides (neque enim ficta mihi gloria voce
Quaeritur), impoſito preſſus mihi monte videbar.

50 Duo Baſil. *luctantia contra.* 54 Cum prim. Gronov. ſec. Palat. tert. Medic. prim. Baſil. aliique plurimi *aduertit* praeferant, Heinſ. legi volebat, *Pronus humum aut humo aduertit*, quod recte improbat Burm. quia vſ. 60 demum tellurem premit Achelous.

tota armenta ſequantur. ſoluor ab amplexu. Cic. Verr. V, 58. *exuere ſe laqueis.* Exuebant autem amplexus dorſo curuato. — *adducta*, ad ſe tracta. Saepe Noſter h. v. ita vtitur, et interdum ſatis graphice, vt VIII, 28. Heroidd. X, 104. *ſoluit*, expedit. Proprie *ſoluitur* nexus aut nodus. Burm. monet, Solinum ep. 24. dixiſſe, *implicare et explicare nexus.* — *Auertit*, comprehenſum me ita rotat, vt tergum ei obvertere cogerer, quod Hercules protinus inſilit, et ita inhaereret; quae ars in lucta fuiſſe videtur. Burm. qui tamen dubitabat, an non *auertit* nunc quoque eſſet, in fugam vertit, vt paſſim *auertere hoſtes.* Verum id non patiuntur ſeqq. *Oneroſus* praeclare de Herculea mole, quam ſenſit ipſe Atlas, vſ. 273.

50 *Pectora nitentia* contra, *amplexus* et *nexus* magna pars luctationis. Eleganter, *exuit amplexus*, pro quo mox, *ſolui a corpore nexus.* Heroidd. XIII, 12.

55 *Gloria* in eo erat, quod par fuerat tanto oneri ſuſtinendo. *preſſus monte* proverbii ſpeciem habet. Cic. Senect. 2. *onus Aetna gravius ſuſtinere.*

Vix tamen exſerui ſudore fluentia multo
Brachia: vix ſolui duros a pectore nexus.
Inſtat anhelanti, prohibetque reſumere vires:
Et ceruice mea potitur. Tum denique tellus
Preſſa genu noſtro eſt, et arenas ore momordi.
Inferior virtute, meas deuertor ad artes;
Elaborque viro, longum formatus in anguem.
Qui poſtquam flexos ſinuaui corpus in orbes;
Cumque fero moui linguam ſtridore biſulcam:

57 *exſerui* pro *inſerui* ex tribus Mſſ. recepit Heinſ. qui tamen mallet *oſſerui*, et *tandem* pro *tamen*. 62 Vulgo, *diuertor* e ſollemni permutatione. *Diuerti* eſt diuerſam viam inſtituere, *deuerti* ex alio loco in alium ſe conferre. Erneſti Clav. Cic. h. v. 64 Vnus *Qui ſquamoſum flexos*. Heinſ. coni. *ſquamoſum vt flexos*. Mox ſex libri *triſulcam*, vt plerumque poëtae.

57 *ſudore fluentia* poëtice pro, ſudore defluente. Vſ. ſeq. Heinſ. vulgato *a corpore* e melioribus Mſſ. praeterebat, *a pectore*, quod improbat Schirach. quia Hercules inhaeſit tergo. Sane; ſed inhaerens tergo Hercules ita amplexus erat Acheloum, vt manus necterentur in pectore. Itaque ego *a pectore* revocandum putaui. *Nexus*, cum luctatores aduerſarium brachiorum nodo conſtringunt. Etiam amantium amplexus ſic Claudian. 31, 131.

59 *reſumere*, recuperare. VIII, 882. *ſumere vires.* III ex P. IV, 31. *ſumere vigorem.* Iuſtin. VI, 4, 1. *reſumere potentiam.*

61 Id vnum ſpectabant luctantes, vt alter alterum ad terram daret, quod Graeci ἐπῖξαι dixerunt. *mordere ore* terram, gramen, arenam de cadentibus in proelio et in lucta.

62 Confugio a fortitudine mea ad transformationes, quibus vti ego ſoleo. A. A. II, 425. *deuertor ad medicas artes.* Sed Remed. 287. *adſuetas decurrere ad artes*, Art. II, 99. *Haemonias decurrere ad artes.* Illa transformatio, de qua Apollod. nihil habet, inde eſt, quia fluvii propter tortuoſum decurſum cum ſerpentibus comparari ſolent. *formatus*, transformatus. *flexos* tantum ornat. Claudian. Laud. Stilic. I, 223. *flexos in falcem curvent gladios. ſinuaui* melius quam, curuaui. Alibi fere *triſulca lingua* ſerpentibus tribuitur, ſed h. l. *biſulca.* Plaut. Poen. V, 2, 74. *biſulci lingua, quaſi proſerpens beſtia.* v. Ariſtot. de Part. Anim. III. cap. vlt. et nos ad III, 34. *moui*, vibraui. *ſero ſtridore.* Claudian. R. P. II. praef. *ferum os* ſerpentum.

Riſit, et illudens noſtras Tirynthius artes;
Cunarum labor eſt angues ſuperare mearum,
Dixit: et, vt vincas alios, Acheloë, dracones,
Pars quota Lernaeae ſerpens eris vnus Echidnae?
Vulneribus fecunda ſuis erit illa: nec vllum
De centum numero caput eſt impune reciſum,
Quin gemino ceruix herede valentior eſſet.
Hanc ego ramoſam natis e caede colubris,
Creſcentemque malo, domui, domitamque peremi.

72 Noric. et prima Ed. Ald. *gemina*, vt ad *ceruicem* reſpiciat. 74 *peremi* eſt ex duobus Heinſ. Mſſ. cum caeteri in alia omnia discedant, *reuinxi*, *reduxi*, *fubegi*, *reliqui*, *repreſſi*. Heinſ. tamen malit *peruſſi* aut *praeuſſi*, quia ap. Eurip. Herc. Fur. 422. ὕδραν ἐξεπύρωσεν. Auien. Arat. 381. *hydram Vreret Alcides cum flammiger*. At haec loca male transferuntur ad noſtrum. Hercules enim hydram non prius domuit et domitam demum praeuſſit.

67 *Labor cunarum m.* in cunis iam a me ſuſceptus. Satis contemtim, et more hominum gloriantium. Aliena tamen a vanitate erat haec Herculis gloriatio. Infans enim cum in cunis iaceret, dracones duos, quos Iuno miſerat, manibus interemit. Aelian. H. A. XII, 5. Quint. Cal. VI, 202. *vt vincas*, fac, finge te vincere, ſ. magnitudine ſuperare. Cic. Tuſc. II, 5. *ne ſit* (finge non eſſe) *ſummum malum dolor, malum certe eſt*. *Pars quota* etc. Senec. Herc. Oet. 93. *At quoties iacet Python in hydra? Echidnae*; erat enim filia Echidnae.

70—74 *Geminus heres*, duo capita, quae ſuccreſcebant in locum vnius exciſi. Sic illa *vulneribus fecunda ſuis*, ſic *haud impune* caput recidebatur, ſic denique *valentior* quouis vulnere ceruix fiebat. Minuc. Fel. 20. *hydra felicibus vulneribus renaſcens. non impune* de auctis moleſtiis debellatoris capiendum. *Heres* ſic paullo audacius. Laudat Burm. Plin. H. N. XVI, 33. qui *heredem* vocat ſtolonem ex ſalice repullulantem. *Valens* alibi, viribus et robore praeſtans, h. l. ad numerum capitum referendum. *ramoſam*, arboris ramoſae ſimilem, e qua capita, tamquam rami, exſtabant. *ramoſam colubris*, vt X, 21. *villoſa colubris* et 349. *crinitas angue*. De *numero capitum* illius hydrae non conſentiunt Veteres, qui mox *centum*, mox quinquaginta, nouem, octo numerant. v. Heinſ. et Heyne ad Apollod. p. 345. Sufficit monſtrum πολυκέφαλον cogitare. Palaeph. cap. 39. fab. ſuo modo interpretatur. *malo*, damno. *domui*, nempe adiuuante Iolao. Apollod. 2, 5, 2. — Caeterum Schirach. valde diſplicet omnis haec oratio, qua Hercules inter pugnandum certamen illud, tamquam hiſtoricus, accurate deſcripſerit. Idem cenſet, verba *gemino herede* et *ramoſam* in oda, aut in carmine epico facilius ferri, quam in hac oratione, atque etiam luſum illum, *domui domitamque peremi* dedecere Herculem, et eſſe frigidum. Se ergo valde dubitare de elegantia h. loci, quem Ouid., ſi per fata licuiſſet, haud dubie emendaturus fuiſſet. Haec ille. Videamus tamen, quid ad excuſandum poëtam dici queat. Primum Hercules non pugnans haec dicit, ſed ſpectans, et ridens noui ſerpentis ſtridorem, cuius adſpectus ei neceſſario in memoriam reuocabat hydram Lernaeam. Eam igitur deſcribit, et capita eius centum, vulneribus fecunda ſuis commode, opinor, cum hoc vno transformato ſerpente comparat. Neque porro ego putem, frigidum eſſe luſum Herculeque indignum in verbis, *domui domitamque peremi*, (ſic vſ. 195. *praeſepia vidi, viſaque deieci*, et ſaepe ap. Noſtrum.) aut improbandum magnopere in hac orat. voc. *ramoſam*. Quidni etiam in ſermone quotidiano monſtrum πολυκέφαλον cum ramis arboris comparare liceat? Virg. Aen. VII, 30. *ramoſa cornua*, et 189. *cornua arborea cerui*.

Quid fore te credis, falſum qui verſus in anguem
Arma aliena moues? quem forma precaria celat?

75 Heinſ. ex Flor. S. Marci, vno Leid. Graev. primo Palat. et Oxon. recepit *credas*, ſed nullo iure; Indicatiuus enim bene ſe habet. Duo, *credes*.

75 Burm. *falſum* duorum Mſſ. auctoritate, Medic. et Langerm. mutauit in *ſolum*, vt opp. hydrae multorum capitum et natis e caede colubris. Ego vero *falſum* reuocaui. Etenim duo vrget Acheloüs, tu et *vnus* es et *falſus* ſerpens, *Vni* oppoſuit capita Lernaeae hydrae, Nunc ad alterum, ad *falſum*, tranſit. Ei nihil opponit, ſed premit notionem *falſi*, dum *arma aliena* et *formam precariam* addit, in quibus non eſt tautologia vitioſa. Voc. *falſus* Noſter amat in deſcribendis transformatt. v. ad VI, 26. Et vidi etiam a Mitſcherl. eandem lectionem eſſe receptam. *arma moues*, linguam vibras, vt vſ. 65. aut omnino, pugnam minitaris. Virg. Aen. XII, 6. *mouet arma leo. precaria*, aliena. *forma celat* eum, qui in eam tranſit, et proprie quidem eo conſilio, vt lateat. Sic V. 326. *Et ſe mentitis Superos celaſſe figuris*. Multo ſuauius

Dixerat: et ſummo digitorum vincula collo
Iniicit. Angebar, ceu guttura forcipe preſſus,
Pollicibusque meas pugnabam euellere fauces.
Sic quoque deiecto reſtabat tertia tauri
Forma truci. Tauro mutatus membra rebello.
Induit ille toris a laeua parte lacertos,
Admiſſumque trahens ſequitur, deprenſaque dura
Cornua figit humo, meque alta ſternit arena.
Nec ſatis id fuerat: rigidum fera dextera cornu

81 *rebello.* Heinſ. coni. *reuellor,* cum in Spirenſi et tribus aliis *reuello* eſſet, et in totidem *repello.* 82 Leid. *toros lacertis,* quod probat Gronov. ad Senec. Herc. Fur. 1312.

v. *diſſimulare* vſus eſt in hac re II, 374. et Heroidd. IV, 104. *tauro diſſimulante Deum.*

77 *Digitorum vincula* exquiſite, digiti, quatenus iis tenaciter premebat anguem. Etiam vſ. 315. *vincla,* digiti nexi. *ſummo collo,* ne mordere poſſet. Rode: den Hals mit den Fingerſpitzen, quaſi legiſſet *ſummorum, angi* pr. de iis, quorum guttura comprimuntur, vt ſpiritum ducere nequeant. Mox Caſoferreus legendum cenſet ordine verborum mutato *ceu forcipe guttura preſſus,* quia comparationem non ſumit a preſſo gutture, ſed preſſionis a forcipe.

80 Ex legibus artis luctatoriae nemo victor exibat, niſi ter aduerſarium proſtrauiſſet, Burm. Inde τριάξαι et ἀποτριάξαι victoriam deportare. *Tauro,* in taurum. *rebellare,* bellum aut luctam redintegrare. Sic paſſim apud hiſtoricos. Cauſſa huius transformat. allata ad vſ. 1.

82 Locus obſcurus, quem adeo Intt. ſilentio praeterierunt. Si quid ego video, ſenſus eſt hic: Hercules ſuſcipit toros meos lacertis ſuis, meque retro currentem trahit quidem, ſed et ſequi cogitur, donec deprehenſa etc. Fortaſſe reſpexit Ouid. monumentum aliquod, in quo ita expreſſum erat hoc certamen. *Induit toris lacertos,* tori mei implicant lacertos eius, dum collum meum amplectitur. *Admiſſus* taurus, vt *admiſſi equi. deprenſaque — humo.* Ita debellari ſolebant tauri. v. Gronov. Obſeruatt. I, 17. *arena* aeque recte ac *arenae.* V. Heinſ. ad Amorr. III, 2, 25.

85—88 Hoc eſt nobile illud *Cornu Copiae,* quod in monumentis Copiae, Paci et Fortunae tribui ſolet, de quo v. Apollod. 2, 7, 5 ibique Heyne. Horat. Carm. ſec. 59. *Apparetque beata pleno Copia cornu.* Sed ap. Apollod.

Dum tenet, infregit, truncaque a fronte reuellit.
Naïdes hoc, pomis et odoro flore repletum,
Sacrarunt; diuesque meo bona Copia cornu eſt.
Dixerat; at Nymphe, ritu ſuccincta Dianae,
Vna miniſtrarum, fuſis vtrimque capillis,
Inceſſit, totumque tulit praediuite cornu
Autumnum, et menſas, felicia poma, ſecundas.
Lux ſubit; et, primo feriente cacumina Sole,

Acheloo redditur hoc cornu, eiusque loco Hercules Amaltheae cornu accipit. Sic et caeteri Graeci. *Cornu* vel ſiniſtrum ſecundum Schol. Hom. vel dextrum, auctore Schol. Lyc. 50. Senſus fabulae: Pars erepta fluuio facta eſt terra fertilis. Diodor. et Strabo putant, brachium fluvii alio deductum ab Hercule terrae adiacenti fertilitatem dediſſe. *trunca a fronte,* vt frons fieret trunca. *Naïdes,* Acheloi filiae. Hygin. *Heſperidibus ſiue Nymphis donauit;* vbi tamen v. Munker. *Sacrarunt.* v. ad X, 646.

89 Satiatis edendo conuiuis menſa prima cum dapibus remouebatur, idque in hoc conuiuio factum eſſe, ſupra VIII, 570. narrabatur. Mox *ſecunda menſa* cum vino, pomis, nucibus, quae bellaria et τραγήματα drr., apponebatur. vid. Cerda ad Virg. Aen. I, 723. hinc non ſolum epulae, ſed etiam menſae drr. *apponi.* VIII, 570. et 831. *ſuccincta,* quo expeditior eſſet in miniſterio. Cf. VIII, 660. *fuſis.* Alibi *ſparſis capillis. autumnum,* fruges autumnales. *totum,* omnis generis. Sic Noſtrorum aliquis dixit, ein ganzer May von Blumen. *Cornibus* variae Veteres vtebantur, etiam ad ſeruandas fruges. *praediuite,* pleniſſimo. Cf. Horat. I od. 17, 15. *felices* alibi drr. arbores, rami, agri, i. feraces, ſed h. l. et XIV, 627. ipſa poma *felicia,* mitia, excellentiſſima. Et *felix* interdum omnino praeſtans, e regium. Contra Virg. Aen. III, 649. *victus infelix.* Horat. Epod. II, 17. *Cum decorum mitibus pomis caput Autumnus aruis extulit.*

93 *Primus,* oriens, *ſol ferit,* radiis ſuis, tamquam telis, illuſtrat ante omnia *cacumina* montium. Vt hic *primus ſol,* ſic *medius Phoebus* Valer. Flacc. III. 482. *neque enim — opperiuntur,* quod VIII, 548 ſeqq. decreuerant. Idem ter dixit, *pacem habeant,* et *placidos lapſus,* et *motae reſidant.* Fluuiis exundantibus *motus* et *ira* tribuitur; cum placide alueum ſuum rurſus ſequuntur, *pacari, reſidere,* drr. *Reſidere* eleganter de iis, quae componuntur, ſedantur, de ira, ardore animi, flatu ventorum. v. Buenemann. ad Lactant. de

Diſcedunt iuuenes: neque enim dum flumina pacem
Et placidos habeant lapſus, motaeque reſidant,
Opperiuntur, aquae. Vultus Achelöus agreſtes
Et lacerum cornu mediis caput abdidit vndis.
Haud tamen ablati domuit iactura decoris;
Cetera ſoſpes erat. Capitis quoque fronde ſaligna,
Aut ſuperimpoſita celatur arundine damnum.
Neſſus. At te, Neſſe ferox, eiusdem virginis ardor
Perdiderat, volucri traiectum terga ſagitta.

95 *motaeque* ex vno Baſil. et Gryphii margine recepit Heinſ. pro *totaeque*. Vnus Medic. *tutaeque*, quod et ipſum eidem placet. 98 Naugerius ex nonnullis adfert *Hunc tantum*, quod idem Heinſ. in quinque Codd. reperit. Vnus Moreti, *Haud tamen*. 99 *erat* pro *habet* dedit Heinſ. ex altero Regio. Niſi verum eſt, quod vnus Heinſ. habet, *abit*. 102 Capoferreus emendabat, *Perdidit, a volucri*, quia hoc non ante Acheloi certamen, ſed poſt accidit. V. not.

Ira XVIII, 7. *Lapſus* pr. de curſu fluuiorum. *placidus*, lentus. Cur. IV, 13. *placide volans aquila*.

95 Heroidd. IX, 140. de Achelo, *Truncaque limoſa tempora merſit aqua*. Similiter alii poetae.

98 Pro *Hunc tamen* ex Mſ. Moreti recepi *Haud tamen*. Sic facile procurrit oratio et vſ. 101. iuncta eſt oppoſitio, *At te* etc. Sed idem Burm. etiam *domuit* mutat in *nocuit*, et *quoque* Medic. Mſ. auctoritate in *modo*. Neutrum bene; namque *domare* nunc eſt perdere, interimere, vt I, 309. et δαμᾶν patrium ap. Homer. *modo* autem nullo modo ſenſum fundit commodum. Iactura *decoris*, cornu decori, eum non modo non perdidit, ſed celatur quoque arundine. Nec eſt, cur *erat* in *enim* mutemus. *damnum*, cornu amiſſum. Saepe *damnum*, id quod cum damno amiſimus.

FAB. II. vſ. 101 — 133. *Neſſus*, Ixionis, regis Theſſaliae, filius, Centaurus, Deianiram rapiens, ab Hercule ſagitta venenata interficitur, ſanguinemque vitiatum tradit Deianirae. Cf. Sophocl. Trachin. 555 ſqq. Eurip. Hipp. 545 ſqq. Diod. Sic. IV, 36. Pauſan. Phoc. p. 895. Apollod. II, 7, 6. Euſeb. Praep. lib. II, p. 36. Hygin. fab. 34 et 36. Senec. Herc. Oet. vſ. 494 ſqq. Fabula memorabilis, non in ſe, ſed propter Neſſi veſtem, quae mox exitium ferret Herculi. Hinc expreſſa eſt in multis monumentis.

101. 2 Tranſitus hic argumentum ſimul fabulae indicat. *ferox*, ad vim paratus, violentus. *virginis*, quia virgo adhuc erat, cum Hercules et Achelous de coniugio eius decertarent; quamquam etiam nuptae mulieres interdum

Namque, noua repetens patrios cum coniuge muros,
Venerat Eueni rapidas Ioue natus ad vndas.
Vberius ſolito nimbis hiemalibus auctus,
Vorticibusque frequens erat, atque imperuius amnis.
Intrepidum pro ſe, curam de coniuge agentem

107 Tres *de ſe*. Duo, *pro coniuge*.

virgines drr. v. Brouckh. ad Propert. IV, 11, 52. Et *virgo* etiam a Silio III, 435 vr. vbi v. Drakenb. Rode vertit, *Fräulein*. *ardor*, vehemens amor. Plusquamperf. *perdiderat* non debebat offendi Capoferreus; nam et alibi Noſter eo lic vtitur. VI, 425. *Tereus haec fuderat*.

103 *patrios muros*, Tirynthem, vbi iuſſu oraculi habitabat Alcides, inde *Tirynthius* dictus. Apollod. p. 114. Sed ſecundum eundem Apollod. p. 145. hoc factum eſt, cum Hercules Trachinem ad Ceycem ſe conferebat. — Iam difficultas tranſeundi cum coniuge fluuium, et neceſſitas tradendi eam vectori notanda erat, vt mores Herculis exprimerentur. *Euenus* Aetoliae fluuius Calydona praeterfluens. Hinc VIII, 527. Calydonides *Euenidae*. Lucan. VI, 208. *Meleagraeam maculatus ſanguine Neſſi Euenos Calydona ſecat*. Nota hic moleſtias itinerum priſca aetate. Burm. monet, recte poëtam Euenum *hiemalibus nimbis* auctum inducere; exuiſſe enim Herculem mortalitatem circa Hecatombaeonem menſem, notante Petito in Comment. in Leges Attic. p. 26. Sed quid hoc ad rem? Nonne Noſter ipſe mox narrat, ab interitu Neſſi ad Herculis apotheoſin effluxiſſe longum tempus? Neque Hecatombaeo in hibernis menſibus eſt, ſed in aeſtiuis. Itaque *hiemales* potiſſimum *nimbos* commemorat, quia illi et in ſe vehementes ſunt, et niues ſoluunt, adeoque vel maxime fluuios augent. Horat. IV od. 12, 3. *hiberna niue turgidi fluuii*. Tum *hiems*, χειμών, etiam de tempeſtate dr. Inde χειμέριον ὕδωρ Homer. Il. Ψ, 420. torrens tempeſtate ortus. Fluuius *vorticibus frequens* a Liv. 21, 5. *vortico ſus* vr. *atque* hic forte pro, adeoque. *imperuius* qui nec vada habet, nec ſine periculo et moleſtiis transnari poteſt.

107 *pro ſe*, de ſe. *curam agere* bona locutio, vt docet Heinſ. et Burm. ad Heroidd. XVI, 302. *Neſſus* erat πορθμεύς ſ. vector ad illum fluuium, qui traiicere viatores ſolebat. Sophocl. Strabo, Pauſan. et Apollod. d. l. Talis vector eſſe debebat et *membris valens*, robuſtus, et *ſcitus vadorum*, cognita habere vada. Senec. vſ. 503. *Tranſire Neſſus vorticem ſolitus vadis. — in illa*, διηκτικῶς. *ſiſtere* pr. de

Neſſus adit, membrisque valens, ſcitusque vadorum;
Officioque meo ripa ſiſtetur in illa
Haec, ait, Alcide: tu viribus vtere nando.
[Pallentemque metu, fluuiumque, ipſumq. timentem,]
Tradidit Aonius pauidam Calydonida Neſſo.
Mox, vt erat, pharetraque grauis, ſpolioque leonis
(Nam clauam, et curuos trans ripam miſerat arcus)
Quandoquidem coepi, ſuperentur flumina, dixit.
Nec dubitat; nec qua ſit clementiſſimus amnis
Quaerit, et obſequio deferri ſpernit aquarum.
Iamque tenens ripam, miſſos cum tolleret arcus,
Coniugis agnouit vocem: Neſſoque parante
Fallere depoſitum, Quo te fiducia, clamat,

114 Vnus *iecerat*, quod placet Ciofan. non item Burm. quia vſ. 118 repetitur *miſſos arcus*.

vectoribus, qui onera humeris translata *ſiſtunt* in ripa. *Officio meo*, opera mea, nempe mercenaria.

111 *Pallentemque* etc. Hunc vſ. quem alii Mſſ. et edd. priores poſtponunt ſequenti, delendum cenſet Heinſ. Certe cum ſeq. *pauidam*, ſine tautologiae vitio ſeruari nequit, niſi forte credas, τὸ *pauidam* potius corruptum eſſe, et priſtinum verſum ordinem reſtituendum. Mollius enim, eo vſ. ſeruato, procurrere videatur oratio: nec male eo notatur ingenium muliebre. *Aonius*, Alcides Boeotus ſ. Thebanus. v. ad III, 13.

113 *vt erat*, ὡς εἶχε vid. Heinſ. ad X, 7. *gravis*, gravatus, onuſtus. De arcu Herculis admodum *curuo* v. Winkelm. H. A. p. 98. *trans ripam miſerat*, transmiſerat in alteram ripam. *ſuperentur flum.* nando traiiciatur totum flumen. *dubitat*, haeret et ſecum deliberat, more eorum, qui res periculoſas aggrediuntur. *clementiſſimus*, quietiſſimus. *obſequio* etc. A. A. II, 181. *Obſequio tranantur aquae: nec vincere poſſis Flumina, ſi contra, quam rapit vnda, nates.* Sed Hercules nolebat *obſequio aquarum*, h. e. ita vt obſequeretur, ſe accommodaret fluuio decurrenti, *deferri*, inferiore loco ad ripam peruenire adiuuante aqua. Sic quoque mores Herculis expreſſit. Lenzio *obſequium* eſt i. q. clementia. Rode: verſchmähend, gleichſam aus ſchonender Gefälligkeit vom Gewäſſer getragen zu werden.

120 *Fallere depoſitum*, rapere coniugem creditam; ſed illud indignitatem rei magis exprimit. *depoſitum*, quod alicuius fidei commiſſum eſt; qui id non reddit, *fallit depoſitum*, fallit eum, qui depoſuerat. Apollod. p. 157. ὁ δὲ διαπορθμεύων αὐτὴν ἐπιχειρεῖ βιάζεσθαι. τῆς δὲ ἀναρπαγάσης αἰσθόμενος ὁ Ἡρακλῆς ἐξελθόντα Νέσσον ἐτόξευσε εἰς τὴν καρδίαν. Sed Ouid. aliam rationem ſecutus eſt, vt et ſqq. docent.

Vana pedum, violente, rapit? tibi, Neſſe biformis,
Dicimus, exaudi, nec res intercipe noſtras.
Si te nulla mei reuerentia mouit; at orbes
Concubitus vetitos poterant inhibere paterni.
Haud tamen effugies, quamuis ope fidis equina.
Vulnere, non pedibus te conſequar. Vltima dicta
Re probat: et miſſa fugientia terga ſagitta
Traiicit. Exſtabat ferrum de pectore aduncum.
Quod ſimul euulſum eſt, ſanguis per vtrumq. foramen
Emicuit, mixtus Lernaei tabe veneni.
Excipit hunc Neſſus. Neque enim moriemur inulti,
Secum ait: et calido velamina tincta cruore

122 Heinſ. malebat, *ne res*. 127 Multi ex vetuſtioribus, *res probat*, vt III, 350. 129. Heinſ. cqni. *Quo ſimul euulſo*. 132 Plurimi *valido*.

121 *biformis*. v. ad II, 630. *Semiuir Neſſus* Heroidd. IX, 141. *tibi dicimus* aut *dico* indignantis et minantis formula. Heroidd. XX, 53. Graeci φασῶ σε, aut καλῶ σε. *intercipe*. v. ad VIII, 291. *res* de omnibus, quae nobis debentur, etiam, vt h. l. de coniuge.

124 Satis opportune et acerbe patris poenam Neſſo in memoriam reuocat. *Orbes paterni*, Ixion, qui rotae alligatus adſidue voluitur in tartaris, propter *concubitus vetitos*, quia vim inferre voluerat Iunoni. v. ad IV, 464. Ex nube ei Iunonis loco obiecta, quacum etiam coiit, nati ſunt Centauri, inde Nubigenae dicti. *inhibere*, deterrere. *ope equina*, velocitate pedum equinorum.

126 *Vulnere*, ſagitta vulnifica. Virg. Aen. II, 529. *infeſto vulnere inſequitur*. v. Drakenb. ad Sil. V, 251. Senec. Herc. Oet. 516. *Conſequar telo fugam*.

130 *tabes veneni*, venenum. Veneno hydrae Lernaeae ſagittas tinxerat Hercules. Quidquid igitur iis figebat; morti ſuccumbebat. *Mixtus* veneno ſanguis profluit etiam ap. Zenob. Apud alios Neſſus ipſe ſanguini emiſſo admiſcet venenum. Atque illum ſecundum Sophocl. vaſe excepit. De *velamine* caeteri nihil habent. Ante *neque enim* ſubintelligenda eſt ſententia aliqua, veluti, Bene habet; neque enim etc.

Dat munus raptae, velut irritamen amoris.
Longa fuit medii mora temporis, actaque magni
Herculis implerant terras, odiumque nouercae.
Victor ab Oechalia Cenaeo sacra parabat

Herc. furens.

133 *velut.* Heinſ. coni. *lenti*, vel *vetiti*, vel *tepidi*. Fruſtra.

133 *irritamen amoris*, remedium, quo coniugis amorem langueſcentem irritare poſſit. *Philtrum* vr. ab Hygin. et Apollod. namque φίλτρον, interpr. Tzetz. ad Lycophr. p. 14. eſt, φιλίαν ἐπισπᾶσθαι δυνάμενον, quod irritare amorem poteſt. Cf. vſ. 154. *Irritare amores* eſt I, 462. vbi v. Burm. *raptae*, quam rapere parabat.

FAB. III vſ. 134 — 238 *Hercules veneno cruciatus in Oeta monte comburitur.* Deianira indigne ferens, amari ab Hercule Iolen, mittit coniugi venenatam Neſſi veſtem, tamquam praeſentiſſimum amoris irritamen. Qua indutus cum propius acceſſiſſet ad Iouis Cenaei aram, venenum incaluit, ipſumque mirum in modum cruciauit. Licha famulo, qui veſtem attulerat, in mare praecipitato, Hercules comburitur a Philocteta. Cf. Diod. Sic. IV, 39. Apollod. 2, 7, 7. Senec. Herc. Oet. 223 ſqq. Hygin. fab. 36 Serv. ad Virg. Aen. VIII, 300. De monumentis, in quibus res expreſſa, v. Heynii Antiqq. Aufſätze I, 29 f.

134 *medium tempus*, vt IV, 167. VIII, 651. Ab interitu Neſſi vsque ad expugnatam Oechaliam longum tempus efluxit. Satis fuiſſet, *Longum fuit medium tempus*, ſed ſolet *mora* de diuturnitate ita adhiberi. Phaedr. IV fab. 4, 18. *conſumta eſt temporis longi mora. Actа implerant* pro, fama actorum laborum implerat. Sed aliter *implerant odium*, ſatiarant. *Magnus* perpetuum Herculis epitheton.

136 *Cenaeum* fuiſſe Euboeae promontorium, ibique *Ioui Cenaeo* Herculem conſtituiſſe aram, conſtans Veterum traditio eſt. Neque id dubium eſt, factam eſſe eam rem, poſtquam Eurytum debellauerat, eiusque vrbem *Oechaliam* expugnauerat. Eurytus enim, nobili ſagittarius, promiſerat, ſe filiam ſuam formoſiſſimam *Iolen* ei daturum, qui ſe aut filios ſuos in ſagittandi certamine ſuperaſſet; ſed Herculi victori praemium propoſitum negauit. Is ergo iratus aliquanto poſt rediit, auxiliantibus Arcadibus Oechaliam cepit, Eurytum et filios interfecit, Iolen autem captiuam abduxit. Sophocl. Trach. Act. II. Apollod. d. l. Homerus credebatur hanc Οἰχαλίας ἅλωσιν carmine celebraſſe. Strabo lib. XIV. p. 612. Verum id quaeritur, vbi *Oechalia* ſita fuerit. Strabo lib. X. p. 448. eam facit Euboeae Eretricae vrbem. Pauſan. Meſſen. p. 283. oſtendit, ſe in hac controuerſia plus auctoritatis tribuere Meſſeniis, qui ſuis finibus illam vrbem, poſtea Carnaſium dictam, vindicent, et p. 362. memorat, Euryti ibi oſſa ſeruari. Homer. denique Il. β, 730. eam inter Theſſaliae vrbes refert. — *Victor ab Oechalia*, ſcil. rediens. Anacr. od. 45, 8 Mars haſtam vibrat ἐξ ἀντῆς, e praelio, ſcil. reuertens. *Vota*, quae voverat, ſi Iupiter ſibi adeſſet in expugnanda vrbe.

Vota Ioui; cum Fama loquax praeceſſit ad aures,
Deianira, tuas, quae veris addere falſa
Gaudet, et a minimo ſua per mendacia creſcit,
Amphitryoniaden Ioles ardore teneri.
Credit amans; Venerisque nouae perterrita fama
Indulſit primo lacrimis, flendoque dolorem
Diffudit miſeranda ſuum; mox deinde, Quid autem
Flemus, ait? pellex lacrimis laetabitur iſtis.
Quae quoniam aduentat, properandum, aliquidque nouandum eſt,
Dum licet, et nondum thalamos tenet altera noſtros.
Conquerar, an ſileam? repetam Calydona, morerne?

139 Duo Mſſ. veteres et prima Aldi ed. *minima*, quod Heinſ. placet. Alterum Burm. praefert, vt ap. Claudian. II Eutr. 34. *Fama prius falſo ſimilis.* 143 *Defudit* volebat Heinſ. Tum diſtinguebat, *mox, Deinde quid*, quia *deinde* in interrogat. i. q. tandem. 145 *aduentat* pro *aduenit* e tribus dedit Heinſ. quem vide.

137 — 139 Veriſſima et praeclara Famae deſcriptio, quacum cf. XII, 39 — 63. *praeceſſit*, celeritatem Famae declarat: male igitur quidam, *peruenit*. Liv. XXI, 32. *Fama, qua incerta in maius vero ferri ſolent, praecepta res erat.* Minuc. Felix 28. *fama, quae ſemper inſparſis mendaciis alitur.* Claſſicus de Fama loc. eſt etiam Virg. Aen. IV, 173 ſeqq. *gaudet* melius quam, *ſolet*.

140 *Teneri* amore ſignificanter, tanquam illaqueatum amore. Sic *teneri ſtudio* V. Triſt. 12, 9.

141 Ea fama perterrita literas etiam dedit ad Herculem, quae leguntur Heroidd. IX. *amans* cum delectu pro coniuge. Cauſſam reddit h. v. cur ſollicita ſtatim crediderit et tantopere doluerit. *dolorem diffudit flendo*, ſie machte ihrem Schmerz durch Thränen Luft. Sed bene *diffudit*, minuit. Nam quae *diffunduntur*, in varias partes ſunduntur, ea euarreſcunt. Etiam Heroidd. VIII, 61. *flendo diffundere iram. deinde* pleonaſtice additum. Sic *deinde poſtea, itaque ergo* et id genus alia. *Quid autem* inſerui correctioni, doch was weine ich! *pellex lacrimis* etc. Hoc expreſſit Senec. Herc. Oet. 1676.

145 *aliquid nouandum*, aliquid moliendum. *thalam. tenet noſtros*, pro me vxoris iure fruitur. II, 513. *pro me tenet altera coelum.* In his *altera* inuidioſe dictum.

147 Quid moliatur mulier conſilii inops et ſola? Nil ei fere relictum eſt, niſi *conqueri*, aut *repetere* domum paternam (vltimum vexatarum coniugum perfugium) aut *obſtare* aliquamdiu pellici. De his ergo ſecum deliberat. *ſi nihil amplius* efficiam, ſaltem *obſtem*. Mox tamen fratris recordatio animum eius audacem reddit; virtutes enim maiorum aut conſanguineorum magnam habent vim apud animum. De *Meleagro* v VIII, 270 ſqq. Etiam Heroidd IX, 151. *Tu quoque cognoſces in me, Meleagre, ſororem.* — *iniuria*, ſenſus iniuriae acceptae, *poſſit*, valeat

Excedam tectis? an, si nihil amplius, obstem?
Quid, si me, Meleagre, tuam memor esse sororem,
Forte paro facinus; quantumque iniuria possit,
Femineusque dolor, iugulata pellice testor?
Incursus animus varios habet. Omnibus illi
Praetulit imbutam Nessei sanguine vestem
Mittere, quae vires defecto reddat amori.
Ignaroque Lichae, quid tradat nescia, luctus
Ipsa suos tradit: blandisque miserrima verbis
Dona det illa viro, mandat. Capit insscius heros,
Induiturque humeris Lernaeae virus Echidnae.
Tura dabat primis, et verba precantia, flammis;
Vinaque marmoreas patera fundebat in aras:
Incaluit vis illa mali, resolutaque flammis
Herculeos abiit, late diffusa, per artus.

148 *an. si* etc. haec lectio non nisi in primo Medic. Sp'renst et tribus aliis seruata. Vulgo, *an sic.* Alii, *ac sic.* 152 *illi* ex sec. Moreti accepit Heinst. Caeteri, *illis.* 155 De scriptura nominis *Lichas* v. Heinst Vulgo h. l. *Lychae.* 156 Multi *dictis*, quod praefert Heinst. quia seq. *verba.* 158 Tres anti[illegible] *humeros.* V Heinst. ad Trist. IV, 10, 29. 161 Heinst malebat *Inualuit.* Male. Burm. suadet, *vis inde mali.* 162 Multi *late dilapsa.*

apud animum. *tessor*, insigni exemplo aequalibus et posteris ostendo.

152 *Incursus*, impetus. Animus eius nunc huc fertur, nunc illuc. Tandem, vt saepe sit, nescia ad perniciosissimum omnium consilium defertur. *Omnibus*, incursibus. *illi*, Herculi. *defectus*, qui defecit, vt XIII, 477.

155 *Lichas*, famulus Herculis. Secundum alios *Lichas* ab ipso Hercule missus erat Trachinem, vt vestem sibi candidam sacrorum causa asportaret; quam Deianira infecerit Nessi sanguine. *ignaro.* v. ad III, 3. *luctus*, caussam luctus futuri. Schirach. coniungit *miserrima dona*, i. quae miserias afferunt. Melius *miserrima* Deianira intelligitur.

159 Indutus illa veste sacra sacrificia, quae vs. 136. parauerat. Tanta autem erat veneni illius vis, vt statim a principio sacrorum corpus penetraret Cf. VI, 164. et Senec. Herc. Oet. 775 sqq. *primis flammis*; tura enim in principio sacrorum iniiciebantur flammis, additis *verbis precantibus* s. precibus Tibul III, 3, 2. *Blandaque cum multa tura dedisse prece.* Cum *dabat flammis* coniunxit etiam *verba precantia*, more poetarum. Virg. Aen. VII, 237. *Praeferre manibus vittas et precantia verba.* Vt hic *verba precantia*, sic infra vs. 215. *verba excusantia* et V, 105. *verba exsecrantia.* — *marmoreas*, omnino lapideas. *vis mali*, malum, venenum. *Incaluit*, quia venena calore vim suam recipiunt. Hinc passim *calida venena. abiit diffusa* pro, diffusa est.

Dum potuit, solita gemitum virtute repressit.
Victa malis postquam patientia, repulit aras;
Impleuitque suis nemorosum vocibus Oeten.
Nec mora; letiferam conatur scindere vestem:
Qua trahitur, trahit illa cutem; foedumque relatu,
Aut haeret membris frustra tentata reuelli;
Aut laceros artus, et grandia detegit ossa.
Ipse cruor, gelido ceu quondam lamina candens
Tincta lacu, stridit, coquiturque ardente veneno.

165 Vulgo *nemorosam*, aeque recte. 171 Antiquum *stridit* dedit Heinst. e S. Marci, Neap. et tribus aliis.

163 In seqq. videndum erat, ne quid ipso indignum tribueretur heroi dolenti. *malis*, cruciatibus. Mox mireris, quomodo Alcides Ioui Cenaeo in Euboeae promontorio sacra faciens *Oeten* vocibus suis impleuerit. Nempe festinat Ouid. et omittit multa e Diod. Sic. item ex Argum. Trach. Sophocl. Apollod. et aliunde supplenda. Hercules enim cum sentiret vim veneni, Lichan in mare praecipitat, tum Trachinem proficiscitur ad Deianiram, tandem in *Oeten* montem, quippe Ioui sacrum, se deferri iussit, cuius *nemora* tum denique *vocibus suis impleuit.* Hinc *Hercules Oetaeus* in Senec. tragoed. et *Herculeus Oeta* Lucan. III, 177. Lenzius putat, Herculem ad ipsam aram in Euboea ita clamasse, vt Oete, mons inter Locros et Thessaliam, vocibus eius resonaret. Comparat Sophocl. 787 s. Senec. Herc. Oet. 803 s. Sed vs. 204. *per altum Oeten graditur.* Nec ibi memorauit poeta, quomodo, aut quo tempore illuc peruenerit. Vtrumque recte dr. et *nemorosum*, et, quod habent alii, *nemorosam.* v. Heinst. et Burm.

166 Sequitur loc. non minus iniucundus, quam supra VI, 387 sqq. Marsyae laniatio. Ap. Sophocl interprete Cic. Tusc II, 8. vestis *lateri inhaerens morsu lacerat viscera.* Apollod. τὸν δὲ χιτῶνα ἀπίσπα προσπεφυκότα τῷ σώματι· συναπεσπῶντο δὲ αἱ σάρκες αὐτῷ. *Laceros artus* vestis, *ossa* caro detracta detegit. Priscis heroibus vasta corpora et *grandia ossa* tribui solebant. Virg. G. I, 497. Claudian. Laud. Stilic. I, 137.

170 Inepta similitudo, qua calidus corporis humani cruor cum gelido lacu comparatur. Obiicit Lenzius, poëtam *stridorem* tantum illustrare voluisse. Est ita. Verum calidus sanguis, vbi veneno infuso magis accenditur, non edit stridorem, qualem edit lamina candens etc. Expressit autem Lucret. VI, 147. *Vt calidis candens ferrum e fornacibus olim Stridit, vbi in gelidum propere demersimus imbrem.* Praeiuerat Homer. Od. 2, 391. — *Quondam*, vt *olim* ap. Lucret. et infra XI, 508. in similitudine a poëtis ponitur pro, nonnunquam, fere. *lamina*, ferrum. *tincta*, scil. ad indurandum. *lacus*, aqua. Heyn. ad Virg. G. IV, 172. ipsa vasa per lacus intelligi putat. *Stridit* antique pro, *stridet.* v. Heinst. et Burm. Eadem similitudo infra occurrit XII, 275 sqq.

Nec modus eſt: ſorbent auidae praecordia flammae,
Coeruleusque fluit toto de corpore ſudor:
Ambuſtique ſonant nerui: caecaque medullis
Tabe liquefactis, tendens ad ſidera palmas,
Cladibus, exclamat, Saturnia, paſcere noſtris:
Paſcere, et hanc peſtem ſpecta, crudelis, ab alto:
Corque ferum ſatia: vel ſi miſerandus et hoſti,
(Hoſtis enim tibi ſum) diris cruciatibus aegram,
Inuiſamque animam, natamque laboribus, aufer.
Mors mihi munus erit: decet haec dare dona nouercam.
Ergo ego foedantem peregrino templa cruore

172 Heinſ. malit, *Nec modus: exſorbent.* Mox idem ſuadebat *ruit* pro *fluit.* 174 *ſonant.* Barber *gemunt*, quod verb. ap. poëtas omnino eſt, ſonum edere. 175 *tendens* eſt e Baſil. et alio. Caeteri *tollens.*

172 Homius in Element. Crit. To. II, p. 301. h. vſ. examinat et improbat; *flammam* enim nunc dici tropice de aeſtu interno, itaque non debuiſſe tropum ab alia re petitum, *ſorbere*, addi. Sed facile, opinor, poterit ab hoc vituperio defendi. Etenim primum *flamma* h. l. propemodum pr. accipi poteſt, quandoquidem ei vis coquendi et liqueſaciendi atque ſonitus tribuitur. Deinde etiam τὸ *ſorbere* rapacitati flammae propemodum proprie conuenit. Denique calidum poëtarum ingenium non exigendum eſt in ſingulis verbis ad artis praecepta. V. Erneſti Init. Rhet. §. 319. vbi ſimiliter defendit illud Catulli, *tenuis ſub artus flamma dimanat.* Sed ideo vituperandus poëta videtur, quod corpus non aliter ac ligna arida ardens finxit.

173 *Coeruleus*, niger, vt *caeruleus imber* ap. Virg. aut *caerulea nubes*, κυανὴ νεφέλη. Non igitur Rode vertere debebat, *der blaue Schweiß*, nec paullo poſt, *die Nerven klingen.* Immo, *die Sehnen praſſelten.* Per *nervos* Veteres etiam intellexerunt tendines, muſculos et vincula membrorum. Gellius XIII, 22. *caeca tabe*, (vt III, 490. *caeco igni.*) veneno intus ardente.

176 Primum in Iunonem multa cum acerbitate inuehitur, non modo quia infeſta ei ſemper fuerat, ſed etiam quia opera eius quaedam fuiſſe videtur in hoc ipſo cruciatu efficiendo. Certe Hom. Il. σ, 119. fatum Herculem domat et *grauis ira Iunonis.* Apud Sophoclem autem de vna coniuge queritur. *Cor ferum*, animus, qui *paſcitur*, delectatur, *peſte*, cruciatibus alterius. Is *fatiatur*, cum immani eius cupiditati ſatisfit immenſa hoſtis miſeria. Atqui tales χωριστικὰς maximo et digniſſimo odio auerſamur. Eadem verba et ſupra occurrunt VI, 280.

182 Incipit labores ſuos commemorare, qui ab innumeris fere auctoribus recenſentur, de quibus Heyne ad Apollod. 2, 4, 8. Propter eos, cum ſalutares Graecis aut eſſent, aut eſſe crederentur, inter Deos relatus eſt. Minuit tamen Herculis laudes Lucret. V, 22—43. vbi docet, diuinis honoribus digniorem eſſe, qui puro pectore

Buſirin domui? ſacuaque alimenta parentis
Antaeo eripui? nec me paſtoris Iberi
Forma triplex, nec forma triplex tua, Cerbere, mouit?
Vosne manus validi preſſiſtis cornua tauri?
Veſtrum opus Elis habet, veſtrum Stymphalides vndae,
Partheniumque nemus? veſtra virtute relatus
Thermodontiaco caelatus baltheus auro,
Pomaque ab inſomni male cuſtodita dracone?

187 Vnus Voſſian. *Elis eſt.* Hinc Heinſ. ſcribendum cenſet, *Veſtrum eſt Elis opus?* vel, *Veſtrum opus Elis erat?* Male; non enim Elis condita erat manibus Herculis. 190 *male* dedit Heinſ. Ante eum edeb. *non cuſtodita.* Plurimi Codd. *concuſtodita*, quod degeneraſſe ex *non cuſt.* Heinſ. monet. Sed Gebhard. III Crep. 23. illud probat, quia Atlas, Heſperides filiae ac draco cuſtodes coadditi fuerant.

viuere homines doceat. Neque Lactant. Inſt. div. I, 8. magnopere iſtis laboribus ſanet. Sed Herculis gloria ex antiquiſſimorum Graecorum ſenſu et moribus aeſtimanda eſt, apud quos fortitudo bellica ſumma et vna virtus habebatur.

Ergo indignantis eſt ob labores ſtruſtra ſuſceptos. Sic commode eorum fit mentio, ſed breuiter, vt par erat, et verbis ſignificantiſſimis, quibus magnitudo meritorum et fortitudinis Herculis praeclare declaratur. Ex eo genere ſunt, *foedans templa, ſaeuus* Antaeus, hydra *geminas vires reſumens*, equi *humana ſanguine pingues*, *vaſtator* aper, *moles* leonis etc. Cf. Sophocl. Trach. vſ. 1054 ſqq. quae Noſter expreſſit. *peregrino cruore*, ſanguine hoſpitum, quos Diis ſuis immolabat Buſiris, rex Aegypti. *domui*, ipſum et miniſtros ſacrorum claua interfeci. *Antaeum* Libycum non vſitato luctantium more vicit, vt eum ad terram daret, (namque cum Terram, quae erat eius *parens*, attingeret, *alimenta* inde et nouas vires accipiebat) ſed brachio eum ſuſtulit, manuque fauces eius compreſſit, vt intel. e nummo antiquo, quem exhibet Gronov. in Diatrib. Statian. cp. XXV.

184 *paſtoris Iberi forma triplex*, Geryon, τρισώματος βωτὴρ Ἐρυθείας Eurip. Herc. Fur. 423. *Tripectora tergemini vis Geryonai.* Lucret. V, 28. Nempe inſulam Erytheam (hodie Cadix), pabuli laetitia inſignem, tres fratres concordes habuiſſe videntur, quorum armenta ſummae famae fuere. v. Iuſtin. 44, 4. qui fab. ſatis probabiliter interpretatur. Adde Palaeph. cap. 25. et 40. *mouit*, deterruit.

186 *preſſiſtis cornua*, more Veterum, qui taurorum, quos debellare volebant, cornua ad terram deducebant. V. ſupra vſ. 84. Sic ergo et Hercules *validum* illum *taurum* apud Cretenſes vicit, viuumque ad Euryſthea perduxit. In *Parthenio*, Arcadico, *nemore*, cerua fuit Dianae.

189 *baltheus* ille, quem habebat regina Amazonum, ad *Thermodontem*, Cappadociae fluuium, habitantium, ſymbolum erat imperii. Iuſtin. II, 4. De *pomis* Heſperidum v. ad IV, 636. *male*, fruſtra. v. Burm.

Nec mihi Centauri potuere reſiſtere, nec mî
Arcadiae vaſtator aper? nec profuit Hydrae
Creſcere per damnum, geminasque reſumere vires?
Quid? cum Thracas equos, humano ſanguine pingues,
Plenaque corporibus laceris praeſepia vidi,
Viſaque deieci, dominumque, ipſosque peremi?
His eliſa iacet moles Nemeaea lacertis?
Hac coelum ceruice tuli? Deſeſſa iubendo eſt
Saeua Iouis coniux: ego ſum indefeſſus agendo.
Sed noua peſtis adeſt, cui nec virtute reſiſti,

196 Heinſ. malit *disieci*. 197 *moles*. Primus Gronov. et prior Twisd. *peſtis*. Poſt h. vſ. olim legebatur hic: *Caeus et horrendum Tiberino Gurgite (aut litore) monſtrum*, quem expunxit Nauger. quia in plurimis antiquis Mſſ. non reperitur.

193 Cf. vſ. 70. Horat. IV od. 4. 59 *per damna ditere opes*. Diomedis, regis Thraciae, equos, quibus hoſpites deuorandi obiiciebantur, ſecundum alios vinos adduxit ad Euryſthea. Ex interpretat. Theonis Sophiſtae Progymn. cp. 6. et Palaeph. cp. 4. Diomedes equis alendis ad pauperatem redactus originem fabulae dedit de equis eius ἀνδροφάγοις. Eamque interpretationem probat Gronov. Obſ. IV, 24. vbi docet exemplis allatis 1) patrimonium veteres dixiſſe *viſcera*, *neruos*, *ſanguinem*, *vires*, *vitalia*. 2) qui patrimonium alterius minuant, dici, *deuorare*, *comedere* eum, *exſugere* eius *ſanguinem*. — *pingues ſanguine* melius, quam *paſtos ſang.* quod alii habent. Horat. II od. 1, 29. *ſanguine pinguis campus*.

197 Sophocl. ex interpret. Cic. *O pectora, o terga, o lacertorum tori! Veſtrone preſſu quondam Nemeaeus leo Frendens efflauit graviter extremum halitum?* — *Moles Nemeaea*, vaſtus leo Nemeaeus. Curt. VIII, 13, 10. *ingentes vaſtorum corporum moles*. Statius Theb. VI, 835. *Herculea non mole minor*. Liv. XXI, 22. *moles* eſt ſerpens ingentis magnitudinis. Virg Aen. III, 656. *vaſta* Polyphemi *moles*. Claudian. in Eutrop II, 377 *craſſa mole leo*. Peſſime igitur Safftius: Haben nicht dieſe Arme jenen Damm, der den Eingang des Nemaeiſchen Waldes verſperrte, zerriſſen? — *Coelum ceruice tulit*, cum Atlantem miſiſſet ad mala Heſperidum apportanda, eique coelum *farcina parua fuit*. Heroidd. d. l. 58. Et *firmior Herculea mundus ceruice pependit*. Claudian R. P. II. praef. 47. adde Laud. Stilic. I, 143. Fabulam interpretatur Seru. ad Aen. IV, 745. *Hic* (Atlas) *quod annum in tempora diuiſerit, et primus ſtellarum curſus vel circulorum, vel ſiderum tranſitum naturasque deſcripſerit, coelum dictus eſt ſuſtinere. Quia nepotem ſuum Mercurium et Herculem docuiſſe dicitur, inde Hercules coelum ab Atlante ſuſceptum ſuſtinuiſſe narratur, propter coeli ſcientiam traditam*. Cf. Albricus de Deorum Imagg. c. 22.

198 Hoc ipſa Iuno fatetur ap. Senec. Herc. Fur. 41. *Minorque labor eſt Herculi, inſſa exſequi, Quam mihi iubere*. Hinc Valer. Flac. V, 43. vr. *monſtriferae par nouercae*.

Nec telis, armisue poteſt. Pulmonibus errat
Ignis edax imis, perque omnes paſcitur artus.
At valet Euryſtheus, et ſunt, qui credere poſſint
Eſſe Deos? dixit: perque altum ſaucius Oeten
Haud aliter graditur, quam ſi venabula tigris
Corpore fixa gerat, factique refugerit auctor.
Saepe illum gemitus edentem, ſaepe frementem,
Saepe retentantem totas refringere veſtes,
Sternentemque trabes, iraſcentemque videres
Montibus, aut patrio tendentem brachia coelo.
Ecce Lichan trepidum, et latitantem rupe cauata
Adſpicit: vtque dolor rabiem collegerat omnem,
Tune, Licha, dixit, feralia dona tuliſti?
Tune meae necis auctor eris? Tremit ille, pauetque

204 *altum* dedit Heinſ. ex Florent. S. Marci et aliis quibusdam. Plurimi, *altam*. 205 *tigris* praefert Florent. S. Marci. Sed alter Hamb. *pardus*. Duo, *ceruus*. Vulgo, *taurus*. *Tigris* optime conuenit h. comparationi. 207 *frementem* adoptauit Heinſ. ex Cod. Sprotii, quia hoc dignius Hercule, quam *trementem*. 208 Capofer. coni. *infringere ſiluas*. Male. 211 *cauata*. Gebhard. ex Palat. *caduca*, vt imminens intelligatur.

201 *telis* vis infertur, *armis* corpus tegitur et defenditur. Male igitur Rode, *noch Geſchoß, noch Gewehr*. *Pulmonibus*, per pulmones. II, 801. *medio pulmone*.

203 Miſeri, cum aduerſarios ſuos valentes vident, facile inducuntur, vt de prouidentia diuina dubitent. *eſſe Deos*, ſc. qui curam gerant rerum humanarum. Cf. Claudian. in Rufin. I, 18. *Eſſe* omnino Deos negare non poterat, cum antea ipſe Iunonem compellaſſet.

205 Grauiter cruciatus Herculis notantur. *fremere* iratorum eſt. v. Heinſ. ad I, 199. *infringere veſtes* pro diſcindere, inſolens. Dedi ergo ex Genev. et vno Heinſ. *refringere*, quod et Burm. arridebat. *retententem*, denuo tentantem. Tentauerat iam vſ. 166. — *Montibus iraſcens* Hercules vix ferri poteſt. Heinſ. coni. *incurſantemque*, vt XIV, 188. Polyphemus ſimiliter furens *rupibus incurſat*. Sed Burm. *iraſcentem* abſolute capit, et *montibus* coniungit cum ſqq. Lenzius *montibus* explicat, in montibus. Nobis Heinſii emendat. placet prae his interprett. nam vſ. 207. iam induxit eum poeta *frementem*, i. iraſcentem, mox *ſternentem trabes*. Nunc vero rurſus ſimpl. *iraſcentem* ſubieciſſe credamus? Imo *ſternens trabes* et *incurſans montibus* bene conueniunt. *coelo*, ad coelum.

211 *Rabiem collegerat*, fecerat, vt *rabies*, ſummus furoris gradus, omnis erumperet. *Colligere rabiem* eſt etiam I, 234. *collectum odium* III, 258. *colligere ſitim* VI, 341. *Tune*, qui es et famulus meus et ſeruili conditione homo. Ideoque repetit hoc voc.

Pallidus, et timide verba excusantia dicit.
Dicentem, genibusque manus adhibere parantem,
Corripit Alcides, et terque quaterque rotatum
Mittit in Euboïcas, tormento fortius, undas.
Ille per aërias pendens induruit auras.
Vtque ferunt imbres gelidis concrescere ventis;
Inde nives fieri; nivibus quoque molle rotatis
Adstringi, et spissa glomerari grandine corpus:
Sic illum validis actum per inane lacertis,
Exsanguemque metu, nec quidquam humoris haben-
In rigidas versum silices prior edidit aetas. (tem,
Nunc quoque in Euboïco scopulus breuis emicat alte

221 Vulgo, *mole*. 223 *actum* ex altero Regio recepit Heins. pro *iactum*. 225 *rigidas* Heins. cum uno Medic. et Rotrendorph. Caeteri *rigidos*. 226 *emicat*. Hoc ex Palat. alteri *eminet* Gebhard. cum Grutero praetulit.

216 *genibus manus adhibere*, genua amplecti. Claudian. R. P. I, 50. *genibus admouere manus*. Is ritus fuit supplicum. Cum seqq. cf. Senec. Herc. Oet. 817 sqq. qui non satis feliciter Nostrum expressit. Etiam Hygin. fab. 36. *rotatum in mare iaculatus est*. Inde fretum illud ab Aeschylo dictum τύμβος ἀθλίᾳ Λίχα. Ap. Sophocl. 793. Lichas petrae alliditur. Non mirum est, Nostrum praetulisse transformationem.

219 *Pendere* pr. drr. qui tam leniter volant, vt alae non magnopere moueantur. v. ad II, 708. Sed h. l. omnino volare. *aërias auras* dixerunt etiam Lucret. V, 502. Virg. Aen. V, 520. et Noster X, 178. vbi v. not.

220—225 Inepta similitudo, quamquam etiam Lucret. VI, 498 sqq. nubes cum corpore et aquas in nubibus cum sanguine comparat. *Molle*, quod Bersmanno debetur, probat etiam Heins qui monet, referendum ad *corpus*. Plin. H. N. II, 60. *Grandinem congelaciato imbre gigni, et niuem eodem humore mollius coacto*. — *Adstringi* pr. de glacie et grandine. v. ad I, 120. *grandine*, in grandinem, vt supra *tauro mutari*, et infra *alite verti*. In *exsanguem metu* frigidus est ingenii lusus. De *validis* Herculis *lacertis* v. Heins. ad XV, 230. *prior aetas*, vetustas. Infra XV, 445. *priores anni*. Terent. Eun. II, 2. *seculum prius*. Et saepe *priores*, qui olim vixerunt.

226 *breuem* explicant non latum, (Sic Liv. XXI, 35. *breues montes*. Noster Heroidd. XVIII, 174. *breuis aqua*.) qui sane *alte* eminere potest. Sed cum vetustiores plerique Mss. *alto* habeant, Heins. reponendum censet, *in Euboici — alto gurgite*, vel *Euboici alti*. *Euboicum* vt alibi *Aegaeum* et similia. v. Brouckh. ad Propert. III, 5, 11. *emicat*, eminet. Vt montes *assurgere*, sic eminentes partes *emicare, prosilire* etc. suaviter drr. Forte scopulus quidam ibi referebat vtcunque formam humanam. Inde fabula.

Gurgite, et humanae seruat vestigia formae.
Quem, quasi sensurum, nautae calcare verentur,
Adpellantque Lichan. At tu, Iouis inclyta proles,
Arboribus caesis, quas ardua gesserat Oete,
Inque pyram structis, arcus, pharetramque capacem,
Regnaque visuras iterum Troiana sagittas
Ferre iubes Poeante satum: quo flamma ministro
Subdita, dumque auidis comprenditur ignibus agger;
Congeriem siluae Nemeaeo vellere summam
Sternis, et imposita clauae ceruice recumbis,
Haud alio vultu, quam si conuiua iaceres,
Inter plena meri redimitus pocula sertis.
Iamque valens, et in omne latus diffusa sonabat, *Herc. Apotheos.*
Securosque artus, contemtoremque petebat
Flamma suum. Timuere Dii pro vindice terrae.
Quos ita (sensit enim) laeto Saturnius ore
Iuppiter adloquitur: Nostra est timor iste voluptas,

232 Heins. coni. *Regnaque versuras*. Alterum satis poëtice. Vnus, *Bellaque visuras*.

233 Cf. Senec. Herc. Oet. 1607 sqq. Cum hac Herculis combustione Aiacis funus comparat Quint. Cal. V, 642 sqq. *Poeante satus*, Philoctetes, qui pyram accendit Herculis, pro eoque officio praeter reliqua arma etiam *sagittas* eius accepit venenatas, sine quibus Troia capi non poterat. v. ad XIII, 45. Apud Sophocl. 1193. Hyllus, adhibitis sociis, pyram struit, et secundum nonnullos Poeas eam accendit. Apud Iulian. Orat. VII, p. 408. Iupiter ipse pyram accendit fulmine. Locus, vbi res illa gesta, seruoribus adhuc temporibus ostendebatur. Liv. 36, 30. *iterum visuras*. Viderant primum, cum Hercules Laomedontem impugnaret. *Ferre*, deportare.

237 Dignus Hercule exitus. Senec. d. l. vs. 1683. *Quis sic triumphans laetus in curru fletit Victor!* Mors enim ei munus erat vs. 181. *Recumbere* in armis solebant heroes.

FAB. IV. vs. 239—272 *Herculis Apotheosis*.

239 *Valere* et *conualescere* flamma dr. cum alimentorum satis habet et accipit. Excellenter autem animum expressit, quo Hercules mortem tulit, *securos artus, contemtoremque suum*, corpus Herculis non anxii et contemnentis flammam. Bene etiam, *flamma petebat contemtorem suum*.

241 *Vindex terrae*, (ἀλεξίκακος et σωτὴρ Graecis dicitur Hercules) egregius titulus, quem meruerat Hercules, quia hominibus implis ferisque immanibus interimendis salutem et securitatem dederat terris. Magnae ei etiam laudi est, quod ipsi Dii pro eo timuerunt.

O Superi; totoque libens mihi pectore grator,
Quod memoris populi dicor rectorque paterque,
Et mea progenies veſtro quoque tuta fauore eſt.
Nam quamquam ipſius datur hoc immanibus actis;
Obligor ipſe tamen. Sed enim, ne pectora vano
Fida metu paueant, Oetaeas ſpernite flammas.
Omnia qui vicit, vincet, quos cernitis, ignes,
Nec niſi materna Vulcanum parte potentem
Sentiet. Aeternum eſt, a me quod traxit, et expers
Atque immune necis, nullaque domabile flamma.
Idque ego defunctum terra coeleſtibus oris
Accipiam, cunctisque meum laetabile factum
Dis fore confido. Si quis tamen Hercule, ſi quis
Forte Deo dolituruſ erit: data praemia nolet;
Sed meruiſſe dari ſciet, inuitusque probabit.
Adſenſere Dei, coniux quoque regia viſa eſt

247 Vulg. *datis hoc.* Porro, Medic. vnus et Leid. *inſignibus actis*, quod Burm. defendi poſſe putat ex Heroidd. III, 121 Actum eſt efficacius. Horat. II Ep. 1, 6 *ingentia facta* Bacchi, Bo[illegible]ni etc. 253 Heinſ. ſuadet *nullique ſi mmae*; [illegible] vnus ex eiu[illegible] Mſſ habet *nulliqua*. Approb[illegible] Burm. [illegible]o *populabile flammae*. 257 Burm. malit, *dolituruſ, et haec data praemia nolet; At meruiſſe.*

245 *populus*, coetus Deorum, timore ſuo *meritorem* ſe oſtendebat beneficiorum ab Hercule hominibus praeſtitorum. *tuta fauore.* Virg. Aen. V, 343. *tutatur fauor Eurytum.*

247 *Hoc datur eius aſtris*, haec ſollicitudo oritur propter eius acta. *immania*, quae vulgo ſtupenda vocamus, acta inauditae fortitudinis. Etiam Trift. II, 335. *immania Caeſaris acta.* Catal. Pith. p. 66. *ingentia Conſulis acta.* Occurrit etiam *immanis gloria, immanis victoria.*

250 *Omnia qui vicit.* Hinc *invictus Hercules* et in monumentis et apud poetas. *Vulcanum potentem* dignius, quam, ignem rapidum. Ioue genitorum corpora ex duplici materia compoſita erant, mortali et immortali, ita tamen, vt haec praeualeret. Illam a matre habebant, hanc a patre. v. Philo p. 881. Diuinum corpus Herculi tribuit Iulian. Orat. VII. p. 408.

254 *defunctum terra*, ſuperatis omnibus moleſtiis et viciſſitudinibus, quae ſubeundae ſunt hominibus in terra. *oris*, in oras.

256 *Hercule* et *Deo dolere* paullo durius, dolere Herculem in coelum acceptum, atque adeo inter Deos relatum. Mox *τὸ ſed* turbare videbatur nonnullis ſtructuram orationis Vid. Varr. lect. Sed Lenzius recte vidit, *data pr. nolet* apodoſin habere; eique rationi nos accommodauimus interpunctionem.

Cetera non duro, duro tamen vltima vultu
Dicta tuliſſe Iouis, ſeque indoluiſſe notatam.
Interea, quodcumque fuit populabile flammae,
Mulciber abſtulerat; nec cognoſcenda remanſit
Herculis effigies, nec quidquam ab imagine ductum
Matris habet: tantumque Iouis veſtigia ſeruat.
Vtque nouus ſerpens, poſita cum pelle ſenecta,
Luxuriare ſolet, ſquamaque virere recenti:
Sic, vbi mortales Tirynthius exuit artus;

264 *ab origine* Heinſ. cum Gronov. et Medic. Caeteri *ab imagine.* 267 *virere* habent Palat. et Ambroſ. Reliqui, *nitere.*

260 *durus vultus*, vultus eius, qui habet *durum*, i. iracundum et inexorabilem animum. Contra X, 609. eſt *mollis vultus*, et III Pont. 1, 166. *non duri vultus.* Supra VII, 862. *vultus melior*, minus durus. *Caetera* non duro vultu audit, quia poſuerat iram e vſ. 135. Auctore Diod. adoptavit adeo Herculem. Par erat eius etiam in exitu Herculis mentionem facere. *Notare* eleganter, cum aliquem non nominamus quidem, ſed ita deſcribimus, deſcribendoque carpimus, vt facile agnoſci poſſit. Cic. Mil. 18. ſic dixit *deſcribere.*

262 *Populabile* nouum et ab Ouid. factum voc. Inſignis Herculis voracitas, quam ridet Ariſtoph. Ran. 63 557 ſqq. non videtur populabilis fuiſſe; ea enim in coelo quoque manſit. Callim. h. Dian. 159. Cf. Senec. Herc. Oet. 1966. *Effigies* pro forma paſſim ap. Hygin. Illam autem effigiem quomodo artifices expreſſerint, docet Winkelm. H. A p. 162 et 369. item Heyne in antiqu. Aufſätzen I, 29 f. *Iouis veſtigia*, partes, quas a Ioue acceperat. quae docebant, eum eſſe Iouis filium. *ab imagine matris*, a matre, aut ab natura materna.

266 Egregia ſimilitudo. *Novus*, renouatus, *poſita ſenecta.* Etiam Plin. VIII, 31. dixit, *angues ſenectutem exuere.* Cf. ſupra VII, 237. Virg. G. III, 437. *Nunc poſitis nouus exuuiis nitidusque iuuenta.* Tibul. I, 4, 35. *ſerpens nouus exuit annos*, vbi Heyn. monet, hoc exemplum a ſimilitudine potius, quam a rei veritate ductum eſſe; exuuiis enim poſitis ſerpentes non ad iuuentam redire. *Luxuriare* de laetis incrementis capiendum, vt VII, 292. Plin. pan. 82. *laetum corpus et creſcentia membra.* Male h. l. Rode, *muthwillig ſcherzt.* *Virere* verb. delectum, quod et viuidos colores, et vigorem iuuenilem declarat. Claudian. Laud. Stilic. II, 430. *Perpetuum viret ſquamis.* Plin. H. N. VIII, 27. *Anguis hiberno ſitu membrana corporis obducta foeniculi ſucco impedimentum illud exuit, nitidusque vernat.*

268 Minuc. Fel. 21. *Hercules, vt hominem exuat, Oetaeis ignibus crematur.* De v. *exuere* v ad X, 104 *auguſta grauitate*, diuina maieſtate. IV, 539 *maieſtatem verendam impoſuit.* Claudian. R. P. I, 79. de Plutone, *nigra verendus maieſtate.* *Verendus* melius de Diis adhibetur, quam alibi, *timendus.* Illud enim ductum a pieta-

Parte sui meliore viget, maiorque videri
Coepit, et augusta fieri grauitate verendus.
Quem pater omnipotens inter caua nubila raptum
Quadriiugo curru radiantibus intulit astris.
Alcmene parturiens Sensit Atlas pondus. Neque adhuc Stheneleïus iras
Soluerat Eurystheus; odiumque in prole paternum
Exercebat atrox. At longis anxia curis
Argolis Alcmene, quæstus vbi ponat aniles,
Cui referat nati testatos orbe labores,
Cuiue suos casus, Iolen habet. Herculis illam
Imperiis, thalamoque animoque receperat Hyllus:

te liberorum, qui *verentur* parentes.

272 Non puto, poëtam hic respexisse *quadriiugum currum*, quo Romae Imperatores triumphantes vrbem ingrediebantur, vt diceret, Herculem veluti in triumpho in coelum acceptum, sed intel. *quadr. currus* ipsius Iouis. Similiter Ariadnen Bacchus *lyncibus suis* in coelum vexisse legitur ap. Propert. III, 15, 8. Secundum Apollod. nubes Herculem cum tonitru exceptum in coelum vexit. *astris*. Ibi tenet magnum spatium inter Coronam, Ophiuchum, Lyram et Draconem. *radiantibus*, v. ad II, 4.

FAB. V. vs. 273 — 323 *Alcmenae Iolae* narrat difficilem partum suum, Galanthidisque in mustelam mutationem. Cf. Homer. Il. τ, 95 sqq. Anton. Lib. cap. 29. Commode Alcmena ipsa nurui grauidae hanc fab. narrat.

273 *Pondus*. Claudian. Gigant. 23. *flammantia pondera*, sidera. Imitatus Noſtrum est Senec. Herc Oet. 1599. vbi *lassus Atlas* adeo *titubat*, item Lucan. I, 56. Neroni adulans, *Aetheris immensi partem si pressseris vnam, Sentiet axis onus, librati pondera coeli. Orbe tene medio. Eurystheus*, Stheneli filius, vltimus posterorum Persei, nondum depositerat iram (*soluere iras, metum, pudorem* etc. formulae poëtarum sollemnes pro, soluere animum metu, ira.. Affectus enim veluti fixi haerent in animo.) *odiumque paternum*, in patrem conceptum, *in prole* (pro, *in prolem*. v. Burm.) in posteros Herculis exercebat, quos regno suo expulit, Athenienſibusque, qui eos receperant, bellum intulit, in quo ipse cum filiis periit. Apollod. lib. 2, 8, 1. *atrox*, ferus, immanis, qui odium non finiebat morte hostis, sed in posteros quoque immeritos exercebat.

275—78 *Alcmene*, Electryonis, Mycenarum in *Argolide* regis, filia, *Iolen* habet conuictricem, *vbi*, apud quam, in cuius sinu *ponat*, deponat, effundat questus *aniles*, vel anibus vsitatos, vel omnino suos. *Longis curis*, longa curarum serie. *Testatos orbe*, in toto terrarum orbe, in disiunctissimis terris perpetratos. Senec. Herc. Fur. 36. *qua lucem premit Aperitque* Tethys, *indomita virtus colitur, et toto Deus narratur orbe*. Locus, vbi aliquid gestum est, rem illam *testari* monumentis quibusdam dr. Horat. II od. 1, 31. IV, 4, 38.

Impleratque vterum generoso germine. Cui sic
Incipit Alcmene: Faueant tibi numina saltem,
Corripiantque moras, tum cum matura vocabis
Praepositam timidis parientibus Ilithyiam;
Quam mihi difficilem Iunonis gratia fecit.
Namque laboriferi cum iam natalis adesset
Herculis, et decimum premeretur sidere signum;
Tendebat grauitas vterum mihi: quodque ferebam,
Tantum erat, vt posses auctorem dicere tecti
Ponderis esse Iouem. Nec iam tolerare labores
Vlterius poteram: quin nunc quoque frigidus artus,
Dum loquor, horror habet; parsque est meminisse do-
Septem ego per noctes, totidem cruciata diebus, (loris.

280 *germine* debetur vetustioribus multis, et est exquisitius vulg. *semine*. 283 P. Vatic. et duodecim alii, *tumidis*, quod sane de parturientibus dr. 291 *habet*. Neap. sec. Medic. et Vrbin. *adit*. Inde Heins. coni. *obit*. Sed v. not.

279 *Imperiis*, imperio. Apollod. d. l. κατὰ τὴν τοῦ πατρὸς ἀνατολήν. Burm. monet, poëtam maluisse *imperiis*, quam *imperio*, quod habent plurimi Mss. ne tres Ablatiui in *o* concurrerent. Aut si *imperio* recipiendum sit, se cum Heinsio legere, *imperio thalamisque*. — *thalamo recipere* nunc de coniugio, interdum de vno concubitu capiendum. Hygin. fab. 29. *Alcumena Iouem thalamis recepit. Animo recipere*, amare. *Hyllus*, Herculis e Deianira filius natu maior. *Germen* de embryone.

281 Cum bonis votis incipit. *Ilithyia*, Εἰλείθυια, Diana, quae praeesse partubus credebatur, quod ii maturescunt certis Lunae (quae eadem cum Diana) curribus. Cic. N. D. II, 27. Romanis *Lucina* et *Iuno Lucina* dicta. Ea cum *corripit moras*, accelerat partum, ὠκυλοχεῖαι Graecis dr. *matura*, vicina partui, vt Iustin. XIII, 2. Et est verb. pr. mulierum grauidarum, quibus, tropo a foetibus arborum petito, *maturum onus* aut *pondus*, *maturus venter*, *maturi nisus* etc. tribuuntur. *Vocabis*, inuocabis: Iuno Lucina, fer opem, obsecro! Vt *facilis* Deus (V, 559.), qui facile exaudit preces, auxilio suo praesens est, sic contra *difficilis* Dea, quae auxilium suum denegat.

285 *Laborifer* delectum Herculis epitheton. *Decimum — signum*, decimo mense. *Signum*, sidus zodiaci. *Premeretur* elegantius, quam, cum intrauisset *sidus* i. sol decimum signum. Sol *premit* loca, ad quae accedit. XIV, 416. *Grauitas*, graue onus. *Tendebat*, extendebat, vt X, 506, *quod ferebam*. Amant Graeci et Latini Neutrum de quouis foetu. v. Gronov. Obs. III, 2. *telli ponderis*. Senec. Epist. 124. *Ille, qui maternorum viscerum onus latens est. — auctor*, vt Heroidd. VI, 20. *mihi grauidae fecerat auctor onus*.

291 *horror habet artus*. Amat Noster hanc formam loquendi. VIII, 84. *habet pectora somnus*.

Feſſa malis, tendensque ad coelum brachia, magno
Lucinam, Nixosque pares, clamore vocabam.
Illa quidem venit, ſed praecorrupta, meumque
Quae donare caput Iunoni vellet iniquae.
Vtque meos audit gemitus, ſubſedit in illa

294 Vulgo, *ad nexos partus*. Vnus Vatic. et Ciofan. *ad nexusque pares*. Dan. Heinſ. ex Mſſ. protulit *ad niſus pares*, et coniecit, *ad niſus* vel *nixus partes*. Plerique vetuſtiores, *Lucinam nexusque pares*, niſi quod quidam *nixusque*, quod Turnebo probatum. Florent. S. Marci pro diuerſa lectione, *vel nixus vel noxas*. Prim. Medic. ſec. Palat. et duo alii, *nexosque pares*. Heinſ. elegit ex vno ſuo, *nixosque pares*, idemque olim legebat, *nixura pares*. 296 *vellet*. Vnus Medic. et Heinſ. *mallet*, probante Burm.

VII, 547. *habet languor omnia*. II I aſt. 754. *habet pectora frigus*. v. et infra ad X, 81.

294 *Nixos* aut *Nixios* puerperii praeſides fuiſſe volunt, a *nitendo* ſic dictos. Feſtus: *Nixii Dii tria ſigna appellantur in Capitolio* ante cellam *Minervae*, *genibus nixa, velut praeſidentes parientium nixibus*. Etiam Nonius eos parientibus praefuiſſe tradit. In Mſ. Twisdenio additum ſchol. *Nexi ſunt Di, qui connectunt membra mulierum ſoluta ad partum, unde dicuntur Nexi. Nixusque pares. Duo ſunt ſratres, Dii partus, ſicut et Lucinae*. Verum praeter grammaticos nemo auctorum veterum mentionem facit Nixorum aut Nexorum Deorum. Nec apparet, quo ſenſu hic dicantur *pares*, quod Burm. mutatum volebat in *Lares*, vt *Nixi* inter Deos lares ſint habiti. Schirach. defendit lect. vulg. *ad nexos partus*, quos cum Ganyraeo ad Iuuenal. Sat. II, 33. de partubus implicitis, impeditis adhuc in vtero, capit. Alcmenam igitur vocaſſe Lucinam, vt expediret nexos in vtero partus; ſed cum ſcribae non aſſequerentur vim iſtorum verborum, inde ortam eſſe varietatem lectionis. Ego vero arbitror, loc. ita eſſe conſtituendum, vt *Parcarum* hic fiat mentio. Dubium enim non eſt, Parcas vna cum Diana parturientibus praefuiſſe. Plato Sympoſ. p. 206. Deinde Anton. Lib. d. l. diſerte tradit, Alcmenam parturientem Dianam et Parcas expertam eſſe difficiles. Μοῖραι, inquit, καὶ Εἰλείθυια πρὸς χάριν τῆς Ἥρας κατεῖχον ἐν ταῖς ὠδῖσι τὴν Ἀλκμήνην. Fortaſſe verae lect. veſtigia latent in altero Twisdenio Mſ. *nexasque Deas*. Etiam Cod. Spirenſis *Nexasque* agnoſcit. Apud Homer. vſ. 119. Iuno retinet *Ilithyias* in numero Plural. Lactant. in Argum. nil praeter Ilithyiam memorat. Caeterum ap. Plaut. in Amphitr. Alcmene ſine doloribus parit.

295 Vocati Dii veniebant, etiamſi auxilium ferre nollent. X, 4. *praecorrupta* noua compoſitione, quam Iuno blanditiis et precibus iam ſuam fecerat, et ab Alcmena auerterat. *Donare Iunoni caput*, in Iunonis gratiam negligere ſalutem et vitam Alcmenae. *Iniquae*, iraſcenti. Apud Homer. et Apollod. moratur partum Alcmenae eo conſilio, vt Euryſtheus prius edi poſſit.

297 *in illa δεικτικῶς, in illa*, quam ante fores cernis. Supervacanea igitur eſt coniect. Heinſii, quam etiam Burm. probauit, *in ima ira*, i. in ima arae parte. Neque hanc emendat. poſtulat *ſubſedit*; id enim in altera lect. non minus locum habet. Lactantio in Arg. *in terra reſediſſe* dr. Verba ſeqq. plurimum lucis accipiunt a Plin. 2, 6. quem loc. commode adſcripſit Heinſ. *Aſſidere genuidis, vel cum remedium alicui adhibeatur, digitis pectinatim inter ſe implexis, veneficium eſt: idque compertum tradunt Alcmena Herculem pariente. Peius, ſi circa vnum amboue genua. Item poplites alternis genibus imponi. Ideo haec in conciliis ducum, poteſtatumue fieri vetuere maiores, velut omnem actum impedientia. Vetuere et ſacris votisue ſimili modo intereſſe*. In noſtro loc. ſyntaxis negotium fecit Grammaticis. Victor Giſelinus putabat, *preſſa eſt* ſynecdochice poſitum pro, *preſſit*. Sed eſt potius, preſſa eſt quoad laeuum genu a dextro poplite; pedes ita coniunxerat, vt dexter poples premeret laeuum genu. Plin. d. l. *poplites alternis genibus imponere*. — *pectine*, in formam pectinis, pectinatim. Brenius et obſcurius Antonin. Lib. cap. 29. ἐκαθέζοντο κρατῆσαι τὰς ἑαυτῶν χεῖρας. *Tacita*, leni. Alibi vidimus, quantam vim *carminibus* tribuerint magae. *tenuerunt*, κατεῖχον, retinuerunt. Paullo ante ſic, *ſuſtinuit*. *niti* de conatu pariendi, vt X, 507.

304 *queror*, querens profero. *media plebs*, tenuis, humilis, infima. VII, 432. *medium vulgus* opp. patribus. Contra infra vſ. 670. *ingenua de plebe*. Sed Anton. Lib. ex Nicandri Transformatt. tradit, hanc Galanthida (ipſi vr. Galinthias) fuiſſe Proeti Thebani filiam, quam ſibi conuictricem delegerit Alcmena. *Praemiuiſſra* Lactant. dr. *Flaua comas* vr. propter vſ. 320. — *neſcio quid*, aliquid occulti praeſtigii.

312 *Quaecunque es*. v. ad I, 678.

Ante fores ara, dextroque a poplite laeuum
Preſſa genu, digitis inter ſe pectine iunctis
Suſtinuit nixus. Tacita quoque carmina voce
Dixit: et inceptos tenuerunt carmina partus.
Nitor, et ingrato facio conuicia demens
Vana Ioui, cupioque mori; moturaque duras
Verba queror ſilices. Matres Cadmeides adſunt,
Votaque ſuſcipiunt, exhortanturque dolentem.
Vna miniſtrarum, media de plebe, Galanthis,
Flaua comas, aderat, faciendis ſtrenua iuſſis,
Officiis dilecta ſuis. Ea ſenſit iniqua
Neſcio quid Iunone geri: dumque exit et intrat
Saepe fores, Diuam reſidentem vidit in ara,
Brachiaque in genibus digitis connexa tenentem:
Et, Quaecumque es, ait, dominae gratare; leuata eſt

298 *a poplite* eſt ex Priſciano et ſex Mſſ. Heinſ. Vulgo, *dextroque eſt*. Pro *iunctis* Heinſ. mallet, *vinctis* aut *nexis*. Et hoc habet Lact. in Argum. 300 *nixus*. Mitſcherl. *partus*.

Argolis Alcmene, potiturque puerpera voto.
Exsiluit, iunctasque manus stupefacta remisit
Diua potens veteri. Vinclis leuor ipsa remissis.
Numine decepto risisse Galanthida fama est.
Ridentem, prensamque ipsis Dea saeua capillis
Traxit, et e terra corpus releuare volentem
Arcuit; inque pedes mutauit brachia primos.
Strenuitas antiqua manet: nec terga colorem
Amisere suum: forma est diuersa priori.
Quae, quia mendaci parientem iuuerat ore,
Ore parit: nostrasque domos, vt et ante, frequentat.
Dryope in lotona Dixit, et, admonitu veteris commota ministrae,
Ingemuit; quam sic nurus est adfata gementem:
Te tamen, o genetrix, alienae sanguine vestro

317 *ipsis*. Vnus ex Heinsianis et Graeuian. *suis*, quod Heins. rectius videbatur, qui olim co[illegible] *solo capillis Strauit* propter II, 476. 325 *gementem* pro *dolentem* e sollemni [illegible] e etimone h[illegible] vnus Medic. Mitscherl. seruant vulg. Alii Mss. *loquentem* aut *pauentem*.

leuari dr. parturiens, cum deponit partum. *potitur voto*, qui consequitur, quod optauerat.

314 Reuocaui e duobus Medic. Mss. *stupefacta*. Certe sic Anton. Lib. ἔκπληξις ἔλαβε τὰς Μοίρας, καὶ ἀνῆκαν ἐνδὺς τὰς χεῖρας. Sed *patefacta*, quod Heins. e primo Medic. primo Basil. et octo aliis praetulit, foret, cuius artes patefactae aut cognitae. Lactant. *imprudens resolutis manibus* etc. Supra V, 303 *Lucina potens*. Nunc additur *veteri*, quae praeest parturientibus. Horat. III od. 25, 14. Bacchus *Naiadum potens*. Carm Sec. 1. Diana *siluarum potens*. Claudian. R. P. I, 16. Pluto *umbrarum potens*, et II, 141. Pallas *tubarum armorumque potens*. — *vincla*, digiti iuncti. v. vs. 77.

317 Galanthis mutatur in mustelam, γαλῆν. Nempe mustela praetercurrens terruisse Alcmenam videtur e partu laborantem, eamque isto terrore relevasse. Hoc certe tradit Aelian. Hist. An. XII, 5. Ἀλκμήνης τεκεῖν δυναμένης, τήνδε γαλῆν παραδραμεῖν, καὶ τὰς τῶν ὠδίνων λῦσαι δεσμάς. Hinc mustela culta a Thebanis et Herculis nutrix dicta. *prensamque* etc. vt II, 476. *nec terga* etc. quia mustelae dorsum earnis colorem refert. Mustelas *ore parere*, atque etiam per aures coire opinabantur Veteres. Anton. Lib. d. l. Χορίσκεται γὰρ διὰ τῶν ὤτων· τίκτει δ' ἀναφέρουσα τῷ κυήμενον ἐκ τῆς τραχήλου.

FAB. VI. vs. 324 — 393 *Dryope*, Iolae soror, in *lotos* arborem. Cf. Antonin. Lib. cap. 32. qui tamen ex Nicandro rem longe aliter refert, et Serv. ad Virg G. II, 84. Fabula haec affectus tenerrimi plena.

324 *Admoneri* dicimur etiam earum rerum, quae non sine dolore nobis in animum redeunt. VII, 470. *admonitus patrii luctus*. Tibul. I eleg. 5, 40. *admonuit dominae Venus*. *Tamen* nectit orat. cum super. habetque vim minuendi, plane vt vs. 98. *Rapere* de transformatione etiam VII, 289.

Rapta mouet facies. Quid, si tibi mira sororis
Fata meae referam? quamquam lacrimaeque dolorque
Impediunt, prohibentque loqui. Fuit vnica matri
(Me pater ex alia genuit) notissima forma
Oechalidum Dryope: quam virginitate carentem,
Vimque Dei passam, Delphos Delonque tenentis,
Excipit Andraemon, et habetur coniuge felix.
Est lacus, accliui deuexo margine formam
Litoris efficiens: summum myrteta coronant.
Venerat huc Dryope fatorum nescia; quoque
Indignere magis, Nymphis latura coronas.
Inque sinu puerum, qui nondum impleuerat annum,
Dulce ferebat onus, tepidique ope lactis alebat.
Haud procul a stagno, Tyrios imitata colores,

334 *accliui* pro *accliuis* ex vno Medic. dedit Heins. a forma rariore *accliuus*.

329 *Vnica*, nunc pro, vna. v. Heins. ad III. 454. *Patrem* Eurytum, v. ad vs. 136. Nicander Sperchium fluuium facit. *notissima*, celeberrima Saepe *notus* in laudem dr. Horat. IV od. 13, 21. *nota facies* eodem sensu. *Oechaliae* habitauerat Iole. V. ad vs. 136. *Deus* se primum in testudinem, deinde in serpentem mutauerat. *Excipit* in matrimonium. De *Andraemone* v. Burm. Nicandro fuit Oxyli filius. Non dixit *est*, sed *habetur*, quia exitus coniugii gravis. *felix* e formula sollemni dictum, qua acclamabatur sponsis, *felix hoc sit!* VI, 681. *Cephalus te coniuge felix*. VII, 698. *felix* (coniuge) *dicebar*, *eramque*. vs. 799. *coniuge eram felix*, *felix illa marito*. Similiter XI, 266. IV ex P. II, 22.

334 *accliui — efficiens*, habens marginem accliuum aut deuexum; nam vtrumque eodem redit. Egredientes e mari litus habent *accliuum*, ingredientes *deuexum*. Noster autem, ingenio abundans, vtrumque coniunxit. Bene autem *myrtetis* lacum *coronatum*, cinctum, fingit; namque *litora myrtetis laetissima*. Virg. G. II, 112. Atque adeo propter *myrteta* lacus fictus esse in hac fab. videtur; non enim pertinet ad rem.

336 *fatorum nescia*, nesciens, quid olim factum illo loco. Contra VIII, 241. *fatorum ignara*, nesciens, quid aliquando euenturum sit. *Nymphis*, quibus sacra illa myrteta, *lat. cor.* ex more Veterum religioso. Horat. III od. 27, 30. Europa *debitae Nymphis opifex coronae*. Haec igitur innocentiam et securitatem puellae declarant. Etiam seqq. multum valent ad commiserationem faciendam, adfectumque tenerrimum spirant. *tepidi — alebat*, lactabat puerum.

In ſpem baccarum florebat aquatica lotos.
Carpſerat hinc Dryope, quos oblectamina nato
Porrigeret, flores: et idem factura videbar;
Namque aderam. Vidi guttas e flore cruentas
Decidere, et tremulo ramos horrore moueri.
Scilicet, vt referunt tardi nunc denique agreſtes,
Lotis in hanc Nymphe, fugiens obſcoena Priapi,
Contulerat verſos, ſeruato nomine, vultus.
Neſcierat ſoror hoc; quae cum perterrita retro
Ire, et adoratis vellet diſcedere Nymphis;
Haeſerunt radice pedes. Conuellere pugnat;
Nec quicquam, niſi ſumma, mouet. Succreſcit ab imo

344 Heinſ. ex vno ſuo malebat, *Vidi (namque aderam) guttas.* Pro *e flore* Vatic. et vnus Heinſ. *de flore*, quod arridet Burm. qui a gemina quoque interdum praepoſitione, vnde verbum compoſitum. 350. *Ire et adoratis.* Sic Vrbin. Langerm. vnus Voſſ. Francof. et Cal. Excerpta. Quidam, *iret adoratis.* Vulgo, *iret et oratis.*

341 *Lotos*, arbor Africana, ſed et Italiae frequens, fructu ſaluberrimo, cuius tria genera. Plin. H. N. XIII, 27. Dici hodie *Ziziphum* docet Martin. ad Virg. G. II, 84. Noſtris Iuiubenbaum aut Bruſtbeerbaum. *aquatica*, (v. ad II, 853.) quia amat aquas. *florere in ſpem baccarum* exquiſite, floribus facere ſpem baccarum. *Baccae* iliae, quarum forma olivis ſimilis, ſuauiſſimo ſunt ſapore. Homer. Od. 2, 92 ſqq. *Tyrios imit. col.* habens flores purpureos. *imitari* de ſimilitudine colorum. Horat. II Epiſt. 1, 207. *Lana violas imitata.*

344 Figmentum poetarum cyclicorum, arboribus ſacris, aut in quas puellae mutatae eſſent, vulneratis guttas ſanguinis manare, quod inde etiam accepit Virg Aen. III, 28. Cf. ſupra VIII, 761 ſeqq. *tremulus horror* venuſte. Propert. I, 5, 15. lacrymis *tremulum horrorem* tribuit. Senec. Troad. 164. *horridus tremor* membra quaſſans.

346 *Scilicet* nunc indignantis eſt. *tardi*, quia nunc denique narrant. Simul ſtuporis notio ineſſe videtur. *obſcoena Priapi*, concubitum Priapi. *Obſcoenum* et *obſcoena* paſſim de membro virili, vt Lactant. Inſt. div. 1, 21, 28 vbi v. Bueneman. Sed Priapi, Dei obſcoeni (Petron. cap. 79.), pudenda in primis *obſcoena* vrr. (Horat. I Sat. 8, 5.) quippe enormi magnitudine Lactant. d. l. Cf. Faſt. I, 415—440. vbi fab. quae hic attingitur, copioſius narratur, et VI, 333. *contulerat verſos vult.* conuerſa erat. Varietate opus erat, cum eadem res toties exprimenda eſſet in hoc opere.

351 Cf. cum hac mutat. I, 548. II, 348 ſeqq. X, 490 ſeqq. *ſumma*, ſuperiorem corporis partem. *radice*, ligati radice. *Conuellere.* cf. XI, 76 ſqq. *premit*, cingit, ambit. Hoc elegantius, quam, quod Burm. placebat, *ſubit* Etiam mox *tenebant* exquiſitius, quam vulg. *tegebant.*

Totaque paullatim lentus premit inguina cortex.
Vt vidit; conata manu laniare capillos, (bant.
Fronde manum impleuit: frondes caput omne tene-
At puer Amphiſſos (namque hoc auus Eurytus illi
Addiderat nomen) materna rigeſcere ſentit
Vbera: nec ſequitur ducentem lacteus humor.
Spectatrix aderam fati crudelis, opemque
Non poteram tibi ferre, ſoror: quantumque valebam,
Creſcentem truncum, ramosque amplexa, morabar:
Et, fateor, volui ſub eodem cortice condi.
Ecce! vir Andraemon, genitorque miſerrimus, adſunt,
Et quaerunt Dryopen: Dryopen quaerentibus illis
Oſtendi loton. Tepido dant oſcula ligno,
Adfuſique ſuae radicibus arboris haerent.
Nil, niſi iam faciem, quod non foret arbor, habebas
Cara ſoror. Lacrimae miſero de corpore factis
Irrorant foliis: ac, dum licet, oraque praeſtant
Vocis iter, tales effundit in aëra queſtus:

353 *premit.* Prim. Gronov. *ſubit*, quod Burm. τοῖς *lentus* et *paullatim* melius conuenire videbatur. 356 *Amphiſſos* ex Anton. Lib namque Mſſ. veteres et auctor Argum *Amphiſos* 362 Heinſ. ſine cauſſa *volui* in *voui* mutari volebat. 365 *Trepido* prim. Cantabr. Baſil. et decem alii.

357 Nihil elabitur foecundo Ouidii ingenio. *ducere vbera* phraſis propria. Iuuenal. Sat. XII, 8. Ita et *ducere pocula.* Ducentem *ſequitur* lac. *addere nomen* elegantius, quam *indere.* V, 524. Non igitur erat, cur Heinſ. *indiderat* mallet. Caeterum, auctore Nicandro, mutatio illa facta, quo tempore Amphiſſos iam adultus Apollini patri templum extruebat.

359 Hoc maxime dolemus in infortunio noſtrorum, quod opem ferre non poſſumus, quamquam ſpectatores adſtamus. *volui ſub* etc. votum teneerrimi amoris prope ſepulcrum amicorum.

363 *miſerrimus* etiam ad *Andraemonem* referendum. Bene autem hos adducit, vt ſcena haec magis moueat lectorem. Dryopen ſuis cinctam et mandata extrema dantem videmus.

365 *Tepido* e vſ. 393. illuſtrandum, quemadmodum *trepido*, quod habent multi, ex I, 554. Sed illud nunc verius. *tepere* de calore corporis humani etiam X, 281. *ſuae*, in quam ſua coniux et filia conuerſa. *Adfuſi* v. ad III, 437. Quamquam nec *adfixi*, quod Mſ. Palat. ſec. praefert, damnandum. Etiam Aen. V, 852. *adfixus* et *haerens* coniunguntur. *haerere* ſollemne de amplexibus.

368 *factus* conſtanter de rebus mutatis. I, 566. *factis modo ramis.* II, 485. *facta vrſa.* vſ. 589. *facta*

Si qua fides miseris, hoc me per numina iuro
Non meruisse nefas: patior sine crimine poenam.
Viximus innocuae: si mentior, arida perdam,
Quas habeo, frondes, et caesa securibus vrar.
Hunc tamen infantem maternis demite ramis,
Et date nutrici, nostraque sub arbore saepe
Lac facitote bibat, nostraque sub arbore ludat.
Cumque loqui poterit, matrem facitote salutet,
Et tristis dicat: Latet hoc sub stipite mater.
Stagna tamen timeat; nec carpat ab arbore flores:
Et frutices omnes corpus putet esse Dearum.
Care vale coniux, et tu germana, paterque,
Quos si qua est pietas, ab acutae vulnere falcis,
A pecoris morsu, frondes defendite nostras.
Et quoniam mihi fas ad vos incumbere non est,
Erigite huc artus, et ad oscula nostra venite,
Dum tangi possum, paruumque attollite natum.
Plura loqui nequeo: nam iam per candida mollis
Colla liber serpit, summoque cacumine condor.
Ex oculis remouete manus: sine munere vestro

385 Mss. sex et Edd. nonnullae, *non est incumbere vobis.* Palat. praeterea. *non fas est.* Vnus Medic. *vobis incumbere non est.* Heins. putat, latere Graecismum, atque scribendum, *Et quoniam non est ad vos incumbere nobis*, aut, *Et quoniam fato non est incumbere vobis.* 387 *possunt*, nempe oscula, vetustiores. 388 Heins. coni. *iam iam.* Sed et vs. 403. *nam iam.*

volucris. — *vocis iter* etiam II, 828. ex Lucret.

371 *hoc nefas*, hanc iniustam poenam. *Si mentior* sollemne in formula iurisiurandi. Grauis et apta mulieri in arborem transeunti imprecatio quae sequitur.

375 En animum maternum! Ante omnia de pueri educatione sollicita est, eius saluti cauet, eumque etiam mutata circum se habere cupit. *maternis ramis* ingeniose de eo temporis puncto, vbi ex parte mater, ex parte iam arbor erat. Sed vide, quam iucunde et apte ad commiserationem faciendam mores pueriles expressi sint.

383 Bene *vulnus* et *morsus*, tamquam sensura sit. *falx*, securis. *ad vos incumbere* singulari et syntaxi et significatione pro, ad vos me inclinare. *fas est*, possibile est. vid. II, 57.

389 *Summo cac. condor*, cacumen, summa pars arboris, vbi caput occupat, me plane condit in hac arbore, tamquam in sepulcro Ingeniose. Etiam vs. 362. *condi* de mutatione in arborem. Propert. III, 17, 16. *Arboris in frondes condita Myrrha nouae.*

390 Morientium oculi claduntur ab amicis circumstantibus. Quod pietatis *munus* cum pater et

Contegat inductus morientia lumina cortex.
Defierant simul ora loqui, simul esse: diuque
Corpore mutato rami caluere recentes.
Dumque refert Iole factum miserabile, dumque *Iolaus.*
Eurytidos lacrimas admoto pollice siccat
Alcmene, flet et ipsa tamen: compescuit omnem
Res noua tristitiam. Nam limine constitit alto
Paene puer, dubiaque tegens lanugine malas
Ora reformatus primos Iolaus in annos.
Hoc illi dederat Iunonia muneris Hebe,
Victa viri precibus. Quae cum iurare pararet
Dona tributuram posthac se talia nulli;
Non est passa Themis. Nam iam discordia Thebae
Bella mouent, dixit, Capaneusque nisi ab Ioue vinci

394 Vnus Medic. *fatum mirabile*, quod Heins. probabat. 404 Vnus Voss. *manent.* Inde Heins. etiam *Thebas* malebat. Sine causa, Virg. G. I, 4.5. *mouet Euphrate bellum.*

coniux etiam Dryopae praestare vellent, illa *manus ex oculis remouere* iubet.

FAB. VII. vs. 394 — 416 *Iolaus* in iuuenem mutatur, *Callirhoës* autem *filii* impuberes in viros. Ap. Eurip. Heracl. 849.sqq *Iolaus* cum Eurystheo pugnaturus Heben rogat et Iunonem, vt vnum in diem iuuenis reddatur et hostes vlcisci possit. Illico duae stellae currum eius tegunt obscura nube, ex qua ipse iuuenili forma egreditur. Secundum Pindarum P. 9, 137. optauit eodem consilio, vt in vitam rediret. Noster fabulam ita intexuit, vt Alcmenae et Iolae moerentibus solatio esset — De *Callirhoës filiis* cf. Apollod. III, 7, 6. Tractata haec olim erant in Alcmaeonide, cuius Schol. Eurip. ad Orest. 998. meminit, et in Stesichori Eriphyla. Exstabant etiam Sophoclis et Euripidis tragoediae ab Alcmaeone nominatae.

399 *reformatus primos in annos*, ita mutatus, vt haberet formam primorum annorum. Cf. VII, 293. Etiam XI, 254. sic *reformare. dubia lanugine*, quia ambigi poterat, vtrum lanugo an barba esset, vt IV, 399 *dubia nox.* Lanugo, quae et *flos* vr. hic dr. *tegere*, alibi *inumbrare* et *vestire* genas. Virg Aen. VIII, 160. Claudian. Conf Olyb. 70. *Iolaus*, Iphiclis filius, Herculis patruelis et comes.

400 *Hebe*, iuuentutis Dea, nupserat Herculi in coelum recepto.

404 Themidis vaticinium, sed, vt solent vaticinia esse, subobscurum, de bello Thebano, de quo et ipso, quippe celeberrimo, admiscere aliquid voluit. Eteocles et Polynices, Oedipodis filii, incluso cubiculi tenebris patre, de regno administrando sic conuenerant, vt ei per annuas vices praeessent. Anno peracto, Eteocles cedere noluit fratri. Is vero adiutus ab Adrasto, Argiuorum rege, cuius filiam duxerat, nobile illud bellum septem heroum ad Thebas (τῶν ἑπτὰ ἐπὶ Θήβαις) suscepit. Cum vrbs non statim

Haud poterit, ibuntque pares in vulnera fratres:
Subductaque suos manes tellure videbit
Vinus adhuc vates: vltusque parente parentem
Natus, erit facto pius et sceleratus eodem:

405 *ibuntque* correxit Heins. Vulgo, *sientque*, et nonnulli etiam *in vulnere*. Flor. ed. S. Marc. *flebuntque*, multi *deflentque*. 406 Burm. dedit *Seductaque*; sed et Isidet *diducta* aut cum vno Ambros. *diuisaque*. Vulgarem dictum vt Aen. III, 565. *subducta ad manes imos defidimus vnda.*

capi posset, regii fratres singulari certamine decertant, in quo Polynices cadit, Eteocles autem dum spirantem adhuc fratrem spoliat, ab eo gladio transfigitur. Sic *ibant in vulnera*, quod dictum est, vt *ire in arma*, *in bella*. Laudat Heins. *ruere in vulnera* e Stat. Theb. VIII, 69. et *coire in vulnera* e Manil. IV, 173. Atque hoc est argum. Phoenist. Eurip. In istis heroibus erat *Capaneus*, Hipponoi filius, Argiuus, qui cum contra Iouis voluntatem Thebas se capturum dixisset, murum adscendens fulmine percussus est. Hygin. fab. 68. Veget. IV, 21. Serv. ad Aen. I, 28. In iis erat etiam Amphiaraus *vates*, qui cum sciret, se periturum ad Thebas, atque *seducta* f. *subducta* (V. Varr. lect.) *tellure suos manes vinus vidisset*, noluit interesse bello isti. Persuasus tandem ab Eriphyla vxore, quam Polynices monili aureo corruperat, profectus quidem est, sed Alcmaeoni filio simul mandauit, ne mortem suam inultam sineret. Id quod etiam factum est; namque *natus vltus est parentem*, patrem, *parente*, matre, occisa, vnde Alcmaeon in matricidis numeratur. Sic facto eodem *pius*, patrem vlciscens, et *sceleratus*, matrem interimens. Cic. pro Rosc. Am. 24. *Videtisne, quos nobis poëtae tradiderunt, patris vlciscendi caussa supplicium de matre sumsisse, cum praesertim Deorum immortalium iussis atque oraculis id feciisse dicantur, tamen vt eos agitent Furiae, neque consistere vsquam patiantur, quod ne pii quidem sine scelere esse potuerunt?* Quod idem et Alcmaeoni accidit. Namque magnitudine sceleris perterrefactus (*attonitus matis*), insania correptus (*exsul mentis*, vt *exsul patriae* Horat. II od. 16, 19.) terras varias peragrauit (*exsul domus*). Magnam enim pollidet religionem *paternus maternusque sanguis; ex quo si qua macula concepta est, non modo elui non potest, verum vsque eo permanat ad animum, vt summus furor atque amentia consequatur.* Cic. d. l. In hunc errorem insaniamque coniecerunt eum suae malae conscientiae animi; sed poëtae *vultibus* aut taedis Furiarum, occisorumque *vmbris* tribuunt, quod conscientiae tribuendum est. Cic. d. l. *Nolite enim putare, quemadmodum in fabulis saepenumero videtis, eos, qui aliquid impie sceleratque commiserint, agitari et perterreri Furiarum ardentibus taedis. Sua quemque fraus et sua terror maxime vexat, suum quemque scelus agitat, amentiaque afficit: suae malae cogitationes, conscientiaeque animi terrent* etc. Cum Pisophide *Phegei* filiam, quam alii Arsinoën, alii Alphesiboeam vocant, duxisset, tandem venit in insulam, quam Achelous fecerat, amauitque *Callirhoën, Acheloi* filiam, ex qua suscepit filios duos, Amphoterum et Acarnanem, a quo Acarnanes, antea Curetes dicti, nomen acceperunt. Noua coniux *poscit aurum*, monile aureum (etiam Homer. Od. λ, 325. vocat χρυσὸν τιμήεντα), quod iam donauerat Phegei filiae. Profectus igitur Psophida accepit monile aureum, consecrandum Apollini Delphico. Sed cum Phegeus cognouisset, Callirhoae destinatum id donum, filios misit, qui trucidarent Alcmaeonem: sic aurum illud *fatale*. De phrasi *latus haurire* v. ad V, 126. *Cognatum*, quia Alcmaeon affinitatem contraxerat cum Phegeo; nam *cognationem* pro *affinitate* poni docuit Schulting. ad Senec. Controv III, 21. monente Burm. Interfecto Alcmaeone, *Callirhoë supplex a Ioue petiit*, vt natis annos viriles largiretur ad necem paternam vlciscendam. (Quod consilium exprimit versus ab Heins. forsan temere eiectus, quem Variae lectt. habent) Cf. Apollod d. l. Iupiter annuit precibus et tribuit hos annos auxilio Hebes *priuignae*, quam Iuno sine patre pepererat, *nurusque*, quam Hercules, Iouis filius, duxerat. *Praecipere* Rode non bene *erheischen* vertit. Immo, occupare, ante tempus tribuere, ex vsu quidem verbi exquisitiore. Tacit. An. I, 55. *praecipere bellum*, maturius facere.

FAB. VIII. 417 — 664 *Byblis*, *Cauni* fratris amore ardens, literis amorem suum ei declarat, quibus perlectis ille, relicta patria, profugit, Byblis autem eum persequens in fontem mutatur. Cf. Anton. Lib. cap. 30 Hygin. fab. 243. Schol. Theocrit. ad Id. χ, 115. Parthen. cap. XI. Etiam Aristocrit. et Apollon. Ph. in Κάυνου κτίσις fabulam narrauerant. Ouidius copiosus nimis est in ea exponenda, quia delectatur rebus amatoriis.

417 — 440 Haec, vt et alibi transitus, et ad antecedentia et ad sequentia pertinent. *Faticanus*, qui fata canit, fatidicus, novum et Ouidianum vocab. Infra XV, 436. est *faticinus*. *Voris* sollemnis mentio, etiam in SS. literis, vbi de vaticinantibus sermo. *venturi*, futuri. *veniens bellum* i. futurum Flor. IV, 11. *fremebant*, murmurabant.

Attonitusque malis, exsul mentisque domusque,
Vultibus Eumenidum, matrisque agitabitur vmbris;
Donec eum coniux fatale poposcerit aurum:
Cognatumque latus Phegeius hauserit ensis.
Tum demum magno petet hos Acheloïa supplex
Ab Ioue Callirhoë natis infantibus annos.
Iuppiter his motus, priuignae dona nurusque
Praecipiet, facietque viros impubibus annis.
Haec vbi faticano venturi praescia dixit *Byblis.*

414 Post h. vs. olim edeb. *Neue necem sinat esse vltoris inultam.* Haec Heins. deleuit, quia non comparebant in primo Vatic. et in vno suo margini tantum adscripta erant. Quae caussa tollendi mihi non satis grauis esse videtur; et habent illa partem fabulae. 417 Alii *fatidico* aut *vaticino*.

Ore Themis; vario Superi sermone fremebant:
Et, cur non aliis eadem dare dona liceret,
Murmur erat. Queritur veteres Pallantias annos
Coniugis esse sui: queritur canescere mitis
Iasiona Ceres: repetitum Mulciber aeuum
Poscit Erichthonio: Venerem quoque cura futuri
Tangit, et Anchisae renouare pacisci annos.
Cui studeat, Deus omnis habet: crescitque fauore
Turbida seditio; donec sua Iuppiter ora
Soluit; et, O, nostri si qua est reuerentia, dixit,
Quo ruitis? tantumne sibi quis posse videtur,
Fata quoque vt superet? Fatis Iolaus in annos,
Quos egit, rediit: fatis iuuenescere debent

421 *mitis*. Decem *flaua*. Vnus *cana* Alii aliter. 425 Vnus Leid. *studeant*. Tunc Heins. etiam malit *habent*, et copiosissimus est in hoc loquendi genere exemplis illustrando.

420 *Pallantias*, Aurora, patruelis Pallantis soror, nupsit Tithono, Laomedontis, regis Troiani, filio, eique a Diis immortalitatem exorauit; nihilo tamen minus senectutis incommoda expertus est. vid Tzetz. ad Lycophr. p. 6 Hygin. fab 270. Inde proverb. *Tithoni senectus*. — *veteres annos*, senectutem, vt VII, 295. *iuuenes annos*, iuuentutem. Tibull. I Eleg 8, 42 *vetus caput*, i. senile. et vs. 50. *veteres senes*. Horat. Epod. VIII, 3. *vetus senectus*.

422 *Iasion*, qui et *Iasius* dr. Iouis ex Electra filius, amatus a Cerere, quae ei peperit Plutum. Homer. Od. ε, 125. Hesiod. Theog. 969. Conon Narrat. XX. Amatum esse eum a Cerere propter agriculturae studium, Heraclid. Pont. tradit Allegor. Homer. p. 28. *quitis*, i. q. alma. *mitis Ceres* etiam V, 497. *frugum mitissima mater* VI, 118. *mitis Venus* Tibull. I, 10, 66. *canescere*, senescere.

423 De *Erichthonio* v. ad II, 553. *repetitum annum*, vt repetantur anni transacti *tangit*, mouet. *pacisci tur*, postulat, vult. Nota varietatem orat. in h. l.

425 *Cui studeat*, cui faueat, cuius rem agat. Sic *studium* ap. Cic. Agr. II, 7. *seditio* nil nisi fremitus.

428 *Quo ruitis*, scil sententiis, quam praecipitanter, et nullo consilio sentitis. *Fata superare*, fato superiorem esse, idque mutare posse. Pro *iuuenescere* Heins. ex altero Hamb. et vno Medic. dederat, *reuirescere*. At qui ex impubere ad iuuentutem aut viriles annos promouetur, (Apollod. III, 7, 6. γενόμενοι ἐξαίφνης οἱ παῖδες τέλειοι) non potest dici *reuirescere*. Vs. 432. Gronouio spurius videbatur et delendus. Immo gradationem cum seq. efficit non improbandam. *ambitione*, studio in suorum gratiam suscepto Plin. III Ep. 9, 10 *ambitio et fauor*. *armis*, contentionibus.

Callirhoë geniti; non ambitione, nec armis.
Vos etiam, quoque hoc animo meliore feratis,
Me quoque, fata regunt: quae si mutare valerem,
Nec nostrum seri curuarent Aeacon anni,
Perpetuumque aeui florem Rhadamanthus haberet,
Cum Minoë meo; qui propter amara senectae
Pondera despicitur, nec, quo prius, ordine regnat.
Dicta Iouis mouere Deos: nec sustinet vllus,
Cum videant fessos Rhadamanthon, et Aeacon annis,
Et Minoa, queri. Qui, dum fuit integer aeui,
Terruerat magnas, ipso quoque nomine, gentes.
Tunc erat mualidus, Deionidenque iuuentae
Robore Miletum, Phoeboque parente superbum,

436 *senectae pondera*, infirmitates et imbecillitates tam animi, quam corporis, quas adfert senectus, quae incommoda adeo *amara* et odiosa plerisque senibus sunt, vt onus se Aetna grauius sustinere dicant Cic. Senect. 2. Senex tam infirmus non *quo prius ordine regnat*, hinc *despicitur* a suis, h. seditiosi homines sub tali imperio res nouas moliuntur. Coniunxit tamen Noster verba tria, quae non satis conuenire videntur, *propter amara pondera despicitur*. Praeferrem ex vno Ms. Heinsii *deprimitur*, si latinum esset, *propter pondera deprimi*. Pro *amara* tamen Cod. Ciofan. antiquus et Excerpta Mureti habent *dura*, quatuor, *multa*. *Ordine* Burm. et Schir. explicant, auctoritate, quae interpr. bene conuenit τῷ *despicitur*, sed vsus loquendi eam non magis admittit, quam Glareani rationem, qui subditorum obedientiam intelligebat. Passim occurrit *recte atque ordine facere*. Hic *ordine* est. sapienter v. Corte ad Sallust. Cat. 51, 5. namque sapientia cernitur in ordine rerum agendarum. Itaque et h. l. sic capio, non eo consilio, non ea sapientia, qua ante regnabat. Claudian. Cons. Olyb. 57 *quot in ordine gentes rexerit*. Itaque non opus est Heins. coniectura *omine*.

440 *integer aeui*, qui est florente adhuc aetate. Opp. *inualidus*, confectus senio. *Ipso nomine terrere gentes* summi et inuicti bellatoris notatio Flor. III, 10, 20. Iustin. XI, 6 15. XLII, 5, 13. Sed Noster rursus videtur Minoa secundum cum primo confudisse, (v. ad VIII, 120.) nisi vnum tantum Minoa fuisse credamus cum Aristot. Polit II, 9 et 10. *Miletus*, Apollinis filius, *Deionides* a Deione matre dictus videtur, quamquam ea in re mirum in modum variant Veteres. v. Intt. ad h. l. et Munker. ad Lactant. Argum. Is cum in adfectati regni suspicionem incidisset, Minoëm vt metu liberaret, cum factione sua fugit, venitque in oram Anactoriam, vbi Miletum condidit Haec ipsi Milesii de originibus suis tradebant. Pausan Achaic. p. 524. Cf. Apollod. III, 1, 2. De *Mileto* v. et Verheyk ad Anton. Lib. cp. 30. *insurgit regnis*, qui, factione facta, regnum eripere conatur alteri. *patrii penates* alibi de domo paterna, nunc de patria, regno.

Perlimuit; credensque ſuis inſurgere regnis,
Haud tamen eſt patriis arcere penatibus auſus.
Sponte fugis, Milete, tua, celerique carina
Aegaeas metiris aquas, et in Aſide terra
Moenia conſtituis, poſitoris habentia nomen.
Hic tibi, dum ſequitur patriae curuamina ripae
Filia Maeandri toties redeuntis eodem,
Cognita Cyanee, praeſtanti corpora forma,
Byblida cum Cauno prolem eſt enixa gemellam.
Byblis in exemplo eſt, vt ament conceſſa puellae:
Byblis Apollinei correpta cupidine fratris,
Non ſoror vt fratrem, nec qua debebat, amauit.
Illa quidem primo nullos intelligit ignes,

444 Non *credens*, ſed *certus* legendum eſſe putabat Tan. Faber. 451 Multi *Cyane*. Spirenſis et optimus Thuan. *Creneis* a graeco κρήνη *praeſtanti* etc. quod Bernegg. pro diuerſa lect. habet, Heinſ. primus edid. Quemque, poſſe et *praeſtantis formae* vel *praeſtantia formae* (vt *praeſtans animi* ap. Virg.) legi. Multi Codd. *praeſtantia forma*. Vnus Medic. *formae*. Vulgo, *praeſtanti corpore nympha*. Dubium autem, *Byblis*, an *Biblis* ſcribendum. V. Heinſ.

arcere penatibus, eiicere, expellere regno.

447 *metiri aquas*, percurrere mare naui, nauigare per mare. Iam Homer. v. c. Od. γ, 179 πλάγος μετρεῖν. *Moenia* non ſunt *Muros*, vt Rode vertit, ſed vrbs. *ponere moenia* phraſis obuia, ſed h. l. noue *poſitor*, conditor, vt Faſt. II, 63. *templorum poſitor*. — *Hic*, prope Miletum, vbi *Maeandros* (de cuius *curuaminibus* v. II, 246. et VIII, 162) per Cariam et Ioniam defluens, in mare ſe exonerat. Liv. 38, 13 *Sequitur curuamina*, ambulat in ripa curvata, quam ſibi fecit pater.

451 Secundum Anton. Lib. ex Idothea, Carum regis filia, Caunus et Byblis Mileto nati. *corpora* de vna Nympha. Mox *Byblidis* nomen caſu, non conſilio aliquo, in trium verſuum principio repetitum. Stephan. Byzant. in Βύβλος eam *Byblen* vocat.

453 Praemittit ſententiam moralem, quam ſuppeditat fabula. *in exemplo eſt*, exemplum dat, exemplo ſuo monet. *conceſſa*, iuuenes, quos licet amare, Horat. I Sat. IV, 113. *conceſſa Venere vti*. Noſter infra vſ. 637. *inconceſſa ſpes Veneris*. Horat. III od 6, 27. *impermiſſa gaudia*. *Apollineus* ab auo paterno, mox vſ. 573. *iuuenis Maeandrius* ab auo materno. *qua*, quantum, vt in illo, *qua licet et poſſum*. Sic etiam *quo*. A. A. I, 285. *Myrrha patrem, ſed non quo filia debet, amauit*. cf. vſ. 745. Sed mox vſ. 509. rurſus, *niſi qua fas eſt*. Κάννιος ἐγώς in prouerbium abiit de inconceſſo amore.

456 Iam exemplo inſigni oſtenditur, quo modo gradatim creſcant cupiditates in animo, nouaque,

Nec peccare putat, quod ſaepius oſcula iungat,
Quod ſua fraterno circumdet brachia collo:
Mendacique diu pietatis fallitur vmbra.
Paullatim declinat amor; viſuraque fratrem
Culta venit, nimiumque cupit formoſa videri:
Et, ſi qua eſt illic formoſior, inuidet illi.
Sed nondum manifeſta ſibi eſt; nullumque ſub illo
Igne facit votum; veruntamen aeſtuat intus.
Iam dominum adpellat, iam nomina ſanguinis odit:
Byblida iam mauult, quam ſe vocet ille ſororem.
Spes tamen obſcoenas animo demittere non eſt
Auſa ſuo vigilans. Placida reſoluta quiete
Saepe videt, quod amat. Viſa eſt quoque iungere fratri

457 Nonnulli *iungit* et mox *circumdat*. 459 Duo, *mendacisque*. 460 *declinat*. Politianus e vetere Cod. primus Gronov. et tres alii, *fuccreſcit*, improbante Heinſ. Vnus *ſuccedit*. 466 Gronovian. *mallet*. Heinſ. *malit* legebat. Mox pro *demittere* vnus Heinſii *permittere*, non improbante Burm.

dum iis indulgemus, incrementa capiant. *intelligit*, ſentit. *ignes* opp. vſ. 459. *pietati*, i. amori ſororio, qui non vrit vt amor, quo iuuenes et virgines ſerga ſe ardent. Oſculantes pr. *ora* iungunt, hinc poëtice etiam *oſcula*. *mendax vmbra*, fallens ſpecies.

469 *declinat*, ſcil. a pietate, aut *declinare* pro, inclinare. Horat. I od. 33, 5. *in aſperam declinat Pholoën*. In proſa foret, *ſed paullatim declinat*, quia cohaeret cum vſ. 456 *Illa quidem* etc. — *Culta venit*, primus gradus declinantis amoris, ſimul *inuidet* aliis, zelotypia vritur. Sed *nondum manifeſta ſibi eſt*, nondum ſcit, nec credit, quo declinet amor, aut quid ſibi velit illa animi affectio. *ſub illo igne*, ardens illo igne. *Sub* hoc ſenſu amat in primis iunior Plinius. *votum*, vt potiatur amato, more amantium.

465 *domini* et *dominae* vocabb. quae olim tyrannidis vim habebant, Auguſti temporibus in blanditiis habebantur, monente Erneſtio ad Sueton. Aug. 53. Hinc etiam amantes ita ſe appellare ſolebant. Noſter Amorr. III, 7, 11. *Et mihi blanditias dixit, Dominumque vocauit*. — Plura de hoc voc. diximus ad Plin. X Ep. 2, 1. *ſanguinis*, conſanguinitatis.

467 *Spes animo* (pro, *in animum*) *demittere*, ſpes animo concipere. Etiam *deſcendere* in animum drr. quae in eo excitantur, ei traduntur. *obſcoenus*, inceſtus, vt X, 465. *quod amat* ſollemne pro, quem et quam amat. VII, 23. *Placida* tantum ornat. — *reſoluta* v. ad VII, 185. *iungere corpus, pectora* pr. de Venere II, 604. *Miſcere pectora* dixit Statius II Silv. I, 206. Tibul. I, 1, 69. *iungere amores* et eleg. 9, 76. *iungere Venerem*. Cic. Off. 1, 4. *coniunctio* ſimpliciter de coitu. *ſopita iacebat* plenius quam, ſopita erat. XI, 238. *ſomno vincta iacebas*.

Corpus, et erubuit, quamuis ſopita iacebat.
Somnus abit: ſilet illa diu, repetitque quietis
Ipſa ſuae ſpeciem, dubiaque ita mente profatur:
Me miſeram! tacitae quid vult ſibi noctis imago?
Quam nolim rata ſit! cur haec ego ſomnia vidi?
Ille quidem eſt oculis quamuis formoſus iniquis;
Et placet, et poſſum, ſi non ſit frater, amare;
Et me dignus erat. Verum nocet eſſe ſororem.
Dummodo tale nihil vigilans committere tentem;
Saepe licet ſimili redeat ſub imagine ſomnus.
Teſtis abeſt ſomno, nec abeſt imitata voluptas.
Pro Venus, et tenera volucer cum matre Cupido,
Gaudia quanta tuli! quam me manifeſta libido

476 Vulgo, *poſſim*. Heinſ. qui e Mſſ. recepit *poſſum*, ſuadet, *vt poſſim*. 477 Heinſ. coni. *ſorori*. 478 Vnus Bamb. *admittere*. 481 *tenera*. Vnus Moreti, *niuea*. Inde Heinſ. exſculpit *Gnidia*.

470 Sequentia egregie pingunt voluptatis illecebras, et certamen cupiditatis cum ratione. Primum erubeſcit et auerſatur ſomnium, ſed mox diligentius de eo cogitare incipit. Comparat rei turpitudinem cum gaudiis in ſomnio perceptis, ſed his diutius immoratur et fortius, quam illi. Contenta eſſe vult ſomnio, ſed dulcedo eius efficit, vt euentum quoque eius optet. Mox ſuccurrunt exempla Deorum hominumque, qui idem fecerant. Atque ita animus anceps tandem inclinat ad flagitium, voluptatisque illecebrae vincunt ſanam rationem.

471 Somnus dr. *venire, abire* et (vſ. 479.) *redire. Ipſa*, ſua ſponte, et cum voluptate. *ſpecies quietis*, ſpecies per quietem oblata, ſomnium. Mox *noctis imago*. Variat oratio. Tibul. III, 4, 9. *omina noctis*.

473 *tacita nox*, vt *ſilens*. Virg. Aen. II, 255. *tacitae ſilentia lunae*. *rata*, quibus euentus conſtat. Talia ſomnia etiam *vera* drr. Horat. I Sat. X.

475 Etiam inimici formam eius laudare debent; ne liuor quidem formam eius carpere poſſit. *Quamvis* et *quamlibet* eleganter ſic ponuntur. *Quamuis iniqui* ſint, tamen iis *formoſus* videatur. Liv. I, 4. *poſſe quamuis languida mergi aqua infantes*. Amat Noſter in primis hoc loquendi genus. vid. Heinſ. ad Heroidd. VI, 140.

479 *tali ſub imag.* cum tali ſomnio. *imitata voluptas*. I ex P. 2, 45 *Somnia me terrent veros imitantia caſus*. — *abeſt ſomno*, abeſt ab iis, quae nobis eueniunt in ſomno

481 *Tenera* et puellarum et Veneris epitheton. *Gaudia* paſſim de re venerea. *gaudia ferre*, vt *ferre praemium, munus*, i. accipere. v. Lambin. ad Horat. IV od. 8. *me contigit* melius, quam mihi contigit. Epic. ad Liv. 9. *luſtus contigit omnes*. — *reſoluta*, libidinis ſenſu, ex praecepto, quod ipſe poeta dedit A. A. III, 793. *Sentiat ex imis Venerem reſoluta medullis femina*. Cf. ibid. II, 633. Etiam *iuuat* ſollemne de gaudiis venereis. v. Burm. ad Heroidd. XV, 134.

488 Similis repetitio vſ. praecedentis et alibi occurrit, vt I, 325. VI, 16. *Aui*, nunc omnino maiores, genus Hinc addit, *Tu me vellem* etc. Hoc optat Byblis, quia tunc Caunus ad ſtuprum ſine meto repulſae ferretur. Burm.

493 *Vnum*, quod frater es, *habemus* a Natura, ſed id ipſum *obeſt*. Non igitur erat, cur Heinſ. h. l. adulterinum iudicaret, aut emendaret, *vna*.

494 *ſignificant*, σημαίνουσι, portendunt, verb. pr. de ſomniis, ominibus, prodigiis, quae inde *ſignificationes Deorum* drr. Cic. Cat. II, 13. *pondus*, vim. Heroidd. VII, 65. *nullum ſit in omine pondus*. *Di melius*, ſcil dent, ferant, abominandi formula. v. VII, 37. Tibul. III, 4, 1 *Di meliora ferant, nec ſint inſomnia vera*. Male ergo Rode: *Wie beſſer ſind doch die Götter darum!* — *nempe* obiectioni nunc inſeruit. *habuere* in matrimonio.

499 Iam ſe corrigit. *ſua*, ipſis propria et ab humanis diuerſa. *ad coeleſtia exigere*, cum coeleſtibus comparare, et ſic eorum pretium aeſtimare. *foedera*, matrimonia, aut omnino iura. *foedus* omne id, de quo inter plures conuenit.

Contigit! vt iacui totis reſoluta medullis!
Vt meminiſſe iuuat! quamuis breuis illa voluptas,
Noxque fuit praeceps, et coeptis inuida noſtris.
O ego, ſi liceat mutato nomine iungi,
Quam bene, Caune, tuo poteram nurus eſſe parenti!
Quam bene, Caune, meo poteras gener eſſe parenti!
Omnia, Di facerent, eſſent communia nobis,
Praeter quos. Tu me vellem generoſior eſſes.
Neſcio quam facies igitur, pulcherrime, matrem:
At mihi, quae male ſum, quos tu, ſortita parentes,
Nil niſi frater eris. Quod obeſt, id habebimus vnum.
Quid mihi ſignificant ergo mea viſa? quod autem
Somnia pondus habent? an habent et ſomnia pondus?
Di melius! Di nempe ſuas habuere ſorores.
Sic Saturnus Opim, iunctam ſibi ſanguine, duxit,
Oceanus Tethyn, Iunonem rector Olympi.
Sunt Superis ſua iura. Quid ad coeleſtia ritus
Exigere humanos, diuerſaque foedera tento?

485 Duo, *Noxque fugit*. 488 Quidam h. vſ. omittunt. 490 Tan. Faber hos concoquere non poterat. Suadebat igitur, *Saltem facerent alienior eſſes*. 492 Duo Vaticc. *Hei mihi*. Libri Ciof. et vnus Marſh. *Ei*. Heinſ. ex libris *At* recepit pro *Et*. 494 Heinſ. coni. *ſignificant aegrae*, i. amanti, aut cum primo Gronov. *miſerae*. 499 Heinſ. coni. *Sint*, vt infra *norint*.

Aut noſtro vetitus de corde fugabitur ardor:
Aut, hoc ſi nequeo, peream, precor, ante, toroque
Mortua componar, poſitaeque det oſcula frater.
Et tamen arbitrium quaerit res iſta duorum.
Finge placere mihi: ſcelus eſſe videbitur illi.
At non Aeolidae thalamos timuere ſororum.
Vnde ſed hos noui? cur haec exempla paraui?
Quo feror? obſcoenae procul hinc diſcedite flammae;
Nec, niſi qua fas eſt germanae, frater ametur.
Si tamen ipſe mei captus prior eſſet amore,
Forſitan illius poſſem indulgere furori.
Ergo ego, quae fueram non reiectura petentem,
Ipſa petam? poterisne loqui? poterisne fateri?
Coget amor; potero: vel, ſi pudor ora tenebit,
Litera celatos arcana fatebitur ignes.
Haec placet, haec dubiam vincit ſententia mentem.

504 Heinſ. ſuadet, *Sed tamen*. 506 *timuere*. Sex., *tenuere*. Heinſ. legi vult, *renuere* Sed Burm. mallet, *At nonne Aeolidae thal. tenuere ſor* 509 *Nec*. Heinſ. placet, *Ne*. 512 *reiectura*. Multi, *neglectura*. Primam ſyllabam in *reiicere* fere ſemper *producit* docuit Burm. ad II, 582.

503 Dixerat *componar*, et repetit ſimplex *poſitaeque*, vt VIII, 653. *reſecat*, *ſectamque*. — *Componere* cum omnino ſit, ornare, etiam mortui, cum ornatu funebri decorantur ad exſequias, drr. *componi*. Ardor Byblidos tantus eſt, vt poſita etiam *oſcula* optet a fratre.

504 *arbitrium*, lubitum, voluntatem. *quaerit*, requirit, opus habet.

506 Non attingitur hic, vt Salſius putabat, Macarei et Canaces fabula; nam ea potius valuiſſet ad exſtinguendas obſcoenas Byblidis flammas; ſed *Aeolus* ſex filios habuiſſe legitur, quibus ſorores in matrimonium dederit. Homer. Od. κ, 6. *timuere*, auerſati ſunt. Hoc granius eſt, quam, quod Heinſ. ſuaſit et Rode approbauit, *renuere*. *hos*, tam antiquos et vulgo parum notos. Adfectus ea nobis ſuppeditat, quae nos ſcire ipſi ignorabamus ante. *paraui*, nota mihi feci. *Quo feror?* ad quorum exemplorum imitationem rapit me furor? *qua*, quantum, vt vſ. 455. Sic ratio viciſſe videbatur, vt VII, 72 ſeq.

512 *reiicere*, repudiare. Terent. Phorm IV, 4, 5. *ſi altera illa magis inflabit, forſitan nos reiiciet*. v. Gebhard. Crepund. III, 10.

514 *ora tenebit*, os continebit, praecludet. *Vocem praecludere* et *continere* alii dixerunt. *Litera* pro, literae. *arcana*, quae continet rem arcanam. Heroidd. XVII, 265. eleganter, *conſcia mentis litera*. — *vincit*, determinat.

516 Apud Anton. Lib. cp. 30. Byblis conſtituit, ne amorem in fratrem prodat, ſaxo ſe deiicere;

In latus erigitur, cubitoque innixa ſiniſtro,
Viderit: inſanos, inquit, fateamur amores,
Hei mihi! quo labor? quem mens mea concipit ignem?
Et meditata manu componit verba trementi.
Dextra tenet ferrum, vacuam tenet altera ceram.
Incipit, et dubitat; ſcribit, damnatque tabellas;
Et notat, et delet; mutat, culpatque, probatque:
Inque vicem ſumtas ponit, poſitasque reſumit.
Quid velit, ignorat: quidquid factura videtur,
Diſplicet. In vultu eſt audacia mixta pudori.
Scripta Soror fuerat; viſum eſt delere Sororem,
Verbaque correctis incidere talia ceris:
Quam, niſi tu dederis, non eſt habitura ſalutem,

520 Leid. *mediata*, quod a librario ſequioris aeui eſſe, qui *dimidiata verba* forte in Minucio Fel. legerit, Burm. iudicat. 521 Leid. tertius *tenet calamum* pro varia lect. cum gloſſa adſcripta *ſtilum ferreum*. Et *calamum* in ſimili loco Ep. XI, 2. legitur. In Regio vno et 3 aliis hic vſ. praeponitur praecedenti. Vterque ordo ferri poteſt.

quo facto, mutatur a Nymphis. Sed Noſter praetulit rationem eam, in qua ingenium oſtentare poſſet. Et eſt ſeq. locus ingeniosiſſimus. Dum enim poëta ſingulas Byblidis actiones exponit, res non narrari, ſed ante oculos agi videtur; et quo melius naturam fluctuantis animi expreſſit, eo maiore laude dignus eſt. *Viderit* vox eorum, qui curam et iudicium alicuius rei alteri relinquunt. Male igitur Rode, *es ſey gewagt*.

520 *meditata*, paſſiue, literas antea animo conceptas. *componit*, ſcribit, cerae mandat. *ferrum*, ſtilum ferreum. Expreſſit Eurip. Iph. Au. vſ. 34 ſqq. *damnat tabellas*, improbat quae ſcripſerat in tabellis. Durum tamen hoc viſum eſt Iuntt. Heinſ. itaque coni. *mandatque tabellis*, quod vix probabitur cuipiam; nam hoc idem foret, quod *ſcribit*. Burm. mutata interpunctione, *ſcribit damnatque*. *Tabellas Et notat* etc. Sed non opus eſt, vt quidquam mutemus. Certe *tabellas* pertinet etiam ad ſeqq. *culpatque probatque*, quod vſ. proximus docet. Et quis etiam in noſtra lingua dicere dubitet, *den Brief miſsbilligen? notare*, notas, literas exarare. III Pont. 2, 90. *ſcriptas exarat illa notas*. Heroidd. I, 62. *digitis charta notata meis*. Eurip. d. l. γράφεις — καὶ ταῦτα γράμματα συγχεῖς.

524 *ſumtas ponit* melius, quam, ſumit et ponit. Vno membro quo dixit. Cf. VIII, 474. In tali fluctuatione etiam *vultus*, animi index, notandus erat.

529 Accommodate ad conſilium ſuum circumloquitur formulam ſollemnem: Byblis ſalutem dicit Cauno ſuo. Similiter Heroidd. IV, 1. Phaedra Hippolyto. *Qua, niſi tu dederis, caritura eſt ipſa, ſalutem Mittit* etc. quae verba in 3 Miſſ. ſic leguntur, vt in noſtro loco. Principium litera-

Hanc tibi mittit amans. Pudet ah, pudet edere nomen!
Et, si quid cupiam, quaeris; sine nomine vellem
Posset agi mea caussa meo; nec cognita Byblis
Ante forem, quam spes votorum certa fuisset.
Esse quidem laesi poterant tibi pectoris index,
Et color, et macies, et vultus, et humida saepe
Lumina, nec caussa suspiria mota patenti,
Et crebri amplexus, et quae, si forte notasti,
Oscula sentiri non esse sororia possent.
Ipsa tamen, quamuis animo graue vulnus habebam,
Quamuis intus erat furor igneus, omnia feci,
(Sunt mihi Dì testes) vt tandem sanior essem:
Pugnauique diu violenta Cupidinis arma

533 *certa*. Palat. quintus *plena*. v. Burm. 536 Vnus Strozzae *suspiria nata*, quod Heins. placebat. 539 *habebam*. Burm. *alebam* coni. quamquam nec alterum damnat.

rum harum pudoris signa habet; non enim distertis verbis, sed ambagibus significat, quid velit; sed mox audacia crescit; bene igitur vs. 526. *in vultu audacia mixta pudori*.

533 *quam spes* etc. quam compos facta essem votorum et spei meae.

534 sqq. Diligenter colligit *laesi*, vulnerati Cupidinis telis, pectoris indicia. Cf. Heroidd. XI, 27. *color*, nempe pallidus. A. A. I, 729. *Palleat omnis amans; hic color est aptus amanti*. Paullo post, *Arguat et macies animum*. Claudian. Nupt. Honor. 80. *gratus amantum pallor*. — *suspiria*. Hinc *suspirare* in aliquam, I Fast. 417. *absentes suspirat amores*. Tibul. I, 6, 35. vbi v. Heyn. *mota* non mouendum. Ita *mota ira*, excitata, VIII, 355. et saepius, *moti dolores* II, 778. *mota insania* III, 536. *nec caussa patenti*, cum tacita sedens, aut inter sermones non tristes suspirarem. *Sororia oscula* etiam supra IV, 334. Cf. II, 431.

539 Argumentis, quibus poterat, grauissimis vtitur ad commiserationem faciendam, fratrisque animum flectendum. Vim mihi feci, vt insanum amorem restinguerem. A te vno sororis salus pendet, quae te vnice amat. Quod peto haud inconueniens est annis nostris, et clam peragi potest. Miserere ergo mei. Sed vide, quam grauiter singula et apte ad veniam impetrandam exornauerit. Veluti ab initio amorem suum vocat *graue vulnus* et *furorem igneum*, non a se ipsa excitatum, sed *Cupidinis* armis, i. telis *violentis*, quibus nemo resistere potest. Ipsos *Deos* testatur, se *omnia* fecisse, et *diu pugnasse*, vt tandem sanior esset, seque adeo *duram* (i. confirmato animo et fortiter) *plus* tulisse, quam *puellae* infirmiorem aetatem et sexum ferre putes, sed se post hanc tantam et diuturnam pugnam tandem *superatam* esse. — E phrasi *habere vulnus* Burm. explicandam monet formulam *habet!*

Effugere infelix; et plus, quam ferre puellam
Posse putes, ego dura tuli. Superata fateri
Cogor, opemque tuam timidis exposcere votis.
Tu seruare potes, tu perdere solus amantem.
Elige, vtrum facias. Non hoc inimica precatur:
Sed quae, cum tibi sit iunctissima, iunctior esse
Expetit, et vinclo tecum propiore ligari.
Iura senes norint: et quid liceatque, nefasque,
Fasque sit, inquirant, legumque examina seruent:
Conueniens Venus est annis temeraria nostris.
Quid liceat, nescimus adhuc, et cuncta licere
Credimus; et sequimur magnorum exempla Deorum.
Nec nos aut durus pater, aut reuerentia famae,
Aut timor impedient; tantum absit caussa timendi.
Dulcia fraterno sub nomine furta tegemus.
Est mihi libertas tecum secreta loquendi,
Et damus amplexus, et iungimus oscula coram.
Quantum est, quod desit! miserere fatentis amorem,

549 Vossian. *propiore teneri*. Hoc verb. sano et de vinculo et de amantibus dr. sed quoniam *tecum* additur, *ligari* verum est. 556 *impedient* Heins. ex vno Gronoviano recepit; nam caeteri, *impediet*. Mox variant Codd. Multi ex vetustioribus *tantum sit*, nonnulli, *adsit* vel *assit*. Primus Vatic. omisit *tantum*. Heins. suadebat: *nam quae sit caussa timendi?* 558 *secreta*. Burm. probat vnius Leid. scripturam *secura*. 560 *desit*. Heins. coni. *desit*.

550 *Liceat* per leges, *nefas* per naturam. Cic. pro Mil. 16. *quod aut per naturam fas esset, aut per leges liceret*. *Examina seruent*, examinent, perstent examinare leges, vt *seruare iudicium sanum*, in eo perseuerare. Burm. tamen mallet, *versent*, quod melius responderet τῷ *inquirant*, et *versare examina* dictum esse, vt *versare exemplaria* graeca ap. Horat. A. P. 268. At aliud est *versare exemplaria*, aliud *examina*. Rode: *lass sie der Gesetze Ausspruch befolgen*, quasi scriptum esset *dictamina*. *Quid liceat* etc. Vulgaris iuuentutis peccantis excusatio. *temeraria*, legibus et natura prohibita. *Sequimur exempla Deorum*, vt Chaerea apud Terent. Eun. III, 5, 36 sqq.

555 *Durus*, seuerus, seuere curans mores liberorum. Horat. I Ep. I, 23. *quos dura premit custodia matrum*. Opp. *facilis* pater. *reuerentia*, cura. *caussa timendi* fuisset, si aut palam aut immoderate se amassent. *Dulcia furta* e Virg. G. IV, 346. suaues amores, quibus amantes clam fruuntur. Ii *fraterno sub nomine teguntur*, cum sub specie fraternae et sororiae pietatis celantur. To *secreta* nolim mutari, quia bene respondet seq. *coram*.

Et non faſſurae, niſi cogeret vltimus ardor:
Neue merere, meo ſubſcribi cauſſa ſepulcro.
Talia nequicquam perarantem plena reliquit
Cera manum, ſummusque in margine verſus adhaeſit.
Protinus impreſſa ſignat ſua crimina gemma;
Quam tinxit lacrimis: linguam defecerat humor.
Deque ſuis vnum famulis pudibunda vocauit;
Et pauidum blandita, Fer has, fidiſſime, noſtro,
Dixit, et adiecit longo poſt tempore, fratri.
Cum daret; elapſae manibus cecidere tabellae.

563 Sec. Medic. *properantem.* Alii duo, *parantem.* 565 *crimina.* Nonnulli, approbante Heinſ. *carmina.* 568 Vulgo *paululum blandita.* Sed alterum agnoſcunt plurimi veteres et Ciofani omnes.

562 Noli committere, vt tu cauſſa mortis meae ſubſcribaris in monumento meo. Hic vſ. ſuſpectus erat Heinſio. Retinendum eum recte cenſet Gronov. quia in titulis ſepulcralibus elogio cauſſa mortis addi ſolebat. V. Kirchm. de Fun. Rom. III, 20. Exemplum talis inſcriptionis eſt ap. Tibul. III, 2, 29 ſq. vbi cf. Brouckh. Etiam Heroidd. II, 155. *Inſcribere meo cauſſa inuidioſa ſepulcro.* Et magnam vim habere haec debebant apud fratris animum. Itaque et alibi ſic alter amantium mouere conatur alterum, vt Heroidd. XVIII, 200.

563 *Perarantem. Properantem,* quod habent Mſſ. tres, poſſet quidem e vſ. 586 defendi, ſed et alterum bene ſe habet; nam et *arare* de properante ſcriptore dr. eoque, qui tabula cerata vtitur. Etiam Amorr. I, 11, 7. pro, *ad dominum peraratas mane tabellas perfer* edit. pr. habet *properatas.* Tabula *plena* literarum *reliquit manum,* ingenioſe, non ſuffecit ſcribenti, adeo, vt *ſummus,* vltimus, verſus margini allinendus eſſet. Etiam Apoſtolo Paulo (vt hoc obiter addam) id accidiſſe arbitror, cum priorem ad Timoth. epiſtolam ſcriberet, vt, deficiente cera, verba μηκέτι ὕδροποτει etc. in margine appingenda eſſent, vnde eo ipſo loco, ſed importune, textui illata ſunt.

565 *ſua crimina,* literas, quae habebant ſua crimina. Sic VI, 131. *coeleſtia crimina. Gemmae* ſignando vſurpatae, poſtquam ſcalpi coeperunt. Tibul. I, 6, 25. *gemmae ſignumue,* i. ſignum in gemma. Gemmae autem *tingui linguae humore* ſolebant, ne retinerentur a cera tenace. Amorr. II, 15, 15 ſqq.

568 *pauidum* bene e Mſſ. plurimis reuocauit Heinſ. Exprimit enim ingenium herae, quae non blandita fuiſſet famulo, niſi pavida fuiſſet. Blanditiae autem ſunt in *fidiſſime,* et in vultu, quo haec pronuntiauit. Cf. Terent. Ad. V, 5, 4. et Noſter XIV. 705. *Fidus* honeſtius voc. eſt, quam *fidelis. Fidus* enim amicus eſt, *fidelis* ſeruus. v. Donat. ad Terent. Andr. III, 1, 2. Phorm. I, 2, 26. *Pauidum,* pauide. Safftius vertit: Vnd redet ihn, da er erſchrickt, freundlich an. Ergone *blandiri aliquem* dr.? *Et adiecit* etc. non tam propterea, quia *fratris* nomen ei odioſum (potuiſſet

Omine turbata eſt: miſit tamen. Apta miniſter
Tempora nactus adit, traditque latentia verba.
Attonitus ſubita iuuenis Maeandrius ira,
Proiicit acceptas, lecta ſibi parte, tabellas:
Vixque manus retinens trepidantis ab ore miniſtri,
Dum licet, o vetitae ſcelerate libidinis auctor,
Effuge, ait: qui, ſi noſtrum tua fata pudorem
Non traherent ſecum, poenas mihi morte dediſſes.
Ille fugit pauidus, dominaeque ferocia Cauni
Dicta refert. Palles audita, Bybli, repulſa;
Et pauet obſeſſum glaciali frigore pectus.
Mens tamen vt rediit, pariter rediere furores;
Linguaque vix tales icto dedit aere voces:

574 Heinſ. malebat, *lecta vix parte,* quod improbat Burm. quia *vix* ſequitur. 583 *icto.* Neapol. et duo alii *ſecto.*

enim ambigue vti h. nomine, quandoquidem et amatores et concubini *fratres* vocabantur. Martial. II, 4 X, 64. Tibul. III, 1, 23.), quam propter perturbationem animi. *longo poſt tempore,* vt Virg. Ecl. I, 30. *poſt tanto* G. III, 476 vbi v. Burm. Etiam h. l. vulg. *poſt longo. elapſae cecidere* pro, elapſae ſunt. Facile eas pavor excutere potuit e manibus. Sed talia ſuperſtitio in *ominibus* ponebat.

571 *Apta* et vſ. 610. *idonea tempora,* ſunt opportuna rei agendae, graec. εὐκαιρία. Nugator Horat. ſimpliciter, *Tempora quaeram.* Ea miniſter noſter *nactus,* forte fortuna tali tempore adiit. *Nancifci* enim ea dicimur, quae nobis caſu eueniunt.

573 *Attonitus,* furens. *Subita* enim ira in furorem rapit homines, vt parum curent, quid dicant agantue. Non ſine cauſſa *iuuenis* vr. *Iuuenes* enim ſunt ὀξύθυμοι καὶ οἷοι ἀκολαθεῖν τῇ ὁρμῇ. Ariſtot. Rhet. II, 12.

576 Veriſſime imitatur ſermonem eorum, quorum ira erumpit in famulos. *auctor,* nuntius. *traherent ſecum,* ſibi adiunctum haberent. Faſt. IV, 662. *Nox venit, et ſecum ſomnia nigra trahit.* — *pudorem noſtrum,* rem, quae nobis pudori eſt. Si morte affeciſſet famulum, cauſſa etiam mortis, quam tegere debebat Caunus, diuulgata eſſet. Plusquamperf. *dediſſes* bene conuenit irato animo.

581 Summam animi perturbationem exprimit. Ea enim facit, vt vitalis calor cum ſanguine exteriores corporis partes relinquat. v. Gellius XIX, 6. Hinc pallor trepidantium. *Frigidius glacii pectus.* Heroidd. I, 22. Statius Theb. X, 617. *corda metu glaciante.* Lucan. VII, 339. *ſtat corde gelato attonitus.*

583 *icto,* moto. III, 706 *ictus vlulatibus aether.* IV, 124. de aqua, *ictibus aera rumpit.* Claud. in Rufin. I, 130. *vlulatu aethera rupit.* Burm. hoc ex arguta Stoicorum ſententia dictum putabat, qui vocem *ictum aëra* eſſe contenderint. Sed nil aliud eſt, niſi

Et merito: quid enim temeraria vulneris huius
Indicium feci? quid, quae celanda fuerunt,
Tam cito commisi properatis verba tabellis?
Ante erat ambiguis animi sententia dictis
Praetentanda mihi. Ne non sequeretur euntem,
Parte aliqua veli, qualis foret aura, notare
Debueram, tutoque mari decurrere; quae nunc
Non exploratis implevi lintea ventis.
Auferor in scopulos igitur, submersaque toto
Obruor Oceano; neque habent mea vela recursus.
Quid? quod et ominibus certis prohibebar amori
Indulgere meo, tum cum mihi ferre iubenti
Excidit, et fecit spes nostras cera caducas?
Nonne vel illa dies fuerat, vel tota voluntas,

585 *quid.* Cum nonnulli *quod* habeant, Heins. putabat *quo*, i. cur. Sine caussa; nam *quid* idem significat et de industria repetitum est a poëta. 592 Heins. pro *toto* malebat *moto*.

quod alibi occurrit, *voces effundere in aëra.*

584 Incipit abrupte, *Et merito*, vt VI, 687. Nempe postquam multa secum cogitauerat de repulsa, quam tulerat, dolor in haec verba erumpit, *Et merito.* Cum res non succesſit ex animi sententia, singula, quae fecimus, retractare solemus animo, et incerti mox in hoc, mox in illo causſas spei frustratae quaerimus. Idem nunc facit Byblis; sed iusto longior est haec retractatio, quae pertinet vsque ad vs. 614. *properatis*. v. ad X, 31.

588 *praetentandi*, ante manifestam declarationem experienda. *Praetentare* etiam VIII, 7. Iam conatus suos cum nauigatione comparat, in eaque metaphora diu persistit. Sed vix dolenti animo conuenit talis allegoria. Sensus autem eius facile potest a quouis lectore reperiri. *notare*, obseruare. *Ne non sequeretur euntem*, vt secundaret cursum meum. *euntem*, nauigantem. A *sequendo* ventus *secundus* dictus. *decurritur* pr. in stadio ad calcem, sed inde h. v. ad nauigationem translatum.

594—99 Ex more superstitiosorum hominum haec dicta, qui, vbi aduersi aliquid iis accidit, id inde repetunt, quod ominibus non paruerint. Virg. Ecl. I, 16. *Certa omina* et *signa* sunt perspicua, et opp. *obscuris*, quae dubites an ominis vim habeant. Virg. G. I, 229. *haud obscura signa.* — *fecit* etc. Cera caduca portendit, spem quoque meam esse *caducam*, i. vanam. *Caducae preces* I Fast. 181. *Sed potius mut. dies* bene ad amoris ardentissimi veritatem repetitum, cum non sustineret *totam voluntatem*, totum consilium, abiicere. *Monere* pr. de ominibus, auguriis etc. *male fana*, insana. Virg. *si mens non laeua fuisset.*

Sed potius mutanda dies? Deus ipse monebat,
Signaque certa dabat; si non male fana fuissem.
Et tamen ipsa loqui, nec me committere cerae
Debueram, pharetramque meos aperire furores.
Vidisset lacrimas: vultus vidisset amantis.
Plura loqui poteram, quam quae cepere tabellae.
Inuito potui circumdare brachia collo:
Amplectique pedes affusaque poscere vitam.
Et, si reiicerer, potui moritura videri.
Omnia feciſſem; quorum si singula duram
Flectere non poterant, potuissent omnia, mentem.
Forsitan et missi sit quaedam culpa ministri.
Non adiit apte: non legit idonea, credo,
Tempora: nec petiit horamque animumque vacantem.
Haec nocuere mihi. Neque enim de tigride natus;
Nec rigidas silices, solidumue in pectore ferrum,
Aut adamanta gerit, nec lac bibit ille leaenae.
Vincetur. Repetendus erit: nec taedia coepti

599 Tres *Signaque cara.* Heins. volebat *Et rata signa.* 602 Heins. malit *amantes*, vel *vultum amantem*, quia *vultum* plurimi veteres. 608 Vnus Heins. vnus Ambros. cum Cod. Bersm. *poterant tamen omnia*, quod concinnum videbatur Heins. 610 Heins. malit, *Non petiit*, et mox *vacantes.* 613 *rigidas* e duodecim praestantioribus. Caeteri *rigidos.* 615 Neap. et Medic. *taedia faciam.* Regius, Vrbin. et pr. Palat. mutata distinctione, *mei: cupiam.*

600 — 8 Coram melius, quam literis, fratrem vicissem. *me* cum vi dictum, id, vnde salus mea pendet. Etiam *committere* verb. delectum. *Ipsa* opp. literis, coram. Iam singula enarrat, quibus praesens fratris animum vel mollem mouere, vel durum vincere et cogere tentasset. Sunt autem illa amantium, dolentium, persuadentium, supplicum, desperantium. *Adfusum* s. *aduolutum amplecti pedes* aut *adhaerere genibus* etiam Romae frequens supplicantium mos. Plin. IX Ep. 21, 1.

610 Idem rursus ter dixit; nam *adire apte*, *legere idonea tempora* (v. ad vs. 571.) et *petere horam vac.* eodem redeunt. Sed consusae menti conuenit talis tautologia. *Hora animusque vacans*, hora, vbi animus vacat laboribus.

612 *Haec* non modo ad proxime antecedentia, sed et ad superiora referendum. Nisi culpa aut mea aut missi ministri esset, si rem aliter tractassem, victus esset frater; *neque enim de tigride* etc. Hinc commode eo defertur, vt rem denuo tentare cupiat. Verbis autem illis *de tigride natus* etc. sollemne poëtis animum durissimum describere. vid. ad VII, 32.

615 — 28 Nouum periculum facere vult. *Repetendus*, denuo tentandus. Cf. Horat. Sat. I, 9,

Vila mei capiam, dum ſpiritus iſte manebit.
Nam primum, (ſi facta mihi reuocare liceret)
Non coepiſſe fuit: coepta expugnare, ſecundum eſt.
Quippe nec ille poteſt, (vt iam mea vota relinquam,)
Non tamen auſorum ſemper memor eſſe meorum.
Et, quia deſierim, leuiter voluiſſe videbor.
Aut etiam tentaſſe illum, inſidiisque petiſſe.
Vel certe non hoc, qui plurimus vſſit et vrit
Pectora noſtra, Deo, ſed victa libidine credar.
Denique iam nequeo nil commiſiſſe nefandum.
Et ſcripſi, et petii: temerata eſt noſtra voluntas.
Vt nihil adiiciam, non poſſum innoxia dici.
Quod ſupereſt, multum eſt in vota, in crimina paruum.
Dixit: et (incertae tanta eſt diſcordia mentis)
Cum pigeat tentaſſe, libet tentare; modumque
Exit, et infelix committit ſaepe repelli.
Mox vbi finis abeſt; patriam fugit ille, nefasque.
Inque peregrina ponit noua moenia terra.

622 Olim ed. *vrget* et *vrit*. Sed *vrit et vſſit* iam Ciofano placebat e fide Cod. et Goeſt. Idem poſtea in pluribus repertum veteribus. Heinſ. coni. *vrit et vrat*. Burm. placebat cum tribus *vſſit et vrit*. 629 *incertae*. Quatuor *inceſtae*, non abſurde, iudice Burm. Heinſ. rectius legendum putabat *menti*.

615 ſqq. *taedia capiam* pro vulgari. taedia capient me. Laudat Burm. Corn. Nep. apud Gellium VII, 18. *Vt taedium vitae ceperint*. Dictum ergo eſt vt *gaudia capere*, et ap. Cic. Quint. 31. *capere miſericordiam*, miſereri. Librarii h. l. haeſere in hac formula. Notatur autem h l triſtis ſors eius, qui e turpiſſimorum criminum infamia ſe expedire neſcit, niſi nouis ſceleribus perpetrandis.

617 *Fuſta reuocare*, facta infecta reddere. *coepta expugnare*, coepta perficere. Fatetur Burm. ſe ignorare huius locut. exemplum. Comparare poſſis ex XIV, 21 *expugnax herba*, efficax. *vt iam* etc. quod ſi etiam nunc a votis meis abſiſtam. *leuiter*, non ſummo furore correptam, quod excuſatius. Maiorem etiam veniam merentur, qui a *Deo* incitati, quam qui *libidine* victi amant. Cum in Mſſ. nonnullis ordine inverſo legatur, *vſſit et vrit*, id Burm. praeferendum cenſet, vt ſe nondum deſiſtere poſſe indicet. Eum ordinem nos reſtituimus. Sic VIII, 350. *ſi te coluique coloque*. XII, 114. *Valuit mea dextra valetque*. — *plurimus*, ſumma vi.

629 *incerta*, dubia, fluctuans. *exit*, excedit. *committit repelli*, commiſſis ſuis facit, vt repellatur ſ. reiiciatur.

633 *In peregrina terra*, in Caria, condidit *Caunum* vrbem in

Tum vero moeſtam tota Miletida mente
Defeciſſe ferunt: tum vero a pectore veſtem
Deripuit, planxitque ſuos furibunda lacertos.
Iamque palam eſt demens, inconceſſamque fatetur
Spem Veneris, ſine qua patriam, inuiſosque penates
Deſerit, et profugi ſequitur veſtigia fratris.
Vtque tuo motae, proles Semeleia, thyrſo
Iſmariae celebrant repetita triennia Bacchae;
Byblida non aliter latos vlulaſſe per agros
Bubaſides videre nurus: quibus illa relictis
Caras, et armiferos Lelegas, Lyciamque pererrat.
Iam Cragon, et Lymiren, Xanthique reliquerat vndas,
Quoque Chimaera iugo mediis in partibus ignem,

638 *Sine qua*, quod veteres plerique agnoſcunt, frigidum videbatur Scheppero, qui corrigebat, *linquit patriam*. Duo Medic. *pro qua*. Olim ed. *ſiquidem*. 641 *triennia*. Mſſ. multi *triterica, triaterica, trietica* etc. 646 Naugerius coni. *partibus ingens*. Conſtant. Fan. Perottus, Glareanus, Micyllus, Farnab. Rode *hircum* praeferebant, Heinſ. *ignem*.

valle, cuius Noſter vſ. 663. meminit, vnde eam Q. Calaber VIII, 79. κοίλην vocat, atque etiam lacum aquae limpidae in illa valle memorat. *deficere mente*, amentem fieri. *inconceſſam ſpem* exquiſitius eſſe puto, quam, quod Heinſ. volebat, *inconceſſae Veneris*.

640 Sollemne poëtis, furentes cum mulieribus bacchantibus comparare. IV, 520 ſqq. *triennia*, ſacra Thebanorum trieterica in honorem Bacchi, de quibus III fab. vlt. Illud ipſum nomen *trieterica* librarii h. l. ſubſtituere voluerunt, ſed veram eius formam reperire non potuerunt. Vid. Varr. Lect. *repetita* drr. ſacra, quae ſtatis temporibus celebrantur. *Bubaſus*, Cariae regio, Plin. V, 28 ſ. 29. et vrbs Stephan. Byz. Βύβεσσος (etiam Plin. *Bubaſſus*) πόλις Καρίας. *nurus*, mulieres. *Leleges*, Aſiae minoris incolae, Caribus vicini. v. Strabo lib. XIII.

645 *Cragus* mons Lyciae. Plin. V ſ. 27. *promontorium* dr. *Lymire*, fluuius et oppidum Lyciae. De *Chimaera* v. ad VI, 339. Cum autem et corpus habuiſſe dicatur caprae et ignem vomuiſſe, quaeritur, vtrum h. l. *ignem* an *hircum* praeferendum ſit; nam Mſſ. trahunt vtroque. Heinſ. recepit *ignem*, quia Chimaera vr. πῦρ πνέουσα, *ignifera* et *ignea*. Verum hoc non ſatis eſt ad defendendam illam lectionem; nam etiam μέσση χιμαίρα vr. ab Homer. Il. ζ, 155. Heſiod. Theog. 322. Ignem vero non e mediis partibus, ſed e faucibus vomuit. Fauet tamen τῷ *ignem* alius loc. IV Triſt. 7, 14. *Chimaeram, A truce quae flammis ſeparat angue leam*. Caeterum Chimaeram montem Lyciae fuiſſe perhibent, quem ſummum leones, medium caprae, imum dracones tenuerint. v. Serv. ad Virg. Aen. VI, 288. *lea* i. q. *leaena*. v. Munker. ad Hygin. fab. 185.

Pectus et ora leae, caudam ſerpentis habebat.
Deficiunt ſiluae: cum tu laſſata ſequendo
Procidis, et, dura poſitis tellure capillis,
Bybli, taces, frondesque tuo premis ore caducas.
Saepe etiam Nymphae teneris Lelegeides vlnis
Tollere conantur; ſaepe, vt moderetur amori,
Praecipiunt, ſurdaeque adhibent ſolatia menti.
Muta iacet: viridesque ſuis terit vnguibus herbas
Byblis; et humectat lacrimarum gramina riuo.
Naïdas his venam, quae numquam areſcere poſſet,
Suppoſuiſſe ferunt. Quid enim dare maius habebant?
Protinus, vt ſecto piceae de cortice guttae,
Vtue tenax grauida manat tellure bitumen;
Vtue ſub aduentum ſpirantis lene Fauoni
Sole remolleſcit, quae frigore conſiitit vnda,
Sic lacrimis conſumta ſuis Phoebeïa Byblis
Vertitur in fontem, qui nunc quoque vallibus illis
Nomen habet dominae; nigraque ſub ilice manat.

648 Bersm. coni. *Deſtituunt.* Male. 651 Vulg. *Saepe illam.* 654 Multi *muta tacet*, vt X, 389. *muta ſilet.* Sed *iacet* melius reſpondet τῷ *terit.* Pro eo vulgo, *tenet.* 663 Sex, *vallibus imis.* Sic ſane VI, 343. ſed nunc, vbi locus mutationis indicandus, praeſtat *illis.*

648 *Defic. ſiluae.* V, 463. de Cerere, *quaerenti deſuit orbis.* Verb. *procidere* comprobat Heinſ. exemplis. Sed et vulg. *concidere* bene ſe habet: dicitur enim de iis, qui vel morientes vel animo linquentes cadunt. Atque ita et Lactant. legit, vt ex Arg. apparet. *frondes caducas*, folia, quae decideruut. Sed VI, 396. *lacrymae caducae*, quae decidunt. Virg. Aen. X, 622. *inuenis caducus*, caſurus. Sueton. Galb. 17. *caducum auſpicium*, caſum denuntians.

653 *adhibere ſolatia*, vt III, 376. *adhibere preces*, et Tibul. III, 4, 75. *adhibere querelas. humectat* etc. Virg. Aen. I, 465. *humectat flumine vultum*, vbi Heyn. monet, *humectare* eſſe exquiſite pro, irrigare et habere vim mitigandi ideam *fluminis.*

656 In ſcaturiginem perennem mutant iſtas lacrymas. *habebant*, poterant. Horat. I Ep. 16, 23. *An melius quis habet ſuadere?*

658 *Picea* plurimum fundit reſinae, eaque tota eſt perfuſa. Plin. XVI, 10. *bitumen* in Babyloniorum potiſſimum finibus e terra exaeſtuabat. Iuſtin. I, 2, 7. *grauida*, quatenus e ſinu aut vtero ſuo fundit bitumen. *conſiſtere* pr. de fluviis glacie adſtrictis.

663 Noſter A. A. tradit, eam laqueo vitam finiiſſe. Nec aliter Conon. Narrat. 2. et Parthen. Erot. cp. XI. Anton. Liber. autem cp. 30. auctor eſt, eam in Hamadryadem eſſe a Nymphis mutatam, cum ſe voluiſſet e ſcopulo praecipitem dare, et fontem e ſaxo manantem dictum δάκρυον Βίβλιδος. Burm. ſuſpicatur, eam ſuſpendiſſe ſe ad *ilicem* et inde delicuiſſe in fontem. Fuerunt haud dubie variae de ea re traditiones. *Nomen dominae*, Byblis fons paſſim commemoratur. *nigra* a nigricante virore. Sic et Virg. Ecl. 6, 55. Cul. 138. *ilicis et nigrae ſpecies.* De illo *fonte* et *valle* v. ad vſ. 633.

Fama noui centum Cretaeas forſitan vrbes *Iphis.*
Impleſſet monſtri; ſi non miracula nuper
Iphide mutata Crete propiora tuliſſet.
Proxima Gnoſiaco nam quondam Phaeſtia regno
Progenuit tellus, ignoto nomine Ligdum,
Ingenua de plebe virum. Nec cenſus in illo
Nobilitate ſua maior; ſed vita fidesque
Inculpata fuit: grauidae qui coniugis aures
Vocibus his mouit, cum iam prope partus adeſſet:
Quae voueam duo ſunt, minimo vt releuere labore;

669 Monet Heinſ. poſſe et *Lygdum* ſcribi; nam et λίγδος et λύγδος graeca eſſe. Idem malit cum paucis Mſſ. *ignotum.* Sine cauſſa. In Argum. Lact. Ed. Colon. *Lyctus*, vt et Ald. h. l. Huius nominis vrbs in Creta. 673 *mouit* e quinque Mſſ. Heinſ. recepit pro *monuit*, et mox *labore* ex Vrbin. pr. Erfurt. et quatuor aliis praetulit τῷ *dolore*, quia *labor* eſt puerperarum.

FAB. IX. 665 — 796 *Iphis* cum *Ianthen* vxorem ducere vellet, Iſidis auxilio e virgine mutatur in puerum. Haec ex Nicandro refert Anton. Lib. cp. 17. *Iphis* ib. vr. Leucippus. Reliquas varietates ſuis locis videbimus. Fab. ſuperiore nefandum amorem retulit, nunc ſubiungit prodigioſum.

665—67 Viam ſibi munit ad ſab. ſeq. *Cretaeas*, nempe quia Cauni pater inde oriundus, vſ. 443. E Creta profectus nos eo reducit. *Monſtrum* et *miraculum*, mirae corporum transformationes, vt II, 367. De *centum* Cretae vrbibus v. ad VII, 481. *tuliſſet.* Plin. VIII Ep. 20, 2. de miraculis naturae, *quae ſi tuliſſet Achaia.*

668 *Phaeſtos*, (Plin. IV ſ. 20. *Phaeſtum*) vrbs et regio inſulae Cretae. Sed *Gnoſus* multo celebrior Phaeſto. *Ligdus* ap. Ant. Lamprus vr. et vxor, quae Noſtro *Telethuſa* eſt, Galatea. — *ignoto nomine*, nec clarum rebus geſtis, nec nobili genere natum. Vtroque modo dr. *nomen*, et de fama et de generis nobilitate. Virg. Aen. IX, 343. *Nullam ſine nomine plebem. Ignotus* autem paſſim pro ignobili et obſcuro. *Cenſus*, diuitiae, vt III, 588. *in illo*, illius. *Nobilitate*, iocoſe dictum. Male igitur auctor Arg. *generoſam* ei *ſtirpem* tribuit. Hac eius notatione autem et viri decretum illuſtratur et auxilium ei latum. In *vita* hominum *fides* in primis ſpectatur, fundamentum, aut, ſecundum Horat. I od. 24, 6. ſoror iuſtitiae.

673 Probitatem viri probat etiam ſeq. oratio. De ſalute coniugis eſt ſollicitus, inuitus mandat,

Vtque marem parias. Onerosior altera sors est;
Et vires fortuna negat. Quod abominor, ergo
Edita forte tuo fuerit si femina partu;
(Inuitus mando: pietas, ignoscе) necetur.
Dixerat: et lacrimis vultum lauere profusis,
Tam qui mandabat, quam cui mandata dabantur.
Sed tamen vsque suum vanis Telethusa maritum
Sollicitat precibus, ne spem sibi ponat in arto.
Certa sua est Ligdo sententia. Iamque ferendo
Vix erat illa grauem maturo pondere ventrem;
Cum medio noctis spatio, sub imagine somni,
Inachis ante torum, pompa comitata suorum,

676 *fortuna.* Vnus Ciofan. prim. Medic. pr. Vatic. et decem alii *natura.* V. not. 684 Vulgo *vexerat*, quod facile oriri potuit ex *Vix erat.* Iam hoc *πρῶτον ψεῦδος* multas varietates peperit, *vinxerat, vixerat, auxerat, duxerat, gesserat* 686 Olim ed. *sacrorum*, sed Heins. ex plurimis Mss. pr. Med. sec. Pal. *suorum* dedit. Burm. ex *sororum*, quod non pauci praeterunt, *comitante sonora* exsculpi posse putabat, vt ad *sistra* referatur.

addit lacrymas. *Mouet aures alterius* et is, qui eum alloquitur, et res, quae narratur. IV, 271. Hoc magis poëticum, quam quod Heins. arridebat, *monuit vouere*, precari. *altera fors.* Saffrius vertit, ein andrer Fall. Imo, sexus femininus intel. Sic *fors* etiam III, 329. VI, 680. Ea fors est *onerosior*, quia patrem non adiuuare potest in victu quaerendo. *Vires* dici pro patrimonio, opibus, docent Gronov. Obseruatt. IV, 29. et Burm. ad h. l. Sed duodecim Mss. habent, *natura negat*, quod probat Heins. Conditio naturae muliebris negat vires, quo minus operam filia nauare possit patri. Etiam Gronov. Obs. II, 12. praefert, *natura.*

678 *Pietas*, officia paterna, quae hoc mandato laeduntur.

679 *lauare* poët. pro, irrigare. Virg. Aen. XII, 121. et Georg. III, 221.

681 In animo muliebri affectus maternus praeualet, apud Ligdum dura necessitas. *spem ponere in arto*, spem angustis finibus circumscribere, masculam tantum prolem sperare. *sibi* et ad Ligdum et ad Telethusam referri potest. *certa*, immutabilis.

683 *Ferre ventrem* pr. de gravidis. *Erat ferendo*, poterat ferre, vt *non soluendo esse.* Etiam infra XV, 403. *onerique ferendo est.* Profectum tamen est *Vix erat* ex ingenio Heins. qui ita scripsit pro vulg. *vexerat*, quod sane ferri nequit. Nam etsi *vehere* interdum pro portare dr. tamen *ferendo vehere* nemini, opinor, placebit. Nec melius quidquam suppeditant Mss. vt sane coniecturis sanandus sit locus. Graeuius et Caposerreus malebant, *Fessa erat.*

686 Sic Aegyptiaca quoque mythologia attingitur, forte eam maxime ob causam, quod Romae etiam Isiaca sacra celebrabantur, pluraque templa intra ipsam vr-

Aut stetit, aut visa est. Inerant lunaria fronti
Cornua, cum spicis nitido flauentibus auro,
Et regale decus: cum qua latrator Anubis,
Sanctaque Bubastis, variusque coloribus Apis;
Quique premit vocem, digitoque silentia suadet;

bem Isis habebat. v. Dio XL, 47. ibique Reimarus. Cf. cum nostro loco Amorr. II, 13, 7. Tibull. I, 3, 23 sqq. Ap. Anton. Lib. Latonae opem implorat mater. Sed Cretenses facile habere etiam Aegyptiacas religiones potuerunt. *Inachis*, Isis Aegyptiorum, in quam Io, Inachi filia, mutata credebatur. v. I fab. X. Hinc simulacrum eius *βάκτρον* Herodot. II, 40. Sed erant, qui Isidem cum Luna eandem esse dicerent, quia statuae eius in fronte *lunaria cornua*, lunam corniculatam gerebant. Plutarch. de Iside et Osir. p. 467. ed. Reisk. *Inerant fronti*, gerebat in fronte. Cornua, quae pr. sic drr. rectius dicas *inesse fronti.* Vix autem dubium est, Isidem fuisse reginam, quae cum Osiride coniuge agrum colere suos docuerit. Diod. Sic. I. p. 17. Hinc *spicae flauentes auro*, aureae. Tertullian. de Coron. cp. 7. auctor est, Isidem primam repertas spicas capite circumtulisse. *Regale decus*, diadema, quod etiam a Curt. V, 8, 13. *decus capitis* vr. Claudian. Laud. Stilic. I, 7. *victoris decus*, laurea.

689 In *pompa* s. comitatu erat *Anubis latrator*, i. canis. Propert. III, 9, 41. *latrans Anubis.* Osiridis filium, metu Typhonis expositum, reperit canis, quem ille deinde, Anubim dictum, comitem sibi et custodem fecit perpetuum. Plutarch. d. l. p. 407. Alii filium ipsum cum facie canina fuisse tradunt. Alii rursus Mercurium ab Aegyptiis sic formatum et dictum existimant. v. Iablonsky Panth. V, 1. Cum capite canino Anubis cernitur ex marmore expressus ap. Boissard. Antiqu. Rom. P. 6. p. 78. *Bubastis* colebatur in vrbe Bubasto, et eadem cum Diana fuisse a multis perhibetur. *Apis*, bos candidus cum maculis nigris, Osiridem referens. Plutarch. d. l. p. 452. Solin. cap. 134. Ammian. Marc. XXII, 14. hinc *varius coloribus*, versicolor. *Varius* etiam simpl. ita ponitur. Claudian. R. P. II. Praef. 27. *varia tigris.*

691 Harpocrates, Isidis filius, qui meliorem Deorum notitiam suis tradiderat, pingebatur cum digito ori imposito, quod erat taciturnitatis symbolum. In sacris eius clamabatur, *γλῶσσα τύχῃ, γλῶσσα δαίμων.* Plutarch. d. l. p. 488. — *Sistrum*, crepitaculum aeneum et rotundum, *ἀπὸ τῦ σείεσθαι*, a concutiendo sic dictum. In superiore parte sculpta erat felis cum facie humana, in inferiore Isis. Vsus eius erat in sacris Isidis, eiusque sonitu Typhon terreri credebatur. Plutarch. p. 488. Formam eius expressam vides in Lipperti Dactyl. I, 870. *Osiridis* corpus a Typhone in quatuordecim partes discerptum fuerat, atque disiectum. Illas partes vndique conquisitas composuit Isis eo ipso loco, quo quamque inuenerat. Plutarch. p. 411. In eius rei memoriam sacra instituta, in quibus sacerdotes cum fletu quaerebant Osiridem, mox cum cantu redeuntes se inuenisse eum dicebant. Minuc. Fel. 21, 7 sqq. hinc *numquamque* etc.

Siſtraque erant, numquamque ſatis quaeſitus Oſiris,
Plenaque ſomniferi ſerpens peregrina veneni.
Cum, velut excuſſam ſomno, et manifeſta videntem
Sic adfata Dea eſt: Pars, o Telethuſa, mearum,
Pone graues curas; mandataque falle mariti.
Nec dubita, cum te partu Lucina leuarit,
Tollere quidquid erit. Dea ſum auxiliaris, opemque
Exorata fero: nec te coluiſſe quereris
Ingratum numen. Monuit, thalamoque receſſit.
Laeta toro ſurgit, purasque ad ſidera ſupplex
Creſſa manus tollens, rata ſint ſua viſa precatur.
Vt dolor increuit, ſeque ipſum pondus in auras
Expulit, et nata eſt ignaro femina patri;
Iuſſit ali mater, puerum mentita; fidemque

697 Cantabr. et quatuor alii, *Ne dubita*, multi, *Ne dubites*. 702 Pro *tollens* e ſollemni permutatione nonnulli *tendens*, quod, quia *tollere* praeceſſit, recipi poſſe Burm. monet.

693 Micyllus et Saſſtius per *ſerpentem* crocodilum intelligunt, cuius morſus (at ille non mordet, ſed deuorat) inſanabilis ſit. Imo recte loc. explicant Farnab. et Heinſ. de aſpide, quae Iſiacis in ſacris colebatur. Vocatur *peregrina*, quia *Creta*, vbi res nunc agitur, nullas ſerpentes venenatas habebat. Solin. cap. XI. *ſomniferi plena veneni*, quoniam eius veneno ſopiti homines moriuntur. Teſtis eſt Cleopatra, quae aſpidis morſu in ſomnum ſoluta exſpiravit. Propert. III, 9, 53. Lucan. IX, 12. In Iſiacis monumentis frequenter aſpis occurrit. Valer. Flac. IV, 418. *Excutitur ſomno*, cuius ſomnus repentino ſtrepitu abrumpitur, *defluit ſomnus*, ſi ſponte cedit, Tibul. III, 4.

695 Breuis eſt haec Iſidis oratio, et accommodata temporibus Telethuſae moerentis et fluctuantis, vtrum mariti mandatis parendum ſit, an adfectui materno. Blande eam alloquitur, oſtendit, quid faciendum ſit, et opem promittit. *mandata falle mariti*, falle maritum, qui haec mandauit. v. ad vſ. 120. *Tollere* etc. Terent. Andr. I, 3. *Quidquid peperiſſet, decreuerunt tollere.*

700 *Monuit.* Mox vſ. 779. *Conſilium monitumque tuum eſt. Monere* enim pr. de ſomniis et Diis ſomnia mittentibus. v. Heinſ. ad XIII, 216.

701 Non hic intel. *puritas* manuum ea, quam Deo placere ſacri et profani ſcriptores monent, ſed *puras* dicit, vt Burm. vidit, lotas, cum iam aqua expiaſſet ſominium. Abluebant autem ſic non ſolum mala, ſed etiam bona ſomnia. v. Brouckh. ad Propert. IV, 4, 22. Sed et preces facturi manus lauabant. Virg. Aen. VIII, 69. Sic *pura veſtis* paſſim.

705 Ab initio res bene procedere videbatur, multaque fauebant conſilio matris, mariti ignorantia, commune nomen, facies ambigua. Sed mox nectitur nodus,

Res habuit: neque erat facti niſi conſcia nutrix.
Vota pater ſoluit, nomenque imponit auitum:
Iphis auus fuerat. Gauiſa eſt nomine mater,
Quod commune foret, nec quemquam falleret illo.
Impercepta pia mendacia fraude latebant.
Cultus erat pueri: facies, quam ſiue puellae,
Siue dares puero, fieret formoſus vterque.
Tertius interea decimo ſucceſſerat annus;
Cum pater, Iphi, tibi flauam deſpondet Ianthen;
Inter Phaeſiadas quae laudatiſſima formae
Dote fuit virgo, Dictaeo nata Teleſte.
Par aetas, par forma fuit: primasque magiſtris
Accepere artes, elementa aetatis, ab isdem.
Hinc amor ambarum tetigit rude pectus: et aequum

706 *facti.* Multi ex antiq. *ficti.* Heinſ. hic et vſ. 766. *furti* ſuadebat. 710 *impercepta.* Plurimi *indecepta.* Calandrae Exc. ſec. Palat. prim. Baſil. prim. Regius, alter Hamb. et quinque alii, *indeprenſa.* Primus Gronov. *imperfecta.* Vnus Heinſ. cum Exc. Iureti, *intercepta.* 712 Bersm. *fierent*, non improbante Heinſ. 713 Primus Palat. *ſuccreuerat.*

quem non niſi Iſis ſoluere poterat.

707 *auitum* ex more Graecorum. *commune*, generis communis, vtrique ſexui conueniens. *Impercepta*, non percepta, non cognita. Verb. nouum. *pia mend.* etc mendacia latebant, quia fraus illa pia, cum Telethuſa et filiolam ſeruare, et iuſſis Deae parere cuperet. Sed Capoferreus h. vſ. 710 a monacho, non ab Ouid. profectum putabat. *facies quam* etc. Cf. VIII, 322. *Ambiguam* talem vultum dixit Horat. II od. 5, 24. vbi Iani laudat ingenioſiſſimum Auſonii epigr. 105. *Dum dubitat natura, marem faceretne puellam, Factus eſt, o pulcher, paene puella, puer.*

714 Ap. Anton. Lib. nihil de nuptiis et amore, ſed mater Latonae opem implorat, cum filia eſſet ea aetate, vt ſexus latere diutius non poſſet. Ouidii ratio multo iucundior eſt, qua primum matris filiaeque angor augetur, deinde ſub ipſas nuptias fit mutatio. *laudantur*, quae pulchra iudicantur. Sic II, 480. *laudata Ioui ora.* V, 59. *laudati vultus.* Bene etiam *dos* de pulchritudine, quam natura puellae naſcenti dotis loco addidit. XI, 302. *dotatiſſima forma.*

718 Durum eſt, primas artes dicere *elementa aetatis*, cum *elementa literarum* dici debeant. Tan. Faber corrigebat, *elementaque prima ſub iisdem. Elementa prima* ſane ſaepe occurrunt, vt ap. Horat. I Sat. 1. et Quintil. Sed *accipere* artes *ſub* aliquo non eſt latinum. Cogitabam, *alimenta aetatis*, quia literae alunt adoleſcentiam, ſed vereor, vt multis hanc conjecturam probem. *Aetas* autem interdum de pueritia dr. v. Brouckh. ad Propert. I, 6, 21.

719 *rude*, expers adhuc amo-

Vulnus vtrique tulit. Sed erat fiducia diſpar.
Coniugii pactaeque exſpectat tempora taedae,
Quamque virum putat eſſe, ſuum fore credit Iānthe.
Iphis amat, qua poſſe frui deſperat, et auget
Hoc ipſum flammas, ardetque in virgine virgo.
Vixque tenens lacrimas, Quis me manet exitus, inquit,
Cognita quam nulli, quam prodigioſa, nouaeque
Cura tenet Veneris? Si Dī mihi parcere vellent,
Perdere debuerant: ſi non et perdere vellent;
Naturale malum ſaltem et de more dediſſent.
Nec vaccam vaccae, nec equas amor vrit equarum.
Vrit oues aries: ſequitur ſua femina ceruum.
Sic et aues coëunt; interque animalia cuncta
Femina femineo correpta cupidine nulla eſt.
Vellem nulla forem. Ne non tamen omnia Crete
Monſtra ferat; taurum dilexit filia Solis,

731 Thuan. Iunian. et duodecim alii, *femina taurum.* 735 Multi Codd *ferant.* Hinc Burm. ſi quid mutandum ſit, ſuadet, *Cretes monſtra ferant.*

ris propter aetatem morumque ſimplicitatem. Contra Phaedr. II, 2, 3. *mulier non rudis*, quae callet artem amatoriam. Caeterum mirum eſt, virginem virginis amore arſiſſe. *tangunt* pectus, quae id inuadunt, in eo oriuntur, amor, inuidia, cura. *tulit*, inflixit. *aequum.* IV, 62. *ex aequo captis ardebant mentibus ambo*, ſimili amoris ardore correpti erant. *pars aequa amoris* Terent. Eun. I, 2, 12. Noſter VII, 803. *aequales vrebant pectora flammae.*

728 H. vſ. quem Heinſ. ſpurium iudicat, me non offendit. Interitum Iphis lenius malum iudicat eo, quo nunc laborabat. Itaque non opus eſt, vt cum multis Mſſ. legatur, *Parcere debuerant*, et deinde e coniect. Capoſerrei, *ſi non me perdere vellent.* Quamquam Ouid. interdum ſententias ſubiicere ſolet, quas ſuggeſſit verb. praecedens, idque ipſum verb. repetere in ſententia.

729 *Naturale*, quod in rerum natura obuenit. Opp. vſ. 726. *prodigioſum*, quod contra leges naturae eſt. *de more*, vſitatum.

730 Magnitudinem et acerbitatem mali ſui declarat, primum per comparationem tam cum animalibus brutis, quam cum mulieribus nefariis. Melius tamen, puto, haec comparatio reſecta eſſet. *Nec vaccam* etc. Cf. Amorr. I, 10, 27. A. A. II, 481. *nulla forem.* Mortem ſibi imprecatur. Saepe ap. Terent. *nullus ſum*, i. perii funditus.

734 Multa Creta *monſtra tulit.* Pomp. Mela II, 7. *Crete multis famigerata fabulis, aduentu Europae, Paſiphaës et Ariadnae amoribus, Minotauri feritate fatoque, Daedali operibus et fuga* etc. *Solis filia*, Paſiphaë, de cuius horrendo flagitio v. ad VIII, 132.

Femina nempe marem. Meus eſt furioſior illo,
Si verum profitemur, amor. Tamen illa ſecuta eſt
Spem Veneris: tamen illa dolis, et imagine vaccae
Paſſa bouem eſt: et erat, qui deciperetur, adulter.
Huc licet e toto ſollertia confluat orbe,
Ipſe licet reuolet ceratis Daedalus alis;
Quid faciet? num me puerum de virgine doctis
Artibus efficiet? num te mutabit Iānthe?
Quin animum firmas, teque ipſa recolligis, Iphi;
Conſiliique inopes et ſtultos excutis ignes?
Quid ſis nata vide; (niſi te quoque decipis ipſam.)
Et pete quod fas eſt: et ama, quod femina debes.
Spes eſt, quae capiat: ſpes eſt, quae paſcat amorem.
Hanc tibi res adimit: non te cuſtodia caro

738 Vnus, *in imagine.* 747 Sex ſcripti, *Id vete.* Inde Heinſ. coni. *I, pete*, quo recepto vſ. ſup. vulg. *vides* feruari poſſe.

737 *Sequi ſpem* exquiſitius, quam, habere ſpem. *Imagine*, incluſa in imagine, *paſſa eſt bouem*, concubuit cum boue *adulter*, taurus. Heroidd. IV, 57. *Paſiphaë decepto ſubdita tauro.* Expreſſit noſtrum loc. Senec. Hipp. 115 ſqq.

740 Nemo mederi meo malo poteſt. Sed ſingula huius ſoliloquii argumenta ita cohaerent, vt alterum ex altero fluat. Talis autem tranſitus ab vno ad alterum commendatur ab artis magiſtris. *Sollertia* cernitur in reperiendis remediis. Commode *Daedalus* hic commemoratur, non ſolum, quia *doctis* ſ. ingenioſis *artibus* inclaruerat, verum etiam, quia inter Cretenſes verſatus erat. Earum artium partem commemorat, cum dicit, *licet reuolet ceratis alis.*

744 Iam incipit ſe colligere, et ſana eſt, ſed mox, vt fit, ad malum ſuum redit. *firmas* pro *obfirmas*, idque Heinſ. h. l. reponendum cenſet. Sine cauſſa. Tibul. III, 2, 5. *firmus*, qui aliquid fortiter perfert. Noſter I Faſt 497. *firmata mens.* Et ſupra III, 6, 9. *mentem firmat Deus* — *Consilii inopes*, quibus conſulere ac mederi nemo poteſt. Terent. Eun. I, 1, 12. *quae res* (nempe amor) *in ſe neque conſilium, neque modum habet vllum.*

748 Heinſ. putat, carnificem aliquem hic eſſe ſententias locutum. Sed quo minus hic vſ. deleatur, impedit vſ. ſeq. *res*, quae bene opp. *ſpei*, monente etiam Burm. Tan. Faber *capiat* mutat in *faciat*, quod poſtea in vno Mſ. repertum placet etiam Burm., quia et I, 468. *facere amorem*; quamquam non negat, *capiat amorem* poſſe ſumi, vt vſ. 615. *capere taedia.* Mihi locus optime ſe habere videtur. Vt *capere flammas, ſpem, faſtum*, et ſimilia, ſic et *capere amorem* de eius initiis, quae capta deinde *paſcuntur.*

749 Omnia, quae amantibus ſaepe aduerſa ſunt, mihi fauent; ſola natura mihi nocet. *magiſtri* e Cod. Francof. et 18 aliis recte

Arcet ab amplexu, nec cauti cura magiſtri,
Non patris aſperitas, non ſe negat ipſa roganti.
Nec tamen eſt potiunda tibi: nec, vt omnia fiant,
Eſſe potes felix; vt Dique hominesque laborent.
Nunc quoque votorum pars vna eſt vana meorum:
Dique mihi faciles, quidquid valuere, dederunt.
Quod ego, vult genitor, vult ipſa, ſocerque futurus:
At non vult Natura, potentior omnibus iſtis;
Quae mihi ſola nocet. Venit ecce optabile tempus,
Luxque iugalis adeſt: vt iam mea fiat Ianthe;
Nec mihi continget: mediis ſitiemus in vndis.
Pronuba quid Iuno, quid ad haec, Hymenaee, venitis
Sacra; quibus qui ducat abeſt, vbi nubimus ambae?
Preſſit ab his vocem. Nec lenius altera virgo
Aeſtuat: vtque celer venias, Hymenaee, precatur.
Quod petit haec, Telethuſa timens, modo tempora differt:
Nunc ficto languore moram trahit. Omina ſaepe,

754 Ita hunc loc. Burm. conſtituit ductu vnius Regii, in quo *pars vna eſt vana.* Vellet etiam in principio *Nunc modo.* Olim edeb. *Nulla eſt vna.* Alii, *Nunc quoque — — pars nulla.* Quidam *vlla.* Heinſ. olim legebat, *pars irrita nulla.* Poſtea h. vſ. tollendum putabat atque etiam ſeq. 759 Sic mel. ores. M[illegible], *ſocer et vult ipſe futurus.* Heinſ. malit, *quod genitor, vult ipſa ſocerque futurus.* 763 *lenius.* Heinſ. putat *ſecius. altera virgo* non placet Burm. cum et Iphis virgo eſſet. Praefert e Cod. Bonon. *inſcia virgo.*

Burm. recepit, cum antea *mariti* amorem mutuum, conſenſum parentum etc. vna pars votorum meorum, coitus ſcil. abeſt, et irrita facit omnia.

763 *ab his*, poſt haec, vt VIII, 611. *Altera virgo* bene habet, nec erat, cur Burm. ex vno Mſ. praeferret *inſcia virgo.*

766 Innumerae res apud Veteres erant ominoſae; quibus oblatis cum alia negotia, tum etiam nuptiae differebantur. Hinc fingi interdum ſolebant omina. v. Terent. Phorm. IV, 4, 24 ſqq. ibique Lindenbrog. *Cauſſari* ita etiam ap. Propert. IV, 4, 21. *Saepe illa immerito cauſſata eſt omina Lunae.* Alibi iungitur h. v. cum caſu et cum infinitiuo. v. Bentlei. ad Horat. I od. 1. et Heyn. ad Tibul. I, 3, 17.

770 Duplicem Datiuum *capiti — nataeque ſibique* contra Heinſ. bene defendit Burm. ex vſu graec. atque lat. ſcriptorum. Seqq. ardentiſſimae preces, ad quas Telethuſam impellebant ſummae anguſtiae. Ap. Anton. Lib. diſerte transformationem filiae precatur, addito ſimilium mutationum catalogo. — *Paraetonium*, vrbs Libyae Mareotidis cum portu amplo. Strabo lib. XVII. p. 830. Ptolem. 4, 5. *cornua*, canales, aluei, quia ſollemne fluuiis cornua tribuere in monumentis. v. ad vſ. 1. *digeſtum* pro, diuiſum. Heroid. X, 67. *Crete centum digeſta per vrbes.*

778 *quod non — ipſa*, non crucior conſcientiae furiis. Suſpectum erat hoc hemiſtichium Heinſio. Gronov. e Cioſani Cod. legendum putabat, *quod nunc ego punior ipſa*, quod in graui angore ſum ob ſeruatam filiam, id patior, quia tuo monito parui. Audax contra et inepta eſt Schepperi emendatio: *quod non exponitur infans.*

781 Tremor templi, forium, ararum, fulgor ſimulacrorum, ſonitus vaſorum etc. ſigna erant praeſentiae et benenolentiae diuinae. Virg. Aen. III, 90. Claud. 33, 7. Callim. h. Apoll. init. ibique Spanh. *Crepare* verb. pr. in hac re.

Viſaque cauſſatur. Sed iam conſumſerat omnem
Materiam ficti; dilataque tempora taedae
Inſtiterant; vnusque dies reſtabat. At illa
Crinalem capiti vittam nataeque ſibique
Detrahit, et paſſis aram complexa capillis:
Iſi, Paraetonium, Mareoticaque arua, Pharonque
Quae colis, et ſeptem digeſtum in cornua Nilum;
Fer, precor, inquit, opem; noſtroque medere timori.
Te Dea, te quondam, tuaque haec inſignia vidi,
Cunctaque cognoui; comitesque, facesque, ſonumque
Siſtrorum, memorique animo tua iuſſa notaui.
Quod videt haec lucem, quod non ego punior ipſa;
Conſilium monitumque tuum eſt. Miſerere duarum,
Auxilioque iuua. Lacrimae ſunt verba ſecutae.
Viſa Dea eſt mouiſſe ſuas (et mouerat) aras.
Et templi tremuere fores, imitataque Lunam

770 Heinſ. inuitis libris omnibus ſcribi volebat vel *capitis* vel *ſuoque.* 776 *facesque ſonumque* eſt ex Iuniano et alio. Heinſ. malebat vel cum vno Moreti *reſonantia aera*, vel cum vno ſuo, *crepitantia aera.* Idem paullo ante ſuadet, *vidi, Viſaque cognoui.* 778 Mſſ. nonnulli, *quod non ego ponor in ignem* vel *igne.* Primus Medic. *thalamo quod non ego ponor* cum gloſſa, *id eſt deponor.* 779 Nonnulli *monitusque.* Inde Heinſ. *conſilii monitusque tui*, et mox ex nouem Mſſ. malit *miſerere tuarum.* Tum vſ. ſeq. vel inuitis Mſſ. ſcribi cenſet, *ſua verba.* 782 *tremuere.* Duo Palat. *patuere.*

Cornua fulſerunt, crepuitque ſonabile ſiſtrum.
Non ſecura quidem, fauſto tamen omine laeta
Mater abit templo. Sequitur comes Iphis euntem,
Quam ſolita eſt, maiore gradu: nec candor in ore
Permanet; et vires augentur; et acrior ipſe eſt
Vultus: et incomtis breuior menſura capillis.
Plusque vigoris adeſt, habuit quam femina. Iam, quae
Femina nuper eras, puer es. Date munera templis;
Nec timida gaudete fide. Dant munera templis:
Addunt et titulum: titulus breue carmen habebat:
DONA PVER SOLVIT, QVAE FEMINA VOVERAT, IPHIS.
Poſtera lux radiis latum patefecerat orbem;
Cum Venus et Iuno, ſociosque Hymenaeus ad ignes
Conueniunt; potiturque ſua puer Iphis Ianthe.

783 Etiam hic inuitis Codd. Heinſ. reponit *fonatile*. Comparat, *multiforatilis auratilis, vertilis, volatilis, rotatilis* Sed Burm. recte monet, *fonatilis* incognitam Latio eſſe vocem, *fonabilis* receptae auctoritatis. 785 Triginta Codd. *ſequitur puer*.

785 Mutatio puellae in puerum ingenioſe deſcripta eſt, ſignis externis commemoratis. Schirach. „Eleganter diſcrimen inter vtrumque ſexum depingitur, quatenus licebat poetae. De caeteris caſte et pulchre: *Iam quae femina* etc." *maiore gradu*, longioribus paſſibus. Virgines *lento paſſu* incedunt. II, 5, 2. *Acrem vultum* habent mares, *tenerum* virgines. Caeterum eiusmodi portenta ſexus mutati Plinius VII, 4. enarrat. *Ex feminis mutari in mares non eſt fabuloſum. — Ipſe in Africa vidi mutatum in marem nuptiarum die L. Coſſicium, ciuem Thysdritanum.*

791 Egregie, *nec timida gaudete fide*, ita gaudete, vt poſito omni timore fidem habeatis. Quibus enim repente et inexſpectato ingens bonum offertur, ii neſciunt, an *fides* rei habenda ſit, itaque aliquamdiu animus fluctuat inter timorem et gaudium, vt etiam Pygmalion X, 287. Menardi Mſ. *nec dubia*, quod Burm. elegantius iudicabat. Male. *Munera*, ἀναθήματα, quae ob auxilium praeſtitum grati animi cauſſa in templo ſuſpendebantur, et Deae potentiam declarabant. Tibul. I, 3, 27.

792 Titulus conceptus erat brevi carmine. *Carmen* de inſcriptione vnius vſ. eſt etiam Virg. Aen. III, 285. *Carmen* enim omnis formula verborum. Interdum ipſe titulus *carmen* dr. v. Drakenb. ad Silium IX, 266. Apud Anton. Lib. non munus cum titulo datur, ſed ritus ſacri in rei memoriam inſtituuntur.

794 *Patefacere* et *aperire* locum, facere, vt in conſpectum prodeat. *Clauditur* contra et *conditur*, cum non amplius cernitur. — Caeterum non incredibilis haec fab videtur Saffuo. Monet enim, fieri poſſe, vt e puella fiat puer, quandoquidem Natura partes viriles abſconditas ab initio, ſero interdum proferat, dubitans quaſi aliquamdiu, vtrum ſexum tribuat. Ita naturam etiam ludere in cinaedis et in viraginibus. Similia habet Hardum. ad Plin. VII, 4.

P. OVIDII NASONIS
METAMORPHOSEON
LIBER DECIMVS.

Inde per immenſum croceo velatus amictu — *Orpheus ad inferos.*
Aëra digreditur, Ciconumque Hymenaeus ad oras
Tendit; et Orphea nequicquam voce vocatur.
Adfuit ille quidem: ſed nec ſollemnia verba,

4 Vnus Baſil. *ſollemnia iura*, quod ex *tura* ortum Burm. putat.

FAB. I. vſ. 1 — 85 *Orpheus Eurydicen*, ſerpentis veneno interfectam, ab inferis reducendam impetrat ea lege, ſi ſequentem non reſpiciat. Quod cum amans faceret, illa ad inferos relabitur, Orpheus autem, ſpreta mulieris conſuetudine, pueros amare Thracum populos docet. Virg. G. IV, 454 ſqq. Senec. Herc. Fur. 569. Herc. Oet. 1031 ſqq. Athen. X. p. 597. vbi fragm. ex elegis Hermelianactis, Apollod. I, 3, 2. Hygin. fab. 164. Nempe mortua coniuge Aornum, Theſprotiae vrbem, vbi antiquiſſimum νεκυομάντειον, profectus eſſe traditur, vbi Eurydices animam ſe ſequentem videre ſibi viſus eſt. v. Pauſan. Boeot. p. 768. Hinc nata fortaſſe fabula.

1—3 Hymenaeus e Creta ab Iphidis nuptiis vocatus proficiſcitur ad Orpheas in Thraciam. *Croci* vſus etiam in tincturis erat, hinc *infectores crocotarii* ap. Plaut. Aul. III, 5. *Croceus amictus* tribuitur etiam Baccho, Athen. V. p. 198. et Veneri, Valer. Flacc. VIII, 234. v. Salmaſ. ad Tertul. de Pallio p. 329. Et is color. conuenit laetitiae, nuptiis in primis. Claudian Nupt. Honor. 211. Hinc *flaua coniugio vincula portat Amor*. Tibul. II, 2, 18. *velatus*, veſtitus. Sed maluit illud, quia *amictus* laxius veſtimentum Nempe *palla* intel. quae Hymenaeo Heroid. 21, 162. tribuitur. — Inter *Cicones*, Thraciae gentem ad Hebrum flumen, vixit Orpheus et a mulieribus eorum diſcerptus eſt. *nequicquam* quomodo nunc intelligendum ſit, poeta ipſe mox docet. Sine fructu vocauit Deum, vt nullum inde emolumentum redundaret ad coniugium ſuum. v. ad IX, 295. Pro *rogatur*, quod Burm. κακοφώνα vitandi cauſſa e 12 Mſſ. recepit, reuocauimus *vocatur*. Etenim *vocare Deum ad ſacra, ad nuptias* etc. formula ſollemnis; et, vt Burm. ipſe fatetur, *voce vocare* paſſim apud Ouid occurrit, neque ingratum illud auribus eſſe puto, v. ad I, 299. mollius certe eſt, quam illud Cic. Off. I, 61 *pleniore ore*, aut infra XIII, 734. *aliquo quoque*.

4—7 Non fauſtae fuere illae nuptiae. Cf. VI, 428 ſqq. Id nunc ad Hymenaeum eiusque facem refertur. *ſollemnia verba*,

Nec laetos vultus, nec felix attulit omen.
Fax quoque, quam tenuit, lacrimoso stridula fumo
Vsque fuit, nullosque inuenit motibus ignes.
Exitus auspicio grauior: nam nupta per herbas
Dum noua Naïadum turba comitata vagatur,
Decidit, in talum serpentis dente recepto.
Quam satis ad superas postquam Rhodopeïus auras
Defleuit vates; ne non tentaret et vmbras,

7 Vnus Vosſ. et vnus Leid. *Vtque fuit, nullos inuenit* etc. quod placet Heinſ. 9 Sec. Pal. alter Twisd. et alius *Maenalidum turba.* 10 *Decidit* e Francof. et Stroz. Mſſ. recepit Burm. pro vulg. *occidit.*

cantus sollemnes et laetos, a quibus Hymenaeus *εὐήχης* dictus. *nec felix attulit omen*, non fecit, vt laetum omen sponsis offerretur, quod felix coniugium iis promitteret. Diligenter autem omina ante nuptias captabantur. v. IX, 766 *lacrimosum fumum*, qui lacrimas ciet, habet ab Horat. Sat. I, 5. 80. *stridula*, nempe humida cum stridore fumabat. *Vsque* vim habet, neque adeo mutandum. *inuenire* eleganter pro, consequi, acquirere. II, 729. A. A. II, 441. Ignis *exstinctus admoto sulfure flammas Inuenit.* Similiter *inuenire veniam, gloriam, opes.* v. Graeuius ad Iustin. XII, 8, 16. *motibus*, rotatione, qua suscitabantur facis ignes. v. IV, 508. *Lumina mota face* Heroidd II, 120 *iactatus motu face crescere flammas.* Amorr. I, 2, 11.

8—10 Finis coniugii tristior etiam initio. Initium dixit *auspicium* sorte cum respectu ad mala omina. *grauior*, infelix. *nupta* Agriope vr ab Hermesion. *vagatur.* Fugiebat Aristaeum in ripa fluminis. Virgil. et Hyg. d. l. Sed Noster alios auctores secutus videtur. Ipsa erat vna *Naiadum*, aut secundum Virg. *Dryadum. Decidit*, scil. ad inferos, mortua est. Horat. IV od. 7, 14. *Nos, vbi decidimus, Quo pius Aeneas* etc. Sic etiam in Lapidibus h. v. occurrit. v. Burm. Hygin. fab. 14. *decidit, percussus ab apro.* Sic *deiicere* pro interficere ap. Claudian. II. R. P. 39. Mitscherl. h. l. reuocauit *occidit. Serpentis dente recepto*, morsa, vulnerata dente serpentis in herba latentis. *Recipit ferrum*, qui eo vulneratur aut transfoditur. *talus*, pro calce positus.

11 *Rhodopeius.* v. ad II, 222. *ad superas auras.* Lenzius superos Deos int. Potius est, inter vivos, in terra. Aen. VI, 481. *multum fleti ad superos.* v. Drakenb. ad Sil. XIII, 606. Ita et Virg. G. IV, 486. *Eurydice superas veniebat ad auras. tentaret vmbras*, periculum faceret, an cantu capi et flecti possent. Ita et *experiri* dr. vt *experiri animum vitioris* Vellei. II, 87, 3. *Tentare precibus* infra XI, 239. *Taenarus*, vmbrosus specus in Malea promontorio, per quem descensus ad inferos. Orph. Argon. 41. *Ταίναρον, ἠνίκ' ἴδην σκοτίην ὁδὸν Αἰδος εἴσω, Ἡνεκέϊ πίσυνος κιθάρῃ* etc. *Taenaria porta*, per Taenariam portam. *leues populos*, scil. vmbrarum, quae *leui* i. tenui et vmbratico corpore indutae incedunt. Horat. I od. 10, 18. *leuis turba.* De *inamoenis regnis* v. ad IV, 476.

Ad Styga Taenaria est ausus descendere porta:
Perque leues populos, simulacraque functa sepulcris,
Persephonen adiit, inamoenaque regna tenentem
Vmbrarum dominum: pulsisque ad carmina neruis
Sic ait: O positi sub terra numina mundi,
In quem recidimus quidquid mortale creamur,
Si licet, et falsi positis ambagibus oris,
Vera loqui sinitis; non huc, vt opaca viderem
Tartara, descendi; nec vti villosa colubris

15 Boxhornii, *et inania regna.* Et passim *inane regnum* Plutoni tribuitur. Vnus Largerii. *regna tuentem.* 18 Vnus Vatic. *In quem corruimus* 19 Quidam, *Sic licet*, alii *scilicet.* Heinſ. olim conjecerat, *si liquet*, i. si constat. Nihil mutandum censet Burm.

17 Ergo formula *Sic ait* etiam praemittitur orationi, quod negabat Burm. ad VIII, 618. Omnis autem, quae sequitur, oratio attemperata satis est consilio Orphei. *pulsis*, pulsatis. Cf. V, 340. Mox ambiguum est, vtrum vulg. *decidimus* defendas, an cum Heinſ. *recidimus* praeferas, quod et ipsum antiquorum Mſſ. auctoritate se tuetur. E placitis Heracliti omnia, quae interire vel mori videntur, in *ἀϊδην recidunt.* Cic. Nat. D. II, 26. *Terrena vis omnis atque natura Diti patri dedicata est: qui Dines, vt apud Graecos* Πλούτων, *quia et recidant omnia in terras, et oriantur e terris.* Claudian. R. P. I, 57. de Plutone, *qui finem cunctis et semina praebes, Nascendique vices alterna morte rependis: Qui vitam letumque regis. Nam quidquid vbique Gignit materies, hoc te donante creatur, Debeturque tibi. certisque ambagibus aeui Rursus corporeos animae mittuntur in ortus.* Quae loca defendunt *recidimus.* Etiam XII, 523. pro *detrusum* vnus *retrusum. Quidquid mortale creamur*, quicunque mortales creamur. Lucan. VII, 363. *quidquid hominum fumus.* Huic autem legi non subiecti erant praeclari homines. Ii enim *coelo demitti* drr. Virg. Ecl. IV, 7. et cum moriuntur, *coelo redduntur, coelestem animam coelo reddunt.* Vellei. II, 123.

19 Iam fidem facit dicendis. Mendacibus tribuitur *falsum*, fallens, *os*, iidemque *ambagibus* mendacia sua celant. *Falsa ora* sic etiam Heroidd. VI, 63. *falsa lingua* ibid. VII, 67. et supra II, 631. *positis amb.* missis ambag., sine ambagibus.

20 Non vano consilio huc descendi, sed coniux, qua marito nihil carius esse debet, caussa viae iusta. *nec vti villosa* etc. nec vt Cerberum extraherem, quod fecit Hercules. VII, 410 sqq. Antecedens *vincirem guttura*, colla, pro consequente, extraherem; vincto enim collo trahuntur canes. *Villosa colubris*, quae villorum loco colubros habent. Sic vs. 349. *crinitas angue.* Claudian. Nupt. Hon. 223. *crinita sagittis. Medusaeum monstrum*, quia Echidna, quae Cerberum peperit, ex Typhaone et Medusa prognata. Hesiod. Theogon. 295 sqq. et 306.

Terna Meduſaei vincirem guttura monſtri.
Cauſſa viae coniux: in quam calcata venenum
Vipera diffudit, creſcentesque abſtulit annos.
Poſſe pati volui; nec me tentaſſe negabo.
Vicit Amor. Supera Deus hic bene notus in ora eſt.
An ſit et hic, dubito: ſed et hic tamen auguror eſſe.
Famaque ſi veterem non eſt mentita rapinam,
Vos quoque iunxit Amor. Per ego haec loca plena timoris,
Per Chaos hoc ingens, vaſtique ſilentia regni,
Eurydices, oro, properata retexite fata.

22 Oxon. *tetra*, multi, vt prim. Baſ., *torua*. Duo, *trina*. 24 Heinſ. volebat, *veneno Viperae diffuſo creſcentes*, quia in vno *veneno*, et in quatuor, *creſcentes*. 25 Heinſ. volebat, *pati voui*. 28 *rapinam* ex vno Vat. c. fecit Burm. pro *rapinae*, vt *mentita* dictum eſſet paſſiue, quod non inuſitatum. Sed elegantius et magis poëticum, *Fama mentita eſt*, finxit. *rapinam*. 29 Bersm. et vnus Heinſ. *vicit Amor*. Duo, *vinxit*. 30 Duo Bonon. et vnus Moreti, *ſilentia mundi*.

24—29 Grauis illa iactura, quam fecit *Creſcentes abſtulit annos*, ipſam iuuenculam peremit. Annis poëtae ea tribuunt, quae hominibus conueniunt, qui illos annos agunt. Heroidd. I, 111. *molles anni* pueri. Senec. Hipp. 267. *feſſi anni*. Propert. I Eleg. 7. *tremuli anni*. Minuc. Fel. II, 1. *innocentes anni*. *Pati* eleganter ſic abſolute ponitur, perferre dolorem conſtanter, ſich drein ergeben. v. Gronov. ad Senec. Thyeſt. 461. Subſtantiuum *patientia* ſic eſt Tibul. III, 2, 5. vbi locutus erat de eo, cui erepta coniux, *Non ego firmus in hoc, non haec patientia noſtro Ingenio*. — Commiſerationem haec faciunt; et cum illi ipſi, ad quos verba faciebat, amoris vim experti eſſent, tanto facilius veniam ab iis ſperare poterat dolens Orpheus. *dubito*. certo non ſcio, vt VII, 677. *Rapinam* illam Noſter cecinit ſupra V, 341 ſqq.

29—31 Cum graui obteſtatione conſilium ſuum exponit: Eurydicen in vitam reddite. *Chaos* ſaepe inferorum domicilium, vt Heſiod. Theog. vſ. 700 vbi v. Graev. et Geſner. ad Claudian 5, 525. *properata fila* ex vſu linguae forent, quae properanter neuerant Parcae, vt *properatae tabellae*, properanter ſcriptae, IX, 586. et *properata flamina* II Sab. 83. Nam *properare*, vt σπεύδειν, properanter conficere. Similiter *feſtinare*, vt XI, 576. *feſtinare veſtes*. Verum h. l. *properata fila* ſunt, quae properanter abſciderant Parcae, quod durum videtur. Miſſ. fere omnes, praeter quinque, vnde Heinſ. illud accepit, habent *properata fata*, i. praematuram mortem. Proprie *fila retexuntur*, ſed poëtice et ſatis eleganter, vbi ad fila Parcarum alluditur, etiam *fata*. Itaque hoc recepi. Stat. III Silv. 3, 20. Parcae drr. *celeres genitoris annos properaſſe*.

Omnia debemur vobis; paullumque morati,
Serius aut citius ſedem properamus ad vnam.
Tendimus huc omnes, haec eſt domus vltima: vosque
Humani generis longiſſima regna tenetis.
Haec quoque, cum iuſtos matura peregerit annos,
Iuris erit veſtri. Pro munere poſcimus vſum.
Quod ſi fata negant veniam pro coniuge, certum eſt
Nolle redire mihi. Leto gaudete duorum.
Talia dicentem, neruosque ad verba mouentem,

32 Vulg. *debentur*. 35 Vnus Baſil. *latiſſima*.

32—37 Non perpetuam iacturam facietis, ſed reddetur vobis ſuo tempore. Id exprimit ſententiis e poëtis aut e vita communi ſumtis. Sed temere cumulauit ſententias illas. Cf. Horat. II od. 3, 25. et Propert. III, 16, 21 ſqq. Debebat dicere, *Omnia debentur*, obnoxia ſunt, *vobis*. Sed quoniam nos ipſi in illis *omnibus* ſumus, propterea melius eſt, *debemur*. Paullo ante, *quidquid mortale creamur*. V, 343. *Cereris ſumus omnia munus*. Horat. A. P. 62. *Debemur morti nos noſtraque*. Rem ipſam copioſe tractauit Claudian. R. P. II, 234 ſqq. — Heinſ. volebat h. l. etiam *morata*, quod non eſt neceſſe. Neglecto τῷ *omnia* ſenſum potius curauit poëta, quam genus grammaticum. *morati*, vt viatores, qui *morari* interdum ſolent in locis gratis, et deinde *properant* ad locum conſtitutum. *ſerius aut citius*. Horat. II od. 3, 26. *ſerius ocius*. *domus*, ſedes. Homer. Il. ο, 251. οὖμ' Ἀΐδυο. Horat. I od. 4, 20. *domus exilis Plutonia*.

36 *Iuſti anni*, ſatis longus vitae terminus. Cic. Att. V, 2. *iuſta*, ſatis longa, *itinera*. Amorr. II, 14, 14. *iuſta pondera*, maturus partus. *matura*. Rode legi vult *matura*, vertitque, *nach erreichtem natürlichen Ziele*. Putat, hoc melius opponi neci violentae. Vulgata bene ſe habet. *matura*, ſcil. annis aut aeuo, quod interdum additur. Contra Propert. IV, 11, 17. *immatura*, quae moritur in flore aetatis, Tibul. II, 6, 29. *immatura* oſſa. Paſſim *matura aetas*, *maturi anni*. v. Bentlei ad Horat. A. 157. *Matura loqui* de ſene ap. Claudian. Laud. Stilic. II, 169. *iuris veſtri*, in veſtra poteſtate, vt infra vſ. 725. Cic. Phil. IV, 4. *ſub iure et imperio conſulis*.

38 Deſperantis animi declaratio, qua commode finem facit dicendi. *negant veniam*, non concedunt, quod peto, non concedunt mihi copiam coniugis. Cic. Or. I, 21. *date nobis hanc veniam*, annuite precibus noſtris, vt recte explicat Harleſ. Hygin. fab. 45. *Pandion Tereo veniam dedit*, filiam, quam petebat, comitem dedit, vbi v. Munker. Etiam *gaudete* deſperantis eſt, et bene de immitibus Diis vſurpatum, qui omnes homines ad ſe rapiunt.

40—47 Non ſine fructu fuit haec talis oratio. Id iucunde deſcribitur ex imitat. Virg. d. l. et Horat. II od. 13, 21 — 40. vbi Alcaeus et Sappho ſimiliter mouent inferos. Cf. et Senec. d. l. et Claudian. R. P. II, 330 ſqq. *refugam*. *Refugum flumen* Tan-

Exſangues flebant animae. Nec Tantalus vndam
Captauit refugam: ſtupuitque Ixionis orbis.
Nec carpſere iecur volucres: vrnisque vacarunt
Belides: inque tuo ſediſti, Siſyphe, ſaxo.
Tum primum lacrimis victarum carmine fama eſt
Eumenidum maduiſſe genas: nec regia coniux
Sustinet oranti, nec qui regit ima, negare:
Eurydicenque vocant. Vmbras erat illa recentes
Inter, et inceſſit paſſu de vulnere tardo.
Hanc ſimul et legem Rhodopeius accipit heros,

42 Leid. *profugam*. Sec. Pal. *refluam*. Thuan. *amnem refugum*. 50 Vulg. *accipit Orpheus*.

tali Heroidd. XVIII, 182. *refugi latices* Claudian. II in Ruſin. 509. *orbis*, rota, vt IX, 123. Virg. *Ixionii rota conſtitit orbis*. Sed h. l. *ſtupuit*, quod ab animantibus translatum eſt, vt apud Propert. IV, 11, 23. *tacuere Ixionis orbes*. *Carpere iecur*, vt IV, 217. *carpere pabula*. Secundum Senec. d. l. adeo *increuit Tityi iecur*. *vacarunt* more aquantium ancillarum, quae, dum quieſcunt aut garriunt, deponunt interea vrnas, quemadmodum Siſyphus a labore quieſcens *ſedit* in ſaxo ſuo. Haec placent, quia mores vitae quotidianae exprimunt, et ἦθος habent. Horat. III od. 11, 22. *fletit vrna paullum ficca, dum grato Danai puellas carmine mulces*.

45 Inferi Dii non commouentur miſeris hominum *Illacrymabilis Pluto* Horat. II od. 14. 6. *lacrymis difficiles Dii* Senec. Herc. Fur. 579. *victarum*, commotarum, ſed illud melius conuenit duro et ſaeuo Furiarum animo.

49 *De vulnere*, propter vulnus. Etiam *a* ſic ponitur, vt III, 571. Faſt. IV, 338. Scbirachius valde improbat, quod tardam de vulnere finxit, putatque, finiſtre Noſtrum imitatum eſſe Virg. Aen. VI. vbi Dido ſtat vt Marpeſia cautes; hoc fuiſſe vulnus animi, ſed morſum viperae non habere locum in vmbra exſangui. Male profecto ſic diſputat vir doctus. Etenim ex opinione, niſi vulgari, certe quorundam poetarum, vulnera et vitia corporis manebant etiam vmbris. Etiam Deiphobus apud Virg. Aen. VI, 494. laniatus corpore toto apud inferos incedebat. Hinc manes viuentibus apparebant tales, quales e vita exceſſerant, v. c. Hector ap. Virg. Aen. II, 270. Cf. Tibul. II, 6, 39. Eidem Schirach. diſplicet praepoſit. *inter* poſtpoſita, neque τὸ *illa* concoquere poteſt. Sine cauſſa vtrumque.

50 *Heros*, quia Calliopes divae filius. *Lex* illa a poetis ficta videtur, quia in ſacris magicis reſpicere non licebat. v. Cerda ad Virg. Ecl. VIII, 102. Similis lex Vlyſſi lata Homer. Od. ε, 350. *donec Auernas* etc. Ergo alia via rediit ad ſuperos. *Auerni* enim colles, qui variis perfoſſi ſpecubus vias habebant ſubterraneas et caliginoſas, eamque ob cauſſam pro deſcenſu ad inferos habebantur, erant in Italia iuxta Puteolanum ſinum. v. Heyn. Excurſ. II. ad Virg. Aen. VI. Sed talia promiſcue vſurpant poetae. Cf. Virg. G. IV, 494. Ap. Apollod. reſpicere vetatur πρὶν εἰς τὴν οἰκίαν αὐτὸν παραγενέσθαι.

Ne flectat retro ſua lumina; donec Auernas
Exierit valles, aut irrita dona futura.
Carpitur accliuus per muta ſilentia trames,
Arduus, obſcurus, caligine denſus opaca:
Nec procul abfuerunt telluris margine ſummae.
Hic, ne deficeret, metuens, auidusque videndi,
Flexit amans oculos; et protinus illa relapſa eſt.
Brachiaque intendens, prendique et prendere captans
Nil niſi cedentes infelix arripit auras.
Iamque iterum moriens non eſt de coniuge quidquam
Queſta ſuo: quid enim niſi ſe quereretur amatam?
Supremumque vale, quod iam vix auribus ille
Acciperet, dixit: reuolutaque rurſus eodem eſt.
Non aliter ſtupuit gemina nece coniugis Orpheus,

53 *Accliuus* pro, *accliuis*, ex Zulichem. dedit Heinſ. 57 Quinque, *repulſa eſt*. vnde Heinſ. coni. *reuulſa eſt*. 58 Cioſan. ex vno praeferebat, *prendere certans*. Burm. recepit e Mſſ. *captans*, quod τῷ *prendere* rectius conueniat. Heinſ. vero nihil mutari volebat. 61 Multi veteres, *niſi* aut *ſi ſubſequeretur amatam* vel *amantem*. Heinſ. ſcribebat, *quid enim ſeſe quereretur*. 63 Vulg. *reuocataque*.

53 Cf. IV, 432. Pro vulg. *eſt trames* nunc exquiſitius, *carpitur trames*. *muta* et mox *opaca* otioſe addita. v. ad II, 66. *caligine denſus*; vt alibi ſaepe *ſiluis, virgis denſus locus*.

55 *Margine* abeſſe poſſet, quia iam *tellus ſumma* ſuperficiem terrae ſignificat. Iuuat cum his Virg. conferre: *Iamque pedem referens caſus euaſerat omnes, Redditaque Eurydice ſuperas veniebat ad auras Pone ſequens; namque hanc dederat Proſerpina legem; Quum ſubita incautum dementia cepit amantem, Ignoſcenda quidem, ſcirent ſi ignoſcere Manes. Reſtitit, Eurydicenque ſuam iam luce ſub ipſa Immemor, heu! victusque animi reſpexit. Ibi omnis effuſus labor* etc. — *deficeret*, ſe deſereret, relinqueretur. Lenzius ſubint. viribus. Rode, *daß ſie nicht gleite*.

58 Aut *captans* eſt conans, tentans (Phaedr. IV, 7, 6. *quid me captas laedere?* V, 3, 2. *quam opprimere captans*), aut *prendi et prendere* pro, vt prenderetur et prenderet. Ap. Virg. *nequicquam prenſat vmbras*. Pleniorem autem imaginem exhibet *prendi et prendere*, quam vnum *prendere*. — *auras*. Virg. aufugit *ceu fumus in auras commixtus*, praeclare de corpore vmbratico defunctorum.

61 *non eſt queſta*. Multa queritur ap. Virg. vſ. 494 ſqq. de fati crudelitate, et relabitur cum fragore indignabundi Orci.

63 *Reuoluta eſt*, relapſa eſt cum notione celeritatis. Cic. Att. XIII, 26. *reuolvor identidem in Tuſculanum*, vbi ſimpl. redeo.

64 Vulgarem comparationem

Quam tria qui timidus, medio portante catenas,
Colla canis vidit: quem non pauor ante reliquit,
Quam natura prior, saxo per corpus oborto:
Quique in se crimen traxit, voluitque videri
Olenos esse nocens: tuque o confisa figurae,
Infelix Lethaea, tuae; iunctissima quondam
Pectora, nunc lapides, quos humida sustinet Ide.
Orantem, frustraque iterum transire volentem
Portitor arcuerat. Septem tamen ille diebus
Squalidus in ripa, Cereris sine munere, sedit.
Cura dolorque animi, lacrimaeque alimenta fuere.
Esse Deos Erebi crudeles questus, in altam

65 Heins. *timidus* mutat in *Stygii*. Duo, *tumidus*. Prim. Regius, *tumidi* . rati; non male. 69 Turneb. Aduerss. I. 23. legit, *confixa figurae* et interpret.: tu cum figura tua in *lapideo* obriguisti. Quidam Mss. *figura*. Parum refert, *figura* an *figurae* legas. v. Burm. 72 Sprou. . et vnus Moreti *transire parantem*, quod Burm. melius iudicat, quasi cuperet, iterum transire. Recte. 75 Palat. et vnus Moreti *alimenta dedere*. Male.

attoniti cum saxo exornauit fabulis quae, cum et ipsae transformationes habeant, commode inserere sunt. Viso aliquis Cerbero in saxum conuersus sit necesse est. Quis autem ille fuerit, non constat. Sine dubio id factum erit, cum Hercules eum ad superas auras extraxisset. Cf. Suid. in proverb. *διλότερος τὰ παραινύττοντος*, cui haec fabulae originem dedisse videtur. Idem addit, suo adhuc tempore conspici hoc saxum.

68 Nec *Oleni* et Lethaeae fabula nota. *Confisa figurae* forte ita, vt se praeferret Deabus; quam superbiam cum Deae vlcisci vellent, Olenos videtur crimen in se recepisse. *Iungere pectora* pr. de actu venereo. v. ad IX, 469. Sed nunc *iunctissima pectora* sunt coniuges amore mutuo se amplectentes. *Iungere* enim etiam de amore et amicitia dr *pectus*, vt alibi *caput*, de toto homine. *humida Ide*. v. ad II, 218.

73 *Portitor* nomine quasi proprio dictus Charon, non a portando, sed quod a mortuis portorium exigeret. vid. Brouckh. ad Propert. IV, 11, 7. Virg. vs. 502. *nec portitor Orci Amplius obiectam possis transire paludem. Septem diebus*. Septenarium numerum elegisse Burm. videtur, quia vltra septem dies sine cibo durare non posse creditur. Equidem potius arbitror, quia septenarius numerus olim sacer habebatur. Etiam IX, 292 Alcmene septem per noctes cruciatur. Apud Virg. septem menses sedet ad Strymonis vndas. Infra XIV, 423. aliquis *sex* noctes luget.

75 Curis et lacrimis non *alitur* corpus, sed conficitur. Itaque hoc vult. pro vsu alimentorum curis, dolori et lacrimis indulsit. In vita communi saepius ita iocamur, at in carmine friget talis verborum lusus.

Se recipit Rhodopen, pulsumque Aquilonibus Haemon.
Tertius aequoreis inclusum Piscibus annum
Finierat Titan; omnemque refugerat Orpheus
Femineam Venerem; seu quod male cesserat illi;
Siue fidem dederat. Multas tamen ardor habebat
Iungere se vati: multae doluere repulsae.
Ille etiam Thracum populis fuit auctor, amorem
In teneros transferre mares; citraque iuuentam
Aetatis breue ver, et primos carpere flores.
Collis erat, collemque super planissima campi
Area: quam viridem faciebant graminis herbae.

Arbores motae.

84 Sligtenhorstius volebat, *circaque*. 86 Vossian. *placidissima*.

77 In solitudinem se confert; moesti enim amant loca deserta. In *Haemo* spelunca Aquilonis. v. ad VI, 709.

78 *Pisces*, sidus zodiaci, quod sol olim hieme exeunte ingrediebatur. Hinc *annus inclusus piscibus*. Etenim *incudi* et *clausi* drr. quae terminantur. Vocantur *aequorei*, et s. 176. *aquosi*, quorum epithetorum causa in promtu est. Etiam *Cancer*, sidus, vs. 127. vr. *litoreus*. Quod quamquam paullo audacius dictum est, tamen non erat, cur Heins. *aequoreis* mutaret in *aethereis*. *Tertius* pro *tertiis*.

81 *Fidem dederat Eurydicae*, s. non amaturum aliam. Mox Heins. sine causa suadebat, *ardor agebat*. VII, 800. *mutua cura duos et amor socialis habebat*. Sabin. II, 56. *non habet me amor alterius*. IV Trist. X, 116. *non habent me taedia*. III Pont. I, 82. *habet liuor te*. v. et ad IX, 291.

84 *Teneri pueri* possent esse molles, impudici, pathici, sed propter seqq. rectius ad aetatem teneram referes. Pueritia eiusque gratia eleganter cum vere et verno prouentu comparatur. *ἄνθος ἥβης* Homer. Il. v, 484. *ἄνθος ὥρας* Anacr. 34. 4 Contra maturitatem puerorum et puellarum Graeci dixerunt ὀπώραν, et Horat. II od. 5, 10. *autumnum*. *citra*, ante. *carpere*, frui, sed *flores* pr. *carpuntur*. Liv. 21, 3. *Florem aetatis Hasdrubal patri Hannibalis fruendum praebuit*. Caeterum Phanocles scripserat Ἔρωτας, in quibus multa de Orphei paederastia exstabant; sed illi interciderunt. v. Heins.

FAB II. vs. 86 — 142 Arbores Orphei cantu motae, in quibus nonnullae transformatione nobiles. Cantus enim suauitate arbores loco mouisse, fluminum lapsus ventorumque impetum moratus esse, et immanes bestias domuisse, h. e. hominum efferatorum mores molliuisse, legitur. Horat. I od. 12, 7 sqq. Senec. Herc. Oet. 1031 sqq.

86 *Planissima campi area*, planissimus campus. Cic. Verr. IV, 48. *in summo* monte *est aequata agri planities*. *Graminis herba* etiam ap. Virg. Ecl. V, 26 Liv. I. 24. Claudian. bel. Get. 147. vel quia gramen inter herbas refertur (Plin XXIV, 19.), vel *herba* est germen graminis. Georg. I, 134.

Vmbra loco deerat. Qua poſtquam parte refedit
Dis genitus vates, et fila ſonantia monit;
Vmbra loco venit. Non Chaonis abfuit arbos,
Non nemus Heliadum, non frontibus eſculus altis,
Nec tiliae molles, nec fagus, et innuba laurus.
Et coryli fragiles, et fraxinus vtilis haſtis,
Enodisque abies, curuataque glandibus ilex,
Et platanus genialis, acerque coloribus impar,
Amnicolaeque ſimul ſalices, et aquatica lotos,

frumenti herba. Faſt. I, 154. *ſeminis herba.*

89 *Dis*, Deo et Dea. v. ad vſ. 167. *fila ſonantia*, fides, chordas. *monit*, pulſauit. *vmbra*, arbores vmbroſae.

90 Sequitur catalogus arborum, quemadmodum catalogos fluuiorum, montium, ſiderum etc. alibi inſeruit Ouid. Cf. Virg. Cul. 116 ſqq. Statius VI, 88. Senec. Oedip. 530 ſqq. Sed exornauit ſingulas arbores epithetis bene dilectis. Copioſior tamen in illis ornamentis eſt Virg. d. l. *Chaonis arbos*, quercus. Dodona enim, olim habitata a Chaonibus, (Strabo p. 498.) nobilia habebat querceta. Etiam Virg. G. I, 8. *Chaonia glans*. *nemus Heliadum*, vel populi vel alni, in quas Heliades, Phaethontis ſorores, mutatae erant. vid. II, 325 ſqq. *nemus* igitur de tribus arboribus capiendum. *eſculus*, arbor maxima e quercuum genere, *quae quantum vertice ad auras aetherias, tantum radice in tartara tendit.* Virg. G. II, 291. Hinc h. l. *frontibus altis*. Monet Burm. a poetis *frontes* dari arboribus, idque docuiſſe Heinſ. ad Claudian. III Rapt. 346. Heinſ. tamen h. l. e Mſſ. ſuis malit, *frondibus*. *innuba*, quae non nubit viro, vt IX, 147. *laurus innuba*, laurus, in quam Daphne innuba mutata. Tibul. III, 4. 23. *caſta laurus*. Claudian. R. P. II, Praef. 23. *Cirrhaeique Dei quamvis deſpexerit artes, Orpheis laurus vocibus acta venit.*

93 *vtilis haſtis*. v. ad V, 9. Claudian. d. l. 107. *bellis accommoda cornus*. Statius d. l. *iuuandos belli potura cruores fraxinus. curuataque* vix genuinum eſt. *Ilex* enim, arbor tanti roboris, glandium lenitate non curuatur. Tres Mſſ. *oneratque*. Sic VII, 281. ſtipes *grauidis oneratur olivis*. VIII, 781. *oneratos meſſibus agros.*

95 *platanus* propter vmbroſos ramos grata potantibus et ſibi indulgentibus. Virg G. IV, 146. Hinc h. l. ſuauiter *genialis*, de quo v ad IV, 14. Hinc etiam in compotationum deſcriptionibus frequenter platani fit mentio. *coloribus impar*, variis coloribus. Aceris vnum genus criſpo maculatum diſcurſu eſt, in ſimilitudinem caudae pauonum. Plin. H. N. XVI, 15. Niſi putes ad folia reſpici, quorum latus ſuperius viriditate nigricante, inferius albicante inſigne.

96 *Amnicolae* noua compoſitione, quae habitant ad amnes, amant amnes, tropo ab animantibus petito, quae pr. loca colere drr. De *aquatica loto* v. ad IX, 341. *myrica*, virgulti genus, hodie Tamariſcum. v. Martin. ad Virg. Ecl. IV, 2. vbi *humiles* vrr. Et ſic etiam h. l. duo Mſſ. Sed

Perpetuoque virens buxus, tenuesque myricae,
Et bicolor myrtus, et baccis caerula tinus:
Vos quoque, flexipedes hederae, veniſtis, et vna
Pampineae vites, et amictae vitibus vlmi:
Ornique, et piceae, pomoque onerata rubenti
Arbutus, et lentae, victoris praemia, palmae:
Et ſuccincta comas, hirſutaque vertice pinus;
Grata Deûm matri: ſiquidem Cybeleius Attis
Exuit hac hominem, truncoque induruit illo.

98 Vulg. *ficus*. Quidam, *pinus*. Langerm. Cod. *cinus*, et hoc praeferebat Conſtant. Fan. Sed Heinſ. dedit, *tinus*. 99 Heinſ. vult, *et vua Amictae vites*. 100 Pro *amictae* Mſſ. quatuor et Schol. Statii *amicae* idque placebat Conſtant. Fan. quia Plin. XVI. vlmo tribuit *vitium amicitiam*. 103 Tan. Faber legit, *Cybeleius olim — induruit Atys*. Sed Burm. monet, et alibi haec duo pronomina cumularì.

Burm. cenſet, hoc ex Virgilio libraiiis in mentem venifie. A. A. III, 691. *fragiles myricae.*

98 Plin. XV. cap. vlt. Tinum *ſilueſtrem laurum aliqui intelligunt, nonnulli ſui generis arborem. Differt color; eſt enim caerulea bacca.* — *Flexipedes* rectiſſime reſtituerunt Turneb. Aduerſ. 23, et G. Fabricius ad Virg. Ecl. IV, 19. Eſt enim elegantiſſimum et novum epitheton, quo ornantur hederae, quae flexis flagellis, veluti pedibus aut brachiis ex ſe emiſſis, arbores vicinas amplectuntur. Plin. XVI, 34.

100 *Vlmis* in Italia vites adiungebantur, quod *maritare* arborem dr. quemadmodum contra Horat. II od. 15, 4. *platanus coelebs*, non iuncta vitibus. Cf. infra XIV, 661 et 63. *amictae*. Claudian. R. P. II, 111. *pampinus induit vlmos*. Noſter Faſt. I, 153. *modo formatis amicitur vitibus arbos*. Columel. V, 6. *veſtita vlmus vitibus*. Statius VI, 96. *nec inhoſpita vitibus vlmus*. Caeterum ea res ſuauem comparationem ſuggeſſit Nonno Heroidd. V, 47. *Non ſic adpoſitis vincitur vitibus vlmus, Vt tua ſunt collo brachia nexa meo.*

103 Plin. XVI, 10. *Pinus atque pinaſter folium habent capillamenti modo praetenue.* Sed deinde *comae* omnino frondes, folia arborum. Horat. I od. 21, 5. — *ſuccincta comas*, cuius comae non niſi ſuperiorem partem tenent, ſic vt inferior trunci pars nuda ſit, quemadmodum ſuccincti maximam pedum partem nudam habent. Plin d. l. easdem arbores vocat *ſuccinctiores*. — *hirſuta*, propter frondes in vertice emiſſas. Virg. Cul. 135 *edita pinus Proceras decorat ſiluas hirſuta per artus.*

104 Nobilis, olim fabula, ſed iam Pauſaniae (v. Achaic. p. 566.) aetate ſubobſcura. Cf. Faſt. IV, 223 — 244. Diodor. Sic. IV. Arnob. c. gentes V. p. 157 ſqq. *Attis*, adoleſcens Phrygius eximia pulchritudine, quem amauit Cybele. *Exuit hac hominem*, ex homine in hanc pinum mutatus eſt. v. IX, 268. Nimirum *exuit hominem*, qui deſinit homo eſſe vel quoad naturam, vt h. l. vel quoad ſenſus et affectus humanos. v.

Cupariſſus. Adfuit huic turbae, metas imitata, cupreſſus,
Nunc arbor, puer ante Deo dilectus ab illo,
Qui citharam neruis, et neruis temperat arcus.
Namque ſacer Nymphis Carthaea tenentibus arua,
Ingens ceruus erat: lateque patentibus altas
Ipſe ſuo capiti praebebat cornibus vmbras:
Cornua fulgebant auro: demiſſaque in armos
Pendebant tereti gemmata monilia collo.
Bulla ſuper frontem paruis argentea loris

106 Vnus, Baſil. *huic numero.* Leid. *luctus imitata.* 109 Vehementer Mſſ. variant in nomine *Carthaea:* habent enim *Cretea, Cirthea, Carchia, Orchea* etc.,

Cuperi Obſeruatt. I, 8. *Exuere magiſtrum* dixit Tacit XIV An. 52. Notum eſt et illud, *Exuit perſonam iudicis, quisquis amicum induit.*

106 *Cypariſſi* fab. habet etiam Serv. ad Aen. III, 64. Lenzius coni. eundem forte fuiſſe eum cum Ariſtaeo, Apollinis filio, quem Virg. G. I, 14. cultorem nemorum vocat, cui Ceae niuei iuvenci dumeta tondeant. *metas imitata*, κωνοειδῆς, metae ſimilitudinem habens. *meta* enim conus, aut quidquid cono ſimile. Plin. XVI, 33. de hac arbore, *metae demum adſpectu non repudiata. Qui citharam* etc. pro, qui Citharae neruos (chordas) et nervum temperat arcus. *Temperare* pr. de chordis, quae intenduntur vt opus eſt. Horat. IV od 3, 17. *teſtudinis ſtrepitum temperare.*

109 Ceruus inſignis et egregie ornatus Cf. Virg. Aen. VII, 483 ſqq. vbi ſimilis ceruus in deliciis Tyrrhi. *Carthaea*, vrbs inſulae Ceae. v. ad VII, 368. Cea autem Coryciis quondam celeberrima Nymphis. Heroidd XX, 221. *late patentibus*, latis, latis ramis. *altas*, quia ipſa cornua alta. Cf. Aen. I, 189.

112 Ita ornatus erat, vt equi interdum ornari ſolebant v. Virg. Aen. VII, 275 ſqq. Apuleius de Deo Socrat. *Neque enim in emendis equis phaleras conſideramus et baltei polimin inſpicimus, et ornatiſſimum ceruicis diuitias contemplamur, ſi ex argento et auro, et gemmis monilia variegata dependent, ſi plena artis ornamenta collo et capiti circumiacent, ſi frena caelata, ſi ephippia fucata, ſi cingula aurata ſint — fulgebant auro*, inaurata erant, vt victimarum cornua inaurari ſolebant *demiſſa pendebant*, dependebant. *teretia membra*, quae veluti tornata ſunt, nihil aſperi habent, paſſim laudantur Claudian. Epigr. XXII de equo Honorii: *Luxurient tumido gemmata monilia collo. Bullae* pr. ornamenta puerorum nobilium, quae e collo in pectus dependebant. vid Macrob. Saturn. I, 6. *puriles*, pares, quia et *baccae* ornamenta erant forma rotunda, margaritae, cum pr. ita dicerentur rotunda arborum ſilueſtrium poma. Salmaſ. ad Solin. p. 375. Poſſet et cum plerisque melioribus Mſſ. legi, *parilique ex aere*, etiam baccae erant argenteae. Sic etiam Heinſ. qui tamen neſcio an recte *in geminis* de-

Vincta mouebatur: parilesque ex aere nitebant,
Auribus in geminis, circum cana tempora, baccae.
Isque metu vacuus, naturalique pauore
Depoſito, celebrare domos, mulcendaque colla
Quamlibet ignotis manibus praebere ſolebat.
Sed tamen ante alios, Ceae pulcherrime gentis,
Gratus erat, Cypariſſe, tibi. Tu pabula ceruum
Ad noua, tu liquidi ducebas fontis ad vndam:
Tu modo texebas varios per cornua flores:
Nunc, eques in tergo reſidens, huc latus et illuc
Mollia purpureis frenabas ora capiſtris.
Aeſtus erat, mediusque dies: Solisque vapore
Concaua littorei feruebant brachia Cancri.
Feſſus in herboſa poſuit ſua corpora terra
Ceruus: et arborea ducebat frigus ab vmbra.

115 Plerique meliores, *parilique.* Multi, *parilique nitore.* 116 Vulg. *e geminis.* 117 Quidam, *timore* aut *pudore.* 122 Vulg. *vndas.* Mſ. Bersm. *liquidas.* Leid. *liquidam ad vndam* 123 Prim. et ſec. Med. Neap. Spirenſ. pr. Hamb. et 4 alii *modo tendebas.* Pauci, *ſternebas.* Vnus, Leid. *ſpargebas.* 124 *latus* ex vno Medic. ex endauit Heinſ. cui nec *vectus* diſplicet. Ante eum edebatur, *laetus.* 129 Duo, *ad arboream vmbram.*

derit pro, *e geminis.* Nam ſi baccae *in* auribus nituiſſent, non potuiſſent circumdare tempora. *Ex auribus* breuiter dictum, ſuſpenſae ex auribus.

117 Ceruus timiditatis ſymbolum, hinc ἔλαφειος ἀνηρ et καρδίη ἐλαφη in prouerbiis ſunt. *celebrare locum*, ſaepe in eo verſari, quemadmodum *celebrare hominem*, ſaepe cum eo verſari, *celebrare rem*, frequenter eam facere, exercere. *manibus.* Virg. Aen. VII, 490. *manus patientem* vocat, i. manſuetum. Lucan. IV, 237. ſic dixit, *hominem pati. quamlibet.* v. ad IX, 475.

120 Telephi filium eum facit Serv. Amyclei Lactant. in Argum. Is et curabat hunc ceruum et miniſterio eius vtebatur. *texebas* etc. corollas nectebas e floribus, quibus ornares cornua. *latus*, vectus. Virg. d. l. *Adſuetum imperiis ſoror omni Silvia cura Mollibus intexens ornabat cornua ſertis, Peſtebatque ferum, puroque in fonte lauabat. Ille, manum patiens, menſaeque adſuetus herili Errabat ſiluis; rurſusque ad limina nota Ipſe domum ſera quamvis ſe nocte ferebat.*

125 Laudat Douza e Martial. I Epigr. 106. *Paret purpureis aper capiſtris.*

127 *Cancri* ſidus Sol ingrediebatur olim ſumma aeſtate. *vapore*, aeſtu. *concaua*, curuata. II, 83. 195. *littorei.* v. ad vſ. 78.

129 *ducebat frig.* captabat ore frigidam auram, quam ei praebebat vmbra arborum. *ducere frigus*, vt *ducere animam.* Virg. Ecl. I, 53. *frigus captabat opa-*

Hunc puer imprudens iaculo Cyparissus acuto
Fixit, et, vt saeuo morientum vulnere vidit,
Velle mori statuit. Quae non solatia Phoebus
Dixit? et vt leuiter, pro materiaque doleret,
Admonuit. Gemit ille tamen; munusque supremum
Hoc petit a Superis; vt tempore lugeat omni.
Iamque, per immensos egesto sanguine fletus,
In viridem verti coeperunt membra colorem;
Et modo, qui niuea pendebant fronte capilli,
Horrida caesaries fieri, sumtoque rigore
Sidereum gracili spectare cacumine coelum.
Ingemuit, tristisque Deus, Lugebere nobis,
Lugebisque alios, aderisque dolentibus, inquit.
Ganymedes. Tale nemus vates contraxerat: inque ferarum

136 Cantabr. et multi, *eiecto*. Regius, *exhausto*. Leid. *expulso*. Duo etiam *fluctus*. 140 Basil. *cacumine solem*. 143 *Contraxerat* ex Medic. dedit Burm. Vulg. *attraxerat*, quod reuocauit Mitscherl.

cum. Supra VII, 809. repetebam *frigus et vmbras* etc. *posuit sua corpora*. v. ad I, 300.

130 Serv. d. l. *qui cum elassatus aestu sub quadam arbore somnum caperet, subito strepitu excitatus, ceruum, quem in deliciis habebat, feram credens, per ignorantiam misso telo occidisset* etc. *Velle* redundat, vt Tibul. I, 2, 92. III, 4, 4. *definite quaerere velle*.

133 *pro materia*. v. ad III, 333. vbi, *grauius nec pro materia dolere*.

136 Per fletus non egeritur sanguis. Melius apud Serv. fletu nimio et abstinentia cibi ac potionis tabescit.

139 *caesaries, capillamentum, comae* passim de frondibus arborum. Sic Eurip. Ion. 920. palmam vocat ἄβροκόμαν. Callim. h. Dian. 41 ὄρος κεκομμένον ὕλῃ. Stat. IV Silv. 5. *frondibus annuis crinitur arbor*. v. Bueneman. ad Lactant. Carm. de Pascha vs. 21. *horridus* pr. de capillis incultis. *fumere*, accipere. III. ex P. IV, 31. *fumere vigorem*.

142 Cupressus, sorte quia caesa non regerminat, aut ob formam tristem, Diti consecrata, ante funestam domum ponebatur, ne quis rem diuinam facturus, imprudens intraret, atque ita polluueretur. *aderis dolentibus*, vt I, 560. de lauro, *tu ducibus aderis*. — *gracili*, tenui.

FAB. III. vs. 143 — 161 *Ganymedes*, primum canentis Orphei argumentum. Fuit autem Ganymedes Trois filius, (etsi alii aliter. v. Munker. ad Hygin. fab. 271. et Barnes. ad Eurip. Troad. vs. 822.) eximia pulchritudine iuuenis, quem Iupiter vel ipse mutatus in aquilam, vel missa aquila rapuit, ac mensae sibi ministrum fecit. Fons fabulae est Homer. Il. *v*, 231. et hymn. Ven. 203 sqq. vbi tamen non aquilae ministerio, sed procella raptus

Concilio medius, turba volucrumque sedebat.
Vt satis impulsas tentauit pollice chordas;
Et sensit varios, quamuis diuersa sonarent,
Concordare modos; hoc vocem carmine rupit:
Ab Ioue, Musa parens, (cedunt Iouis omnia regno)
Carmina nostra moue. Iouis est mihi saepe potestas
Dicta prius. Cecini plectro grauiore Gigantas,

144 Quidam, *turbae*. 146 Gronov. *sonabant*, vt saepe. 147 Vulg. *Carmine mouit*. Sed quia mox seq. *Carmina moue*, propterea Burm. ex Voss. Mss. recepit, *rupit*. Passim ap. poëtas, *rumpere vocem, quaestus* etc. 148 Langerm. *Ab Ioue principium*. Quidam, *Musa potens*. Duo Medic. *cedent*. Heins. malebat, *cedant*. Mox Leid. *carmina digna*. 150 Edd. quaedam distinguunt post *dicta*.

traditur. Displicuit hoc figmentum Cic. Tusc. I, 26. *Nec Homerum audio, qui Ganymedem a Diis raptum ait propter formam, vt Ioui bibere ministraret. Fingebat haec Homerus et humana ad Deos transferebat*. In Xenoph. Sympos. VIII, 30. existimatur non propter pulchritudinem, sed propter animi dotes raptus esse. Cf. Horat. IV od. 4. init. et Virg. Aen. V, 254 sqq. vbi hoc argumentum chlamydi intextum fuisse traditur. Sed er in multis aliis artis operibus expressum erat. v. Plin. XXXIV, 8. In bello cum Titanibus raptum esse Ganymedem a Ioue, praeeunte signo aquilae, suspicatur Fulgent. Mythol. I, 25. Cf Apollod. II, 5, 9. III, 12, 2. vbi Heyne monet, fundum fab. veterem esse loquendi vsum, cuius sensus sit, fuisse Ganymedem pulcherrimum puerum, dignum, qui cum Diis esset.

143 *Contraxerat*, cantus sui suauitate congregauerat, coëgerat, in locum, cui vmbra deerat. *Contrahere auxilia, milites, senatum, amicos* passim. v. Burm. *concilium*, quia audiendi, non deliberandi causa conuenerant. v. ad I, 167. Mox non erat, cur Heins. suaderet, *turbae volucrisque*; namque *in* facile potest repeti ἀπὸ κοινοῦ, et *que* saepe tertio verbo subiungitur. Sic et Burm. qui addit, posse etiam coniungi *medius turba*, vt II Am. XVI, 13. *Medius Pollux et Castore ponar*. Sed illud, opinor, melius.

145. 46 Ingeniose Musicus describitur praetentans et experiens tensionem chordarum, antequam canat. Cf. V, 339. *modi*, soni, quos edunt percussae chordae. *Impellere pollice chordas* est etiam Tibul. II, 5, 3. *Pollicis ictum*, pulsationem citharae dixit Horat. IV od. 6, 36. *rumpere*, vt graec. ῥήσσειν.

148 Iam incipit carmen Orphei, quod vsque ad finem libri pertinet. In principio expressit Arat. *Ab Ioue musarum primordia*. V Fast. III. *Ab Ioue surgat opus*. Calliope *Musa* mater Orphei. *moue*, incipe.

150 Excusat carminis leuitatem. *Graue plectrum* poëtis tribuitur, cum argumentum graue, bella et res gestas Deorum, heroum et regum dicunt; *leuis* contra *lyra*, aut *leue plectrum* (Horat. II od. I, 40.), cum res leues, amatorias etc. tractant. Ad eundem modum Claudian. Nupt. Honor. praef. 9 et 17 dixit, *lasciuo pollice*

Sparſaque Phlegraeis victricia fulmina campis.
Nunc opus eſt leuiore lyra: puerosque canamus
Dilectos Superis, inconceſſisque puellas
Ignibus attonitas meruiſſe libidine poenam.
Rex Superûm Phrygii quondam Ganymedis amore
Arſit: et inuentum eſt aliquid, quod Iuppiter eſſe,
Quam quod erat, mallet. Nulla tamen alite verti
Dignatur, niſi quae poſſit ſua fulmina ferre.
Nec mora: percuſſo mendacibus aëre pennis
Abripit Iliaden, qui nunc quoque pocula miſcet,
Inuitaque Ioui nectar Iunone miniſtrat.
Hyacinthus. Te quoque, Amyclide, poſuiſſet in aethere Phoebus;

151 Pro *campis* Heinſ. malebat *caſtris*, quia *Phlegr. caſtra* paſſim. Sed et *Phlegraei campi*, *Phlegr. arua* occurrunt. 158 Plerique veteres, *niſi quae portat* (ut *portet*) *ſua fulmina terrae.* Heinſ. malit, *Dignatus, niſi cui poſſent ſua fulmina ferri.*

et *pectine nobiliore tentare lyram. Phlegraei campi*, terra ſulfurea prope Cumas, vbi Iupiter, adiutus et a reliquis Diis et ab Hercule, Gigantas ſparſis fulminibus debellauit. v. Apollod. I, 6, 1. Nempe cum coloni graeci terras iſtas incolere coepiſſent, fabulas graecas illis locis alligarunt. V. quae Geſner. ad Claudian. 27, 20. diſputat. De argumentis, quae grauiore plectro Orpheus cecinerat, cf. ipſe in Argon. 10 ſqq.

153 De *inconceſſis ignibus* v. ad IX, 453. Intelligit autem in primis Myrrhae amorem, quem infra canet. *attonitas*, faſcinatas aut inſanientes, vt XV, 326.

156 Excogitauit Iupiter formam, in quam tranſiret ex ſua: nullam autem auem *dignabatur*, dignam iudicabat, in quam verteretur, niſi aquilam; quae, cum Iouis fulmina ferat, *Iouis armiger*, *miniſter fulminis ales*, *flammiger ales* etc. a poëtis vr. *alite* pro, in alitem, vt IX, 81. *tauro mutatus*. De *mendacibus pennis*, alis, v. ad VI, 26. Proprie *miſcentur* vina, temperantur aqua, poëtice etiam *pocula*. Virg. G. I, 9. *Iliaden*, Ili nepotem.

FAB. IV. vſ. 162—219 *Hyacinthus*, Lacedaemonius, ab Apolline dilectus, diſco percutitur et in florem ſui nominis vertitur. Vſ. 162. *Amyclides* vr. ſed vſ. 196 et Ibid. 590. *Oebalides*. Auctores veteres vtroque trahunt. *Amyclae* Lacedaemonii, qui Amyclam vrbem condidit, filium eum faciunt Pauſan. Lac. p. 204. Apollod. III, 10, 3. (quamquam idem I, 3, 3. Pierum patrem nominat.) Schol. Nicandri p. 60. Tzetzes Chil. I, 11. *Oebalo* natum eum perhibent Hygin. fab. 271. Lucian. To. I. p. 149. Serv. ad Aen. XI, 69. Sed Coluth. Rapt. Hel. p. m. 43. nihil decernit. Iam cum parum credibile ſit, Noſtrum in eadem fab. nunc hos, nuncillos ſecutum eſſe, quaeritur, quomodo haec nomina capienda ſint. Alii *Amyclidem* explicant Amyclaeum, Amyclis oriundum. Certe a Palaeph. cap. 47. vr. Ἀμυκλαῖον μειράκιον, et a Claudian. R. P. II, 133. *natus*

Triſtia ſi ſpatium ponendi fata dediſſent.
Qua licet, aeternus tamen es: quotiesque repellit
Ver hiemem, Piſcique Aries ſuccedit aquoſo,
Tu toties oreris, viridique in ceſpite vernas.
Te meus ante alios genitor dilexit: et orbe
In medio poſiti caruerunt praeſide Delphi;
Dum Deus Eurotan, immunitamque frequentat

166 Pro *flores* Burm. ex vno Leid. recepit *vernas*. Boſchii liber, *viuoque in ceſpite*, quod alibi ſaepiſſime occurrit. v. Heinſ. Sed Burm. putat, *viridi* magis conuenire τῷ *vernas*. 169 Quidam, notante Viuiano, *immutatamque*, h. e. a qua Apollo nunquam diſcedebat.

Amyclis. Alii contra *Oebalidem* interpretantur Oebalia oriundum; quod ferri nullo modo poteſt. Si enim Amyclae filius fuit, non potuit Oebaliae naſci, quae condita eſt ab Oebalo, Amyclae nepote. v. Pauſan. d. l. idemque p. 258. ſuſpicatur, fabulam longe aliter ſe habere, ac vulgo exponatur. Sine dubio *Amyclides* h. l. eſt Amyclae pronepos, et *Oebalides*, Oebali filius. Nam etiam IV, 672. *Abantiades* vr. Perſeus, Abantis pronepos. Infra vſ. 217. Sparta genuiſſe hunc iuuenem dr. quamquam V Faſt. 223. *Therapnaeus* rurſus vr. a Therapnis, alia Laconiae vrbe. Ex Perizonii in Animadv. hiſt. p. 407. ſententia, Noſter duas ſententias confudit, vt XII, 189 et 209. in Caenei maioribus. Caeterum praeter auctores iam laudatos etiam Eurip. Helen. vſ. 1482 ſqq. hanc fab. tractauit.

162 *in aethere*, in coelo, inter Deos retuliſſet, vt Iupiter Ganymedem. *Triſtia — dediſſent*, niſi celere et praematura morte abſumtus eſſes. *triſtia*, quia et violenta et immatura mors.

164 *aeternus*, quia hyacinthus flos quotannis renaſcitur. *aeternus* pro, immortalis, vt II, 653. *repellit hiemem*. Virg. G. IV, 51. *putſam hiemem ſol egit ſub terras*. De *piſcibus* (nam Sing. *piſci* pro Plural.) v. ad vſ. 78. *Arietis* ſignum ſol olim ingrediebatur initio veris. *vernare* exquiſite de floribus vernis. v. ad VII, 234. Claudian. d. l. Hyacinthus et Narciſſus *inclita germina veris*.

167 Pater Orphei Oeagrus, rex Thraciae, fuiſſe creditur. Sed et hic et apud alios poëtas Apollo hunc vatem genuiſſe traditur. forte quia Apollo ſub Oeagri figura cum Calliopa concubuit. v. Parrhaſ. ad Claudian. Praef. II. R. P. *ante alios*, prae caeteris. *Delphi*, oraculum Delphicum. Delphos *in medio orbe* ſitos fuiſſe, ita cognitum eſt. Iupiter *Armigeros vtrimque duos aequalibus alis Miſit ab Eois, occiduisque plagis. Parnaſſus geminos fertur iunxiſſe volatus*. Claudian. Praef. in Theod. Conſ.

169 Sparta nullis muris cincta, quia, iudice Lycurgo, ciues armati et ſortes firmiſſima vrbis munimenta. *non ſunt in honore*, non curat citharam etc, Claudian. Nupt. Hon. 5. de Honorio amante: *Non illi venator equus, non ſpicula curae; non iaculum torquere libet.*

Sparten; nec citharae, nec ſunt in honore ſagittae.
Immemor ipſe ſui non retia ferre recuſat;
Non tenuiſſe canes; non per iuga montis iniqui
Iſſe comes: longaque alit adſuetudine flammas.
Iamque fere medius Titan venientis, et actae
Noctis erat, ſpatioque pari diſtabat vtrimque;
Corpora veſte leuant, et ſucco pinguis oliui
Splendeſcunt, latique ineunt certamina diſci.
Quem prius aërias libratum Phoebus in auras

170 Gronov. *pharetrae.* 173 Vulg. *Ire comes.* Erford. *longa trahit.* 175 Cant. Baſ. et alius, *actae Lucis,* non improbante Burm. 176 Vulg. *oliuae*; ſed v. Heinſ.

171 Immemor *ſui,* ſuae maieſtatis, ſocius eſt Hyacinthi in venatu. Idem obſequii exemplum eſt infra vſ. 533 ſqq. Heroidd. V, 19 ſqq. *Retia ſaepe comes maculis diſtincta tetendi, Saepe citos egi per iuga longa canes.* A. A. II, 189. *Saepe tulit inſſo fallacia retia collo.* Tibul. I, 4, 50. *Nec, dum placeas, humeri retia ferre negent.*— *mons iniquus,* aſper, ſaxoſus, difficilis tranſitu. *aſperitas loci iniqua* IV Pont. 4, 22.

174 Meridies erat. *medius ven. et actae N.* dictum vt VI, 409. *iuguli medius et lacerti,* et mox vſ. 233. *medium mortis fugaeque,* de qua ſyntaxi vid. Gronov. ad Liv. 28, 6. *venientis,* futurae. v. ad IX, 417. *ſpatioque — vtrimque* otioſe additum. *leuant veſte,* tamquam onere, elegantius, quam vulg. deponunt, exuunt veſtes. Virg. G. II, 400. *nemus leuare fronde. Oliuum,* vnguentum ex oleo et cera, *χήρωμα* dictum. Conſtant. Fan. e Thucyd. memorat, Lacedaemonios primos inſtituiſſe, vt certaturi et veſtes deponerent et oleo vnguerentur. Id quod mature imitati ſunt reliqui Graeci. Hinc Homer. Od. Ϡ, 186. diſerte addit, Vlyſſem iratum diſcum miſiſſe *αὐτῷ φάρει,* non depoſita prius veſte. Vnxerunt autem corpus, partim vt artus mollirentur, partim vt ſudor comprimeretur.

177 Diſcobolia fuit inter antiquiſſima exercitationis genera, cuius et Homer. Il. Ψ, 826 ſqq. et Od. Ϡ, 186. meminit. *Diſci* maſſa *lata* plerumque et lentis formam referens. Lipperti Dact. I, 623. Ea vel ſurſum (vt h. l.) vel prorſum proiicienda brachiorum vires augebantur. Sed multum *artis* et *virium* ille ludus requirebat. *libratum,* agitatum, rotatum, vt maiore vi et celeritate volaret. Sic II, 308. Iupiter *vibrata fulmina iactat,* vbi v. not. Homer. d. l. ἧκε διήνεας et *περιστρέψας.* Propert. III, 12, 10. *Miſſile nunc diſci pondus in orbe rotat.* — *aërias auras* v. ad IX, 219. Neque *aërias* plane otioſum eſſe putem, ſed *aëriae auras* ſorte i. q. *tenues, liquidae auras;* opp. enim mox *ſolida terra.* — *diſiecit* grauius, quam *diuiſit,* quod habet vnus Heinſii Mſ. *exhibuit,* ſpecimen exhibuit artis et virium Apollinis. Cf. VII, 29. Ita *exhibere* et VI, 213.

Miſit, et oppoſitas diſiecit pondere nubes.
Recidit in ſolidam longo poſt tempore terram
Pondus, et exhibuit iunctam cum viribus artem.
Protinus imprudens, actusque cupidine ludi,
Tollere Taenarides orbem properabat: at illum
Dura repercuſſo ſubiecit ab aëre tellus
In vultus, Hyacinthe, tuos. Expalluit aeque,
Ac puer, ipſe Deus: collapſosque excipit artus;
Et modo te refouet, modo triſtia vulnera ſiccat;
Nunc animam admotis fugientem ſuſtinet herbis.
Nil proſunt artes: erat immedicabile vulnus.
Vt ſi quis violas, riguoue papauer in horto,

179 Suſpectum eſt Burm. *pondere,* quia vſ. ſq. repetitur. Coniicit, *verbere.* 180 Quidam *decidit,* quod placebat Conſtant. Fan. 182 Vulg *cupidine luſus.* Burm. coni. *cupidine laudis.* Pro *actus* alii *tactus, raptus, captus, lastus* etc. quae omnia defendi poſſunt. 186 Quidam, *accipit* vel *exigit.* 190 Vulg. *papauera.*

182 Nihil mutandum in h. vſ. Deſcribitur feruidus iuuenis et ardens cupidine, non laudis, ſed huius ludi, qui vix exſpectare poteſt, donec diſcus reciderit, et vbi recidit, caecus quaſi accurrit, vt eum tollat. *Taenarides,* Lacedaemonius. *Repercuſſus aër* alibi quidem occurrit, ſed nunc vix locum habet. *Repercuſſus* enim vel paſſiue dr. qui illabens duro corpori repellitur, vel actiue, qui repellit alterum; neutra tamen ſignificatio h. l. ſenſum fundit commodum. Aër enim nec repellebatur, ſed diſcus, nec diſcum repellebat, ſed terra. Septem Mſſ. *repercuſſum in aëra.* Tum Heinſ. legebat vſ. ſeq. *Et vultus.* Imo *repercuſſum* ego refero ad diſcum, tum omnia plana ſunt. Diſcum repercuſſum in aëra tellus ſubiecit in vultus Hyacinthi. *Ab aëre* non niſi vnus Argent, Mſ. ſuggeſſit Heinſio. Caeteri, *in aëre.* — Caeterum ſecundum alios Zephyrus, qui et ipſe amabat Hyacinthum, invidia impulſus diſcum in eum detulit.

186 Praeclare haec de Apolline medicorum Deo. Cf. II, 617 ſqq. *Collabuntur,* qui morientes aut animo linquentes cadunt. VII, 826. Procris *collapſa dolore cecidit. Excipere* drr. qui ſublatum in ſinum recipiunt. XII, 423. Hinc interdum eſt fouere, molliter tractare, vt Virg. G. II, 345. Fruſtra igitur Heinſ. malebat, *erigit.* Cf. ad XII, 423. vbi eadem cura. *ſuſtinet,* retinet, differt. Senec. I. Cont. 12. *deficientis adoleſcentis ſpiritus in adventum meum ſuſtinebatur.*

190 Suauiſſima et bene delecta ſimilitudo, quam tamen Noſter vel Homer. Il. Ϡ, 306. vel potius Virg. Aen. IX, 434. debet. *Inque humeros ceruix collapſa recumbit, Purpureus veluti cum flos, ſucciſus aratro, Langueſcit moriens, laſſoque papauera collo Demiſere caput, pluuia cum forte grauantur.* — Monet Heinſ. lilia virides

Liliaque infringat, fuluis haerentia virgis;
Marcida demittant ſubito caput illa grauatum,
Nec ſe ſuſtineant, ſpectentque cacumine terram:
Sic vultus moriens iacet, et defecta vigore
Ipſa ſibi eſt oneri ceruix, humeroque recumbit.
Laberis, Oebalide, prima fraudate iuuenta,
Phoebus ait: videoque tuum, mea crimina, vulnus.
Tu dolor es, facinusque meum. Mea dextera leto
Inſcribenda tuo eſt. Ego ſum tibi funeris auctor.
Quae mea culpa tamen? niſi ſi luſiſſe, vocari
Culpa poteſt: niſi culpa poteſt, et amaſſe, vocari;
Atque vtinam pro te vitam, tecumue liceret
Reddere! ſed quoniam fatali lege tenemur;

191 Quidam, vt Florent. S. Marci, *lignis*. Gronov. et vnus Medic. *truncis*, [illegible] Gronov. arridebat. [illegible] *ſignis*. Heinſ. coni. *virgis haerentia longis*. 194 Vnus, *vultum*. Alius, *vultu*. Heinſ. [illegible] *vultu morientis* aut, *vultus morientis flaccet* (nam proprium huic rei verb.) aut *marcet*, et tum ſupra pro *marcida* eſſe reponendum *flaccida*.

quidem habere *virgas*, i. calamos, ſed infractas langueſcere, atque etiam Stat. III Sil. 123. iis *pallentes culmos* tribuiſſe; tum apponit loc. Plin. XXI, 5. de liliis, *Nec vlli florum excelſitas maior, interdum cubitorum trium, languido ſemper collo, et non ſufficiente capitis oneri.*

196 *Labi* de moribundis III A. A. 742. Statius Theb. XII, 778. Iisdem *labens caput* Lucan. III, 742. et *labentes oculi* III Triſt. 3, 44. tribuuntur. *fraudatur iuuenta*, qui praematura morte abripitur, vt iuuentute frui haud poſſit. *fraudare* omnino priuare. Tibul. III, 5, 19. et Noſter Amorr. II, 14, 23. dixerunt, *fraudare vitem creſcentibus* (nondum maturis) *vuis*, v. Munker. ad Hygin. fab. 89.

198 *Mea dextera* etc. Mors tua dextrae meae adſcribenda, ego mortis tuae auctor. Similiter XV, 178. *ipſos Inſcripſere Deos ſceleri.*

203 *Fatalis lex*, lex fati, fatum. Formulam *lege teneri* non intellexit Regius, qui e Mſſ. praefert *lege vetamur*. Eleganter enim *lege teneri* drr. quos cogit lex aliquid vel facere, vel omittere. Caeterum ſimile Inachi votum eſt ſupra I, 661. *haerere*, ſemper verſari, *in ore*, ſemper commemorari. Cic. Phil. XIII, 3. *haerere in oculis*. Attic. XIII, 4. *haerere in libris*. *Te ſonabunt* melius, quam, te (nomen tuum et fata tua) canent. Anacr. I, 4. lyra Ἔρωτα μοῦνον ἠχεῖ. Phaedr. III, 16, 12. *ſonare cithara Apollinem*. vbi v. Burm. *ſcripto imitabere*, inſcriptam, impreſſam habebis notam, quae referat ſonum gemitus mei. Claudian. R. P. II, 121. *hyacinthus flebilibus moerens figuris*.

Semper eris mecum, memorique haerebis in ore.
Te lyra, pulſa manu, te carmina noſtra ſonabunt:
Flosque nouus ſcripto gemitus imitabere noſtros.
Tempus et illud erit, quo ſe fortiſſimus heros
Addat in hunc florem, folioque legatur eodem.
Talia dum vero memorantur Apollinis ore,
Ecce cruor, qui fuſus humi ſignauerat herbam,
Deſinit eſſe cruor, Tyrioque nitentior oſtro
Flos oritur, formamque capit, quam lilia; ſi non
Purpureus color huic, argenteus eſſet in illis.
Non ſatis hoc Phoebo eſt, (is enim fuit auctor honoris)
Ipſe ſuos gemitus foliis inſcribit; et ai ai

207 Quidam, vt Oxon. et Voſſ. *fortiſſimus Aiax*. 210 Vulg. *humo*. 213 *huic* pro *his* ex vno ſuo et vno Voſſ. dedit Heinſ.

207 *fortiſſimus heros*, Aiax, qui et ipſe in hyacinthum mutatus eſt. XIII, 397. Hinc flos ille ipſe *generoſus flos* vr. V Faſt. 211. Plin. XXI, 11. *Hyacinthum comitatur fabula duplex, vel luctum praeferens eius, quem Apollo dilexerat, aut ex Aiacis cruore editi: ita discurrentibus venis, vt graecarum literarum figura* Al *legatur inſcripta*. Eleganter, *ſe addere* quaſi ſocium et comitem *in florem*, poſt alium mutari in eundem florem. — *Ore* additum, quia vaticinatur Apollo. v. ad IX, 418. *vero*, quia Apollinis oracula veriſſima. v. ad I, 491. *ſignauerat* exquiſitius, quam, madefecerat.

211 Non intelligi hyacinthum eum, qui vulgo ſic dr. ſatis conſtat; nam nec color idem eſt, nec forma eadem. Sine dubio hyacinthus poëtarum idem eſt cum *vaccinio nigro*, adeoque *lilium floribus reflexis, Martagon, Türkiſcher Bund*. Theocrit. X, 28. Καὶ τὸ τὸν μέλαν ἔντι, καὶ ἀ γραπτὰ ὑάκινθος. quem loc. Virg. Ecl. X, 39. ſic expreſſit, *Et nigrae violae ſunt, et vaccinia nigra*. v. Martin. ad Virg. G. IV, 183. Heyne ad Ecl. II, 18. et Schreber ad Theocrit. d. l. in ed. Harleſii. *Purpureus* crebro de nigro colore dr. quia purpura Veterum habebat nigredinem ſanguineam. Aliis eſſe videtur Iris germanica (violetblaue Schwertlilie), aliis Delphinium Aiacis (eine Art von Ritterſporn), cuius folium candidum figuras Al caeruleo colore refert.

215 *Inſcribit*, notas ducit, in formam literarum. Hinc ἀ γραπτὰ ὑάκινθος ap. Theocrit. d. l. Virg. Ecl. III, 106. *Dic, quibus in terris inſcripti nomina regum Naſcantur flores*. Auſon. in Cup. Crucifixo, *Et tragico ſcriptus gemitu Salaminius Aiax*. — Pro *ai* in Mſſ. permultis, *hya* aut *ya*; quae cum ſint primae literae nominis Hyacinthi, multi illam lectionem praeferendam indicarunt. Sed hic ipſe loc. reclamat. Apollo gemitus ſuos inſcripſit, et ſqq. temporibus Aiacis quoque nomen ducta illa figura habuit. Sic et XIII, 397. Gemitus autem vox apud Graecos non *hya*, ſed αἴαῖ, *heu, heu*, vt vel e Sophocl. Aiace vſ. 430 ſq. et aliunde conſtat. Aiax porro Graecis Αἴας ſcribi-

Flos habet inſcriptum: funeſtaque litera ducta eſt.
Nec genuiſſe pudet Sparten Hyacinthon: honorque
Durat in hoc aeui, celebrandaque more priorum
Annua praelata redeunt Hyacinthia pompa.
Ceraſtae et Propoetides At ſi forte roges fecundam Amathunta metalli,
An genuiſſe velit Propoetidas; abnuat aeque,
Atque illos, gemino quondam quibus aſpera cornu
Frons erat; vnde etiam nomen traxere Ceraſtae,
Ante fores horum ſtabat Iouis Hoſpitis ara,

218 Gronov. *in hoc aeuo.* Pauci, *in hoc aeuum.* 219 Cantabr. *praelatae pompae.* Vnus Medic. *celata pompa.* 220 Vulg. *metallis.* 221 Vulg. *annuat.* Multi, *abnuit.* Quatuor cum pr. Regio *abnuet.* Hinc Heinſ. ex legibus linguae, *abnuat.*

tur. Accedit, quod *αὖ*, *αὖτ'* tuentur etiam Moſchus Epiced. Bion. Plin. XXI, 11. Schol. Theocrit. ad Id. X, 28.

217 Fallitur Micyllus, qui hic de Sparta, Hyacinthi auia, cogitat. Etiam vrbes, in quibus quis natus et educatus eſt, atque adeo fluuii illas vrbes praeterlabentes, drr. eum genuiſſe et aluiſſe. Claudian. Conſ. Olyb. 236. Tiberinus dicit, *Reſpice, ſi tales iactas aluiſſe fluentis Eurota Spartane tuis.* — *In hoc aeui* melius, quam, in hoc aeuum. Lucret. II, 15. *Qualibus in tenebris degitur hoc aeui.* Plin. Paneg. 6. *Solus ad hoc aeui paria feciſti.* vbi v. Schwarz.

219 *Hyacinthia*, ſacra Lacedaemoniorum, quae quotannis vel verno tempore, vt placet Fontederae in Antiquit. p. 270. vel aeſtate, vt vult Dodwellus diſſert. 8. de Cyclis, in memoriam Hyacinthi per triduum celebrabantur. V. Heyne in Antiquariſchen Aufſätzen Vol. I. p. 97 ſqq. *priorum*, maiorum.

FAB. V. vſ. 220—242 Amathuſia Venus *Ceraſtas*, quia Ioui hoſpites immolabant, in tauros, *Propoetidas* autem, adſpernatas Deam, in lapides mutat.

220 Initium fab. cohaeret cum vſ. 217. Sparten non putet Hyacinthum genuiſſe, at Amathus nolit Ceraſtas peperiſſe et Propoetidas. *Amathus*, oppidum Cypri, vbi Adonis et Venus (inde dicta Amathuſia) templum antiquiſſimum habebant. Pauſan. Boeot. p. 796. Virg. Aen. X, 57. *fecunda metalli* ob metalliſodinas, quae hodie neglectae iacent. Infra vſ. 531. *grauida metalli.* De ſyntaxi v. Heinſ. Virg. Aen. X, 174. *inſula generoſa metallis.*

222 *quibus aſpera cornu frons*, qui cornua in fronte gerebant. *Aſperum*, quidquid eminentias habet. A *κέρας* dicti ſunt *κεραταί*, cornuti. Ipſa inſula dicta Ceraſtis, quia, auctore Xenagora, *πολλὰ κέρατα, τὰν δ' ἔϛι πολλὰς ἐξοχὰς, ἴχει*, quia multas eminentias, i. promontoria, habebat. Adde Stephan. in h. v. Hinc nata fabula.

224 *Hoſpes*, hoſpitalis, *ξένιος*, cuius in tutela hoſpites erant. Virg. Aen. I, 731. *Lugubris ſceleris* plerosque offendit Intt. Heinſ. emendat, *ilicibus celebris*, Schepper. *caedibus illuſtris*, Burm. *lugubris Veneri*, quia illa abhorret a ſanguine et ſacris nefandis.

Lugubris ſceleris: quam ſi quis ſanguine tinctam
Aduena vidiſſet; mactatos crederet illic
Lactentes vitulos, Amathuſiacasue bidentes:
Hoſpes erat caeſus. Sacris offenſa nefandis,
Ipſa ſuas vrbes, Ophiuſiaque arua parabat
Deſerere alma Venus. Sed quid loca grata, quid vrbes
Peccauere meae? quod crimen, dixit, in illis?
Exſilio poenam potius gens impia pendat,
Vel nece; vel ſi quid medium mortisque fugaeque.
Idque quid eſſe poteſt, niſi verſae poena figurae?
Dum dubitat, quo mutet eos; ad cornua vultum
Flexit: et admonita eſt haec illis poſſe relinqui;
Grandiaque in toruos transformat membra iuuencos.
Sunt tamen obſcoenae Venerem Propoetides auſae
Eſſe negare Deam: pro qua ſua, numinis ira,
Corpora cum forma primae vulgaſſe feruntur.
Vtque pudor ceſſit, ſanguisque induruit oris,

225 Multi, *Inlugubris* aut *illugubris*, et pro *ſceleris*, *celeris*, *celeri*, *ſceleri*. 227 Vnus, Leidenſ. *Amathuſiadesque.* Heinſ. legit, *Amathuſiadasue.*

Schirach. autem vulg. tuetur, eamque ita capit: at illa erat ara lugubris, ara ſceleris. Neque aliter haec accipi poſſunt, ſi lectio ſana.

229 Venus per omnes Cypri *vrbes* templa habebat, ibique in primis colebatur. Hinc *Diua potens Cypri* Horat. I od. 3, 1. *Ophiuſia* olim dicta Cyprus obſerpentium multitudinem. v. Spanhem. ad Ariſtoph. Plut. p. 717. Burmanno autem parum placet vulg. lectio. Is igitur vel cum vno Mſ. legit, *Ipſa ſuas ſedes* (nam *ſedes* Deorum ſunt loca, vbi coluntur) vel, *Ipſa ſuas aedes.* Cauſſa emendandi fuit haec, quia mox ſeq. *quid vrbes*, quae repetitio ei non placet, quia tunc et *arua* repetenda eſſent, cum nunc *loca grata* dicat, quae tam templa, quam vrbes et arua, notare poſſunt. Ego vero iniquum eſſe arbitror, poëtarum loca ad tales leges exigere.

233 *fuga*, exſilium. *medium mortis fugaeque.* v. ad vſ. 174.

238 *obſcoenae*, quia poſtea corpora vulgarunt. Barth. Aduerſ. VIII, 17. explicat, impias. *numinis ira*, irata Venus incitauit in tantam libidinem, vt etc. *corpora vulgant*, quae omnium libidini patent. *formam vulgant*, quae formae ſ. pulchritudinis ſuae fructum omnibus promiſcue concedunt. Sed Burm. malit, *corpora cum fama*, vt non clam eas coiiſſe, neque famam pudicarum adfectaſſe ſignificetur. Omnino Cypriae mulieres proclines in Venerem fuiſſe videntur, et quaeſtum corporis feciſſe. v. Iuſt. XVIII, 5.

241 Impudentibus, quia nunquam erubeſcunt, dura, exſan-

In rigidum paruo ſilicem diſcrimine verſae.
Pygmalion. Quas quia Pygmalion aeuum per crimen agentes
Viderat, offenſus vitiis, quae plurima menti
Femineae Natura dedit, ſine coniuge caelebs
Viuebat, thalamique diu conſorte carebat.
Interea niueum mira feliciter arte
Sculpſit ebur, formamque dedit, qua femina naſci
Nulla poteſt: operisque ſui concepit amorem.
Virginis eſt verae facies, quam viuere credas,
Et, ſi non obſtet reuerentia, velle moueri.

243 Vulg. *crimina.* 244 Vnus Medic. *ſorti femineae.* v. ad IX, 6[illegible]. 248 Vulg. *ſculpſit.* Florent. *ſcalpſit.* 249 Vnus Heinſ. *praecepit.* 251 Tres, *poſſe moueri.*

guis, ferrea frons, exſangue os [illegible] tribuitur. Plin. paneg. 35. Hinc facile fuit figmentum, mulieres impudicas tranſiiſſe in ſilices *paruo diſcr. verſae.* Supra VI, 62. *parui diſcriminis vmbrae. Incurrit* ſic etiam eſt IV, 749. et alibi.

FAB. VI. vſ. 243—297 *Pygmalionis ſtatua* vitam accipit. E Philoſtephani Cypriacis fab. referunt Clemens Alex. Protrept. p. 50 et Arnob. adv. Gentes lib. VI. p. 206. ſed haud paullo aliter ac Noſter, fuiſſe Pygmalionem regem Cypri, qui ſimulacrum Veneris, quod religionis apud Cyprios habitum ſit antiquae, ita adamauerit, vt cum eo concumberet. Neque aliter Gnidium quendam adoleſcentulum in alio Veneris ſimulacro arſiſſe, Poſidippus tradiderat. Sed Noſter Pygmalionem facit ſtatuarium Cyprium (et ſic etiam Philoſtr. Vit. Apollon. Tyan. V, 5.), cuius eburnea ſtatua Veneris munere vitam acceperit. Cf. Meurſius in Cypro II.

243 *per crimen*, in libidinis turpitudine atque infamia. Senec. Epiſt. 93. *per tenebras aeuum ignobile emetiri.* Salluſt. Iug. 2, 4. *per luxum atque ignauiam aetatem agunt.* Liv. I, 5. *vt nudi iuuenes per luxum atque laſciuiam currerent.*

245 Idem ter dixit, *ſine coniuge, caelebs, thalami conſorte carens.* Tolleretur hoc tautologiae vitium, ſi cum vno Mſ. Heinſii *caelebs* mutares in *felix* (v. ad IX, 333), et deinde legeres cum vno Baſil. *thalamoque*, quod Heinſ. venuſtum videbatur, qui illuſtrandi cauſſa *conſortia corpora* laudat e XIII, 343. Sed et alibi Noſter ſimiliter peccauit, vt VIII, 557. IX, 93.

248 Ergo, vt Zeuxis apud Crotoniatas, omnes pulchritudinis partes, quas natura non vni cunctas concedit (*nihil* enim *in ſimplici genere omnibus ex partibus perfectum natura expoliuit.* Cic. Inuent. II, 1.), in vnum ſimulacrum transtulerat. — *Concepit amorem*, vt II, 64. *concipere furores* et II Faſt. 761. *furiatos ignes concipere. Concipi* enim drr. quae oriuntur in animo.

250 Viuere videbatur ebur. *virginis verae.* Burm. comparare hic iubet not. ad A. A. I, 62. vbi veram puellam interpretatur vel iuuenculam, in primo flore,

Ars adeo latet arte ſua. Miratur, et haurit
Pectore Pygmalion ſimulati corporis ignes.
Saepe manus operi tentantes admouet, an ſit
Corpus, an illud ebur: nec ebur tamen eſſe fatetur.
Oſcula dat, reddique putat: loquiturque tenetque:
Et credit, tactis digitos inlidere membris:
Et metuit, preſſos veniat ne liuor in artus.
Et modo blanditias adhibet; modo grata puellis
Munera fert illi conchas, teretesque lapillos,

253 Iunian. *ſimulatae coniugis.*

vel non fucatam, quae non mentitur annos et celat. Verum h. l. *vera* eſt viua, vt ipſe Ouid. explicat, et opp. vſ. 253. *ſimulatae*, i. ad exemplum naturae expreſſae, (v. ad III, 158.) arte factae. Et vſ. 292. *ora non falſa.* Sic VIII, 195. Daedalus imitatur *veras aues.* Ill Trist. XI, 48 *verus bos*, cui opp vſ. 40. *falſus*, arte factus. A. A. III, 200. *Sanguine quae vero non rubet, arte rubet.* Ex Pont. IV, 1. *ſimilis verae vacca Myronis opus.* Propert. III, 7, 9. *animoſa* et II, 23, 8. *viuida ſigna.* Iuuenal. Sat. VIII, 12. *Phidiacum viuebat ebur.* Artifices, qui talia opera ponunt, drr. *ad veritatem accedere*, Quinctil. XII, 10. et *veritatem imitari.* Cic. Brut. 18. — *moueri*, ſaltare, vt ap. Horat. A. P. 232. *Vt feſtis matrona moueri iuſſa diebus.* Lucret. IV, 772. *non eſt mirum, ſimulacra moueri, Brachiaque in numerum iactare et caetera membra.* Horat. Sat. I, 9, 24. *mouere membra.* Hinc Tibul. I, 7, 38. ſuauiter de vino, *Mouit et ad certos neſcia membra modos*, ſaltare docuit homines rudes. Addit Noſter, *ſi non obſtet reuerentia*, ſcil. hominum, cura famae. VII, 146. Enim apud Romanos vix ſobrii homines ſaltabant, aut mulieres probae, niſi feſtis diebus. v. Brouckh. ad Propert. IV, 5, 45. Male igitur, opinor, Schirach. „Virgines bene educatae prae pudore in virorum conſpectu vix audent ſe mouere."

252 In verbis *Ars latet arte* acumen ineſt. Adeo artificioſe elaboratum erat ſignum, vt ars non animaduerteretur, ſed vera virgo eſſe crederetur. Summa laus. Quinctil. Inſt. Or. I, 11, 3. *prima ars eſt, ne ars eſſe videatur.*

254 ſqq. Ingenioſe et praeſtantiam operis, et imaginationem artificis amantis opus notat. *tentare*, tactu explorare, vt mox vſ. 282. *manibus pectora tentat.* Quinctil. i. Declam. 9. *Tentauit ergo vultus et pectus obiectum.* VIII, 610. ſic eſt *contrectare.* — *inſidere* exquiſite. *Inſidunt* digiti, cum pars carnis, quam tangunt et premunt, iis cedit. Mox vſ. 284. ebur *ſubſidit digitis ceditque. Ne veniat liuor in artus* elegantius, quam, ne liueſcant.

259 *Adhibere blanditias* e formula ſollemni. Tibul. III, 4, 75. *blandas adhibere querelas.* Noſter ſupra III, 376. *molles adhibere preces.* — *Conchae* et *teretes*, i. laeues et rotunduli, *lapilli* in deliciis puellarum. Amorr. II, XI, 13. *Nec medius tenues conchas, pictosque lapillos Pontus habet:*

Et paruas volucres, et flores mille colorum,
Liliaque, pictasque pilas, et ab arbore lapsas
Heliadum lacrimas. Ornat quoque vestibus artus:
Dat digitis gemmas, longoque monilia collo.
Aure leues baccae, redimicula pectore pendent.
Cuncta decent: nec nuda minus formosa videtur.
Collocat hanc stratis, concha Sidonide tinctis;
Adpellatque tori sociam: adclinataque colla
Mollibus in plumis, tamquam sensura, reponit.
Festa dies Veneri, tota celeberrima Cypro,
Venerat; et pandis inductae cornibus aurum

264 Vulg. *dat longa monilia collo.* Duo, *grata monilia.* Oxon. *larga.* Arond. *lata.* Sed *longoque* e sec. Medic. et duobus aliis recepit Burm. 268 Quidam, *inclinataque.* 270 *Veneri* habet Heins. ex vno Strozzae. Caeteri, *Veneris.* 271 Vulg. *indutae.* Tres, *auratis ornatae cornua vittis*, vel *sertis.*

bibuli litoris illa mora est. Cf. Lucret. II, 374 sqq. Propert. I, 2, 13. Istiusmodi lapillis ludere solebant. v. Casaub. ad Sueton. Aug. 83. Burm. Lapilli isti, cum vmbilici fere figuram haberent, vmbilici dicti sunt. Cic. Orat. II, 6. de Laelio et Scipione, *conchas eos et vmbilicos ad Cuietam et ad Laurentum legere consuesse, et ad omnem animi remissionem descendere.*

261 *paruas volucres.* Etiam Propert. III, 11, 27 sqq. inter munera, quae olim puellis ferebantur, refert *variam plumae verficoloris auem, violas, lilia, et suis vestitas frondibus uuas.* — *Pila picta*, i. versicolore, ludebant virgines Graecorum, vt Nausicaa ap. Homer. Od. ζ. 100. De *Heliadum lacrimis* v. ad II, 364 sqq.

264 *longum collum* in partibus pulchritudinis. v. Iunius de Pictura lib. III. cap. 9. De *baccis* v. ad vs. 116. *redimicula*, fimbriae pendulae, erant in ornamentis mulierum, et passim occurrunt in Monumentis. v. Winkelmanns Gesch. d. Kunst. p. 308. Subligabantur mento, aut ornabant frontem, Iuuenal. Sat. II, 83. aut de pectore pendebant.

267 Arnob. d. l. solebat demens, *tamquam si vxoria res esset, subleuato in lectulum numine, copulatior amplexibus atque ore, resque alias agere libidinis vacua imaginatione frustrabiles.*

271 Ture tantum, non sanguine, Veneri sacra facta Burm. monet e Meursii Cypro lib. I. cp. 16. Sed Ouid. tempora rursus confundit. Seqq. enim temporibus Veneri vtique hostiae mactatae sunt, licet sanguinem infundere arae nefas haberetur. Tacit. Hist. III, 3. Horat. I od. 19, 16. ibique Iani. *pandis* de suo dedit Heins. cum Mss. omnes habeant *blandis.* Hostiae quidem interdum *blandae* drr. quae offeruntur Diis blando animo (v. Heyne ad Tibul. III, 3, 2.), sed *blanda* victimae *cornua* vix ferri possunt. *indutae*, ornatae. *munere functus*, sacris factis.

Conciderant ictae niuea ceruice iuuencae;
Turaque fumabant: cum munere functus ad aras
Constitit, et timide, Si Di dare cuncta potestis,
Sit coniux opto, (non ausus, eburnea virgo,
Dicere Pygmalion) similis mea, dixit, eburnae.
Sensit, vt ipsa suis aderat Venus aurea festis,
Vota quid illa velint: et, amici numinis omen,
Flamma ter accensa est, apicemque per aëra duxit.
Vt rediit; simulacra suae petit ille puellae:
Incumbensque toro dedit oscula. Visa tepere est.
Admouet os iterum, manibus quoque pectora tentat:
Tentatum mollescit ebur: positoque rigore
Subsidit digitis, ceditque: vt Hymettia sole
Cera remollescit, tractataque pollice multas
Flectitur in facies, ipsoque fit vtilis vsu.
Dum stupet, et timide gaudet, fallique veretur;

273 Gronov. et vnus Medic. *quo munere.* 277 Prim. Gronov. *aurea templis.* Genev. *sacris.* 286 Vulg. *vertitur in facies.* 287 Vulg. *et dubio gaudet.* Quidam, *et modico* aut *modice.*

277 *aurea*, pulchra. Sed hoc epitheto a graecis et lat. poëtis ornatur in primis Venus, quae iuxta Sapph. χρυσᾶ χρυσοτερος.

279 *Flamma*, in primis *ter accensa*, laetum omen. *apex*, flamma in apicem acuminata. Non noue et mire sic locutus est Ouid. vt Schirach. videbatur; nam etiam Virg. Aen. II, 683. *apex visus fundere lumen*, vbi v. Heyne. Noster Fast. VI, 636. *inque coma flammeus arsit apex.* Ex Pont. IV, 9, 54. *Detque bonum voto lucidus omen apex.* Sic et Claudian. IV Cons. Honor. 200. Senec. Oedip. 310. *verticem* flammae tribuit.

280 *simulacra suae puellae*, simulatam suam puellam. Mox vnum post alterum vitae signum tactu percipit mirans Pygmalion. *tepere* de calore corporis humani. v. IX, 365. *Subsidit*, v. ad vs. 257.

285 Volebat dicere: digitisque cedit, sed hoc ita exornauit, *tractataque pollice multas flectitur in facies.* Cf. XV, 169. *Tractari* et *flecti* verba esse in hac re propria, docet Heins. *ipsoque fit vtilis vsu.* Sic statua, posito rigore, vtilis fiebat Pygmalioni. Paullo altius repetita posterior similitudinis pars.

287 Adfectus Pygmalionis, repentino laetitiae sensu perfusi, egregie notatus. *timide gaudet* praeclare de eo, cuius gaudium nondum certum satis est. Supra IX, 791. *Nec timida gaudete fide.* Sil. VI, 572. *follicite laeti. fallique veretur*, non credit tactui suo, itaque *rursus rursusque retractat*, non statuam, sed multo exquisitius, *sua vota. tractare* i. q. palpare, ψηλαφᾶν. *saliunt.* v. ad VI, 390.

Rurſus amans, rurſusque manu ſua vota retractat.
Corpus erat: ſaliunt tentatae pollice venae.
Tum vero Paphius pleniſſima concipit heros
Verba, quibus Veneri grates agat: oraque tandem
Ore ſuo non falſa premit: dataque oſcula virgo
Senſit, et erubuit, timidumque ad lumina lumen
Attollens, pariter cum coelo vidit amantem.
Coniugio, quod fecit, adeſt Dea. Iamque coactis
Cornibus in plenum nouies lunaribus orbem,
Illa Paphon genuit, de quo tenet inſula nomen.
Myrrha. Editus hac ille eſt, qui, ſi ſine prole fuiſſet,

288 Palat. et quatuor alii *retentat*, quod non displicet Burm. 293 Vnus Moreti et vnus Bonon. *ad limina.*

290 *Paphius heros*, vt iam Berſman obſeruauit, per prolepſin dictum; nam Paphus demum ex Pygmalione natus *pleniſſima verba* quae ſint, non intelligit Burm. qui praefert vnius Heinſiani Mſ. ſcripturam, *pleniſſima vota*, ſcil. vt fruatur et coëat cum imagine illa eburnea, iam femina facta. In quo ego ei non adſentior. Nam quid hoc eſt, *vota*, *quibus Veneri grates agat?* Votis enim ſusceptis non gratiae aguntur Diis. Et ſi licet *plena vota* dicere, etiam *plena verba* ferenda ſunt. Schirach. qui eam ob cauſſam iuſto acerbius vituperat Burm. putat, ſenſum eſſe elegantiſſimum, ſi intelligas verba perfecta et integra; verba, quae proferuntur integra voce et clara. Equidem intelligo plurima verba, quae ex pleniſſimo pectore promanant, et pleniſſimo ore proferuntur. Ea ſunt laetitiae ſummae ſignum. Sic in Nuce vſ. 92 et Pont. IV, 7, 17. *pleni fructus* ſunt plurimi. Atque etiam *ſ.* A. II, 322. *plena falce metere* ita accipio, vt Claudian. Ep. ad Seren. 41. *numeroſa falce*, plurimis falcibus metere. Male ibi Burm. mallet, *plena lance*; lance enim non metitur. Cic. Roſc. A. 2. *plena pecunia*, plurima, copioſa. — *non falſa.* v. ad vſ. 250.

293 Melius obſtupefactam virginem induxiſſet. *ad lumina*, ſcil. ſolis. Nam ſeq. *cum coelo vidit amantem.* Sic recte Burm. contra Heinſ. qui per *lumina* intelligebat feneſtras.

295 *Adeſt*, quia illa mox vterum fert. Cornua lunae *coguntur*, creſcunt in plenum orbem. *Paphos* non niſi vrbs Cypri, quam condidit vel hic Paphus, vel ſecundum Pauſan. Arcad. p. 607. Agapenor, cum, Ilio euerſo, claſſis Arcadum ibi appuliſſet, vel iuxta Apollod. III, 14, 3. Cinyras, Syriorum rex. Ibi templum Veneris celebratiſſimum. Tacit. Hiſt. II, 3.

FAB. VII. vſ. 298 — 502 *Myrrha*, Cinyrae filia, corpus iungit cum patre inſcio. Stupro nefando cognito cum pater filiam perſequeretur, illa in ſiluam fugit, vbi mutatur in arborem ſui nominis. Cf. Hygin. fab. 58. Anton. Lib. cap. 34. Apollod. III, 14, 4. Tzetzes in Lycophr. p. 60. Schol. Theocrit. ad Id. I, 107. Serv. ad Virg. Ecl. X, 18. et Aen. V, 72. Fulgent. Mythol. III, 8.

Inter felices Cinyras potuiſſet haberi.
Dira canam; natae procul hinc, procul eſte parentes:
Aut, mea ſi veſtras mulcebunt carmina mentes,
Deſit in hac mihi parte fides; nec credite factum:
Vel, ſi credetis, facti quoque credite poenam.
Si tamen admiſſum ſinit hoc Natura videri;
Gentibus Iſmariis, et noſtro gratulor orbi;
Gratulor huic terrae, quod abeſt regionibus illis,

300 Duo, *procul eſte ſorores.* 302 Octo, *ne credite.* Cantabr. *factis.* Heinſ. malebat, *facto.* 305 Abeſt hic vſ. a Florent. S. Marci, probante Burm.

Dubia omnia ſunt et incerta, quae Veteres et de parentibus et de patria Cinyrae tradunt. v. Munker. ad Anton. Lib. d. l. et Meurſius de Cypro II, 9. Thiante natum eum perhibent multi. Sandoci filium facit Apollod. Neque ex h. l. aliquid definiri poteſt. Nil omnes, *Editus et ille eſt*, quod Comtant tam mutauit in, *Editus hac ille eſt*, vt in vitae animatae et Pygmalionis filius fuiſſe dicatur. Sed Heinſ. malebat, *Editus hoc* (ſc. Paphо) *ille eſt*. Et *Paphi fatus* vr. ab Hygin. fab. 242. et 270. Aſſyriorum regem eum faciunt Hygin fab. 58. et 242. Apollod. d. l. Cyprium eum regem fuiſſe (ſic etiam Homer. Il. λ, 21. vbi Agamemnonem thorace donat), qui ditatam meretriculam, Venerem nomine, inter Deos retulerit, Venerique Cypriae arcana ſacra inſtituerit, quibus multos initiauerit, tradunt Clemens Alexandr. Protrept. p. 5. Arnob. adv. Gentes lib. IV. p. 143. et lib. V. p. 169. Firmicus de Errore profan. relig. p. 34. — Sed ſi Cinyras tempore belli Troiani vixit, vt Homeri auctoritate conſtat, non bene Orpheo dicendam hanc fab. Noſter dedit.

300 Exardeſcit animus Orphei atrocitate rei; hinc praemittit praefationem de nefando flagitio, quod narraturus eſt. *Dira*, amorem a Diis iratis immiſſum, a furiis iniectum v. vſ. 313. *procul hinc* etc. ex noto illo, ἔκας, ἔκας ἔσο βέβηλοι, quo profani arcentur ſacris, ſed h. l. caſtae animae filiarum atque patrum a ſceleris horrendi auditione. *mulcebunt*, verborum elegantia, et affectuum notatione, qua mirum in modum ſe commendat haec fab. tenebunt et delectabunt.

305 *Iſmariis*, Thracibus, ab *Iſmaro*, monte Thraciae. Burm. qui putat, haec ex ſua perſona dixiſſe Ouidium, mirum videtur, ita gratulari poëtam Thraciae, vbi modo vſ. 83 Orpheus docuerat, amorem in teneros transferre mares, quaſi paederaſtia minus ſcelus inceſto eſſet. Fuit ſane minus ſcelus ex opinione paederaſtarum, et omnino Graecorum; ſua enim cuique flagitia parui momenti eſſe videntur. *noſtro orbi*, parti orbis terrarum, quam nos incolimus. Male Rode, *vnſrer Flur. gratulari* hunc felicem praedicare, vt III A. 121. *tantum nefas*, tam nefariam mulierem. Ab impiis hominibus quam remotiſſimi eſſe cupimus.

Quae tántum genuere nefas. Sit dines amomo,
Cinnamaque, coſtumque ſuam, ſudataque ligno
Tura ferat, floresque alios Panchaïa tellus;
Dum ferat et Myrrham. Tanti noua non fuit arbos.
Ipſe negat nocuiſſe tibi ſua tela Cupido,
Myrrha; facesque ſuas a crimine vindicat iſto.

308 Alii, *ſuum.* v. Heinſ. 309 Quidam, *floresque varios.* Petitus, Comment. in lege Att. p. 248. corrigit. *Tura ferat (floresque alios) Panchaica, tellus Dum* etc. Cauſſa emend. uel e nota noſtra ad vſ. 473. Sed incommode, monente etiam Burm. inter *tura* et *Panchaia* interiiceretur, *floresque alios.*

307 Non inuideamus Arabiae ſuas opes, cum arborem ferat e tam ſceleſta muliere ortam. *Panchaea,* Arabiae regio. Voſſius ad Virg. G. II, 139. inſulam putat eſſe ſacram Euhemeri poëtae, eamque fabuloſam, in parte Arabiae orientali, quae omnis generis aromata mittere credita ſit. Cf. infra ad vſ. 476. *Dines Panchaia* etiam Tibull. III, 2, 23. *dines Arabs* IV, 2, 18. *Turiferis Panchaia pinguis arenis.* Virg. G. II 139. Et illae Arabum diuitiae (de quibus conf. Claudian. Nupt. Hon. 92 ſqq.) in prouerbium abierunt. Tam in Arabia, quam in Armenia et Media naſcebatur *amomum*, fruticis odorati et uuas ferentis genus. Plin. XII, 13. Sed deinde de omni aromate ſincero dictum docet Salmaſ. ad Solin. p. 284. *Cinnamum* non tulit Arabia, ſed ſecundum Plin. XII, 19 ab Aethiopibus (forte a Sinenſibus) importatum eſt. *Coſti* radix et folia eximio odore, hinc Indis in maximo pretio. Plin. XII, 12. *Tura* ſolis Sabaeis, Arabiae populo, conceſſa, ſudantia ex arboribus inciſis. Plin. XII, 14. Virg. G. II, 117. *flores,* plantas, frutices. Sed omnia illa bona ſuperat illud nefas. Non poterat acrius auerſari Myrrhae furorem. *Sit dines,* valeant diuitiae eius, non curamus eas. — In Arabia igitur mutata eſt Myrrha, et hinc etiam fugit vſ. 478. Itaque nec Aſſyriorum, nec Cypriorum rex eſſe potuit Cinyras. Glarean. ſuſpicatur, Cinyram Papho fratri Cypri imperio ceſſiſſe in Arabiam, vbi Myrrham genuerit. Sed cum neſciamus, quos auctores Ouid ſecutus ſit, nihil hic certo dici poteſt. In Libano monte eam natam eſſe, auctor eſt Anton. Lib.

311 Turpitudinem iſtius amoris oſtendit primum ex eius origine, tum per comparationem cum odio parentis, denique ex inſania virginis in ſpernendis procis. Non ille amor iniectus a Cupidine, ſed ad Furias referendus talis furor. Bene Cupidinem inducit ſe purgantem. Apud Hygin. et Lactant. in Argum. Venus immittit Myrrhae (forte Furiarum miniſterio) iſtum furorem, quod mater eius auſa eſſet ſe praeferre Deae. Eandemque opinionem etiam Noſter vſ. 524 ſecutus videtur. *Myrrha* ab aliis vr. *Smyrna.* Cauſſa eſt haec, quia arbor illa Graecis et *μύῤῥα* et *σμύρνα* dicta. Sed Latini maluerunt *myrrha* ſcribere v. Munker. ad Hygin. fab. 58 Grauis oppoſitio in *telis Cupidinis* et *ſtipite Stygio. tumidis,* ſcil veneno. *adflauit* non niſi de Echidnis dici poteſt, ſed more poëtarum

Stipite te Stygio, tumidisque adflauit Echidnis,
E tribus vna Soror. Scelus eſt odiſſe parentem:
Hic amor eſt odio maius ſcelus. Vndique lecti
Te cupiunt proceres; totoque Oriente iuuentus
Ad thalami certamen adeſt. Ex omnibus vnum
Elige, Myrrha, tibi; dum ne ſit in omnibus vnus.
Illa quidem ſentit, foedoque repugnat amori:
Et ſecum, Quo mente feror? quid molior? inquit.
Di, precor, et Pietas, ſacrataque iura parentum,
Hoc prohibete nefas, ſcelerique reſiſtite tanto;
Si tamen hoc ſcelus eſt. Sed enim damnare negatur
Hanc Venerem pietas: coëuntque animalia nullo
Cetera delectu. Nec habetur turpe iuuencae

313 Iun. et Bersm. Mſ. *de Stygio.* Reg. et Iun. *tumidis* ſine *que,* vt ſit, tumidis de ſtipite echidnis. male. 316 Caſp. Hofman. Varr. lect. III, 4. cor. *toroque Oronte,* i. Syriae parte, quam Orontes irrigat. Sed v. Burm. 318 Conſtant. Fan. delendum cenſebat, *ſit. In omnibus* pro *ex omnibus* dedit Micyllus. Heinſ. placebat, *virum, dum non ex omnibus, vnum.* 324 Olim edeb. *nullo delicto.* Heinſ. mallet, *dilectu,* ſine cauſſa; *deligere* enim et *diligere* eiusdem notionis ſunt. v. Burm.

vnum verb. duobus nominibus Noſter accommodauit. Stipite et adflatu Echidnae te vulnerauit, amorem tuum excitauit.

316 Tanto minus veniam merebatur Myrrha, cum facilis ei eſſet nubendi copia, atque maritum ſibi deligendi e maximo numero *lectorum,* praeſtantiſſimorum, *procerum,* iuuenum regiorum, qui eam *cupiebant,* ambiebant nuptiis, et *aderant ad thalami certamen,* praeſentes certabant, vt eam ſibi quisque coniugem vindicaret. *dum ne ſit in omnibus vnus,* vno patre ex omnibus excepto. Luſit voc. *vnus.*

319 *Sentit.* Senſum enim honeſti et turpis omnibus hominibus impreſſit Deus. Et is ſenſus etiam in ſeqq. mediis in furoribus Myrrhae ſubinde expergiſcitur.

320 Sequitur ſoliloquium, in quo mox affectus vincit, mox ſana ratio, vt ſupra IX, 473 ſqq. in fluctuatione Byblidis. Primum ſana ſatis eſt, et Deorum auxilium implorat. *Quo mente feror* bene de iis, qui ſentiunt ſe furioſa conſilia capere. *moliri* de omni conatu. *Pietas,* reuerentia parentibus debita, ſpectatur vt numen. *ſacrata,* ſacra, vt Virg. Aen. II, 157.

324 Ab animalibus brutis diſcere vult, quid homini liceat. Denn unter deiner Lüſte Bürde Sinkſt du von eines Menſchen Würde zur Niedrigkeit des Thiers herab. Sed nota in ſeqq. varietatem orationis, qua concubitus exprimitur. *nullo delectu,* ſine discrimine. v. Burm.

Ferre patrem tergo: fit equo sua filia coniux;
Quasque creauit, init pecudes, caper: ipsaque, cuius
Semine concepta est, ex illo concipit ales.
Felices, quibus ista licent! humana malignas
Cura dedit leges, et quod Natura remittit,
Inuida iura negant. Gentes tamen esse feruntur,
In quibus et nato genetrix, et nata parenti
Iungitur, et pietas geminato crescit amore.
Me miseram, quod non nasci mihi contigit illic,
Fortunaque loci laedor! Quid in ista reuoluor?
Spes interdictae, discedite. Dignus amari
Ille, sed vt pater, est. Ergo si filia magni
Non essem Cinyrae, Cinyrae concumbere possem.
Nunc quia tam meus est, non est meus; ipsaque damno
Est mihi proximitas. Aliena potentior essem.

328 *Semine* Sixti, *germine* vt IX, 280. 331 *tam meus* dedit ex Langerm. Heins. Vulg *iam m.*

329 *humana cura* pro homines, qui curam gerunt rerum vt I, 48. *cura Dei. malignas*, inuidas, quae inuident hominibus venerem concessam. *remittere*, concedere, veniam dare. *Gentes* tam efferatas et immanes vmquam fuisse credibile non est. Ingeniose tamen illum morem commendat, *pietas geminato crescit amore* — Potuisset etiam, vt supra Byblis, Deorum auctoritates commemorare. Iupiter enim et matri stuprum inferre voluit, et cum filia concubuit; sed recte illas omisit Noster in flagitio, cuius foeditatem omni modo auersatur.

335 *Fortuna loci laedor*, fortunam habeo aduersam, quod nata sum in iis locis, vbi tam malignae leges. *Fortuna loci* etiam inter Deas relata. I Fast. 209. Ea casus locorum regebat, eique fata sua, quorum causas non intelligebant, homines adscribebant. Supra IV, 565. Lucan. IV, 661. Ad eam igitur etiam natiuitatem suam refert Myrrha. *Laeditur fortuna is*, qui fortunam habet nouercam. IV ex Pont. VI, 39.

337 Ditissimus et potentissimus fuit Cinyras. A Suid in Κίνυρας vr. ζάπλατος. Fuit etiam prouerb. Κινύρα πλασιώτερος ap Apostol. Cent XI, 4. Pindar. Nem. VIII, 20 Ὅσσαις καὶ Κινύραν ἔβρισε πλάτῳ ποντίᾳ ἐν πότε Κύπρῳ. Tyrtaeus Carm. III, 6. Εἰ πλατοίη δὲ Μίδεω καὶ Κινυρέοιο πλέον. — *quia tam meus est* etc. Oxymori speciem habet, quia tam propinquus mihi est, propterea non possum ei nubere. Sed talia vix esse videntur desperantis animi. *proximitas* et alibi apud Nostrum occurrit. *Aliena*, si aliena, non filia essem IX, 326. *aliena sanguine vestro. potentior*, beatior, vt IV, 325. Schirach. explicat, potentior voti.

Ire libet procul hinc, patriosque relinquere fines,
Dum scelus effugiam. Retinet malus error amantem;
Vt praesens speciem Cinyram, tangamque, loquarque,
Osculaque admoueam, si nil conceditur vltra.
Vltra autem sperare aliquid potes, impia virgo?
Nec, quot confundas et iura et nomina, sentis?
Tune eris et matris pellex, et adultera patris?
Tune soror gnati, genetrixque vocabere fratris?
Nec metues atro crinitas angue Sorores,
Quas, facibus saeuis oculos atque ora petentes,
Noxia corda vident? At tu, dum corpore non es
Passa, nefas animo ne concipe: neue potentis
Concubitu vetito Naturae pollue foedus.
Velle puta; res ipsa vetat. Pius ille, memorque
Iuris: et o vellem similis furor esset in illo!
Dixerat: at Cinyras, quem copia digna procorum,
Quid faciat, dubitare facit, scitatur ab ipsa,
Nominibus dictis, cuius velit esse mariti.

341 *patriosque* ex Naugerii et vno Bon. dedit Heins. pro *patriaeque.* 342 Vulg *malus ardor* Quidam. *euntem.* 343 *Nec quot* Burd. Confiant. Fan Vulg. *Et quod* 347 Vnus Medic. *matri.* Tunc Burm. malit *et patri* et mox, *gnato* et *fratri* quam formam loquendi exemplis comprobat. 349 Quidam, *sacro crin. angue*, probante Viuiano Burm. legeret potius cum Iunii et Sproti Codd. *metuas.* 350 Iunius. *quam*, vt esset exclamatio. 354 Vulg *memorque Moris.* 356 Oxon. et vnus Heins. *copia magna*, ex interpret.

341 Propert. III, 20, 9. *Vnum erit auxilium: mutatis, Cynthia, terris, Quantum oculis, animo tam procul ibit Amor.*

342 *Errorem* apud poetas de insano amore dici, docet Heins. Trist. I, 2, 99. *si me malus abstulit error*

346 Illa nominum confusio vel maxime docet, Naturam auersari talem concubitum.

349 *crinitas angue*, anguibus, dictum vt vs. 21. *villosa colubris.*

352 *nefas, concipe*, v. ad vs. 404. — *foedus*, leges, quas liberis et parentibus praescribit Natura. *Potens*, quae multum valet, quae potest leges praescribere, quas nemini violare licet. Etiam Horat. II Sat. I, 51. *Imperet hoc natura potens*, et Noster IX, 757. in simillima re, *At non vult Natura, potentior omnibus istis.* Vulg. *parentis Nat.* nunc vix loc. habet. Nec placet coni. Burm. *patentis*, quam ipse sic explicat: „Natura patet satis late, et vt ex omnibus eligas, permittit, dummodo a patris vetito concubitu te contineas."

356 Sequitur loc. suauissime scriptus et plenus tenerrimo affectu. *digna*, magna. Virg. G. I, 507. *dignus honor*, magnus. *cu-*

Illa filet primo, patriisque in vultibus haerens,
Aestuat, et tepido suffundit lumina rore.
Virginei Cinyras haec credens esse timoris,
Flere vetat, siccatque genas, atque oscula iungit.
Myrrha datis nimium gaudet: consultaque, qualem
Optet habere virum; Similem tibi, dixit. At ille
Non intellectam vocem collaudat; et, Esto
Tam pia semper, ait. Pietatis nomine dicto,
Demisit vultus, sceleris sibi conscia, virgo.
Noctis erat medium, curasque, et corpora somnus
Soluerat. At virgo Cinyreïa peruigil igni
Carpitur indomito, furiosaque vota retractat.
Et modo desperat; modo vult tentare: pudetque,
Et cupit; et, quod agat, non inuenit. Vtque securi
Saucia trabs ingens, vbi plaga nouissima restat,

359 Multi, *primoque patris in vultibus.* 369 Vulg. *igne.* 371 Duo, *vult captare.* 372 *Quod agat* pro, *quid agat*, ex Iuniano dedit Heins.

ius mariti, deest coniux, more Graecorum. Sic III, 283. *esse Iouis.*

361 Parum refert, vtrum *timoris* an cum multis Mss. *pudoris* legas; ambae enim illae affectiones animi coniunctae fere esse solent. v. Plato Euthyphr. p. 26. ed. Fisch.

364 Callide se expedit Myrrha, fere vt vs. 275. Pygmalion.

368 *Somnus soluit*, relaxat, *corpora*, membra corporis antea intenta, (v. ad VII, 185.) idemque *soluit curas*, facit, vt homines liberentur curis. Passim occurrit, *curis solutus* et *exsolutus*, vid. Schwarzius ad Plin. paneg. 79. *Soluere* igitur nunc in dilogia positum. Similiter Tibul. III, 3, 21. *mentes hominum curaeque leuantur. Indomito*, ἀδαμάστῳ, ardentissimo. *Indomitus amor* II Trist. 585. *indomitae irae* supra V, 41. *retractat*, repetit secum, vt IV, 568.

373 Similitudinem expressam esse e Virg. Aen. II, 626. putat Burm. Cf. supra VIII, 472. vbi fluctuatio animi alia, eademque suauissima imagine illustratur. *trabs*, arbor. Statius VI, 91. *iliceae trabes*, ilices. *vario vulnere*, vario affectu et motu. Bene autem motus illos vocat vulnera, quia in similitudine trabs *fauciatur plagis*. Etiam *labefactus* sic bene translatum ad animum. *leuis*, parum sibi constans, *nutat huc atque illuc*, mox furori suo indulget, mox sanae rationi obtemperare vult. *Cum in dubio est animus, paruo momento huc illuc impellitur.* Terent. Andr. I, 5, 32. *momentaque sumit vtroque*, nunc in hanc partem inclinat, nunc in illam, librae instar ancipitis, vnde ducta metaph. Tibul. IV, 1, 41. *Iusta pari premitur veluti cum pondere libra* etc. *Sumere momenta* fere vt Flor. IV, 12, 54. *sumere impetus.* Supra

Quo cadat, in dubio est, omnique a parte timetur:
Sic animus vario labefactus vulnere nutat
Huc leuis, atque illuc; momentaque sumit vtroque.
Nec modus aut requies, nisi mors, reperitur amoris.
Mors placet. Erigitur, laqueoque innectere fauces
Destinat: et, zona summo de poste reuincta,
Care vale, inquit, Myrra, caussam te intellige mortis.
Dixit: et aptabat pallenti vincula collo.
Murmura verborum fidas nutricis ad aures
Peruenisse ferunt, limen seruantis alumnae.
Surgit anus, reseratque fores: mortisque paratae
Instrumenta videns, spatio conclamat eodem,
Seque ferit, scinditque sinus, ereptaque collo
Vincula dilaniat. Tum denique flere vacauit;
Tum dare complexus, laqueique requirere caussam.
Muta filet virgo, terramque immota tuetur;

374 Vnus Moreti, *omnique a parte minatur*, quae lect. valde placet Burm. 376 Quidam, *vtrimque*. 377 Heins. malebat, *amori*. 381 Heins. coni *vt aptabat*. 383 Heins. coni. *alumnum*, atque etiam mox vs. 415. *alumnos*. 384 Medic. et 5 alii *parantem* Gronov. et Medic. *parata*. Basil. *et mortis apertae.*

VII, 79 *adsumere alimenta a ventis.* — *Modus* vel finis, vt Horat. I od. 6, 7. *sit modus lasso maris*, vel moderatio. Senec. Controv. 20. *Facilius in amore finem impetres, quam modum.* Apud Terent. Eun. I, 1, 12. Parmeno negat, amorem admittere *modum. Destinat*, constituit, vt saepissime apud Plin. in Epistolis.

380 Cum Myrrha caussam mortis nemini fassa esset, pater, filia exstincta, illam caussam intelligere non poterat. Praestat igitur haud dubie vnius Medic. et Arondeliani lectio, *caussam te intellige mei*, scito, te esse caussam mortis, vulgatae *caussamque int.* Illam igitur recepi. *pallenti*, mortis cogitatione.

382 sqq. Cf. Virg. Cir. 223 sqq. *Fides*, virtus prima nutricum. *limen seruantis alumnae*, custodiae caussa cubantis iuxta cubiculum alumnae *seruare* passim pro obseruare, custodire.

385 *Instrumenta*, laqueum. *paratae*, quam ipsa sibi parabat, aut ad quam instrumenta parauerat. *parare mortem*, vt *parare vim, fugam* etc. Cum cunctationi locus non esset, omnia facit *spatio eodem.* Et vt multitudo rerum simul peractarum facilius sentiatur, ter repetitur *que. dilaniat*, rumpit. *Tum denique*, cum opem tulisset, seque a summa animi perturbatione collegisset. *Non vacat flere* adhibetur tum, cum res non lacrymas poscit, sed actionem, fortitudinem, auxilium etc. IV, 694. *laquei*, scil. collo iniecti.

389 *Muta filet* dictum vt *muta silentia* vs. 53 et IV, 433. vbi v. not. *tuetur*, intuetur. *tardae* referri proprie debuisset ad *conamina.*

Et deprenſa dolet tardae conamina mortis.
Inſtat anus; canosque ſuos, et inania nudans
Vbera, per cunas alimentaque prima precatur,
Vt ſibi committat, quidquid dolet. Illa rogantem
Auerſata gemit. Certa eſt exquirere nutrix:
Nec ſolam ſpondere fidem. Dic, inquit, opemque
Me ſine ferre tibi: non eſt mea pigra ſenectus.
Seu furor eſt; habeo quae carmine ſanet, et herbis.
Siue aliquis nocuit; magico luſtrabere ritu.
Siue eſt ira Deûm; ſacris placabilis ira
Quid rear vlterius? certe fortuna domusque
Soſpes, et in curſu eſt: viuunt genetrixque, paterque.
Myrrha, patre audito, ſuſpiria duxit ab imo

392 Schepp. non placet *ad cunas*, corrigit ergo *canos*. 393 Multi, *roganti Aduerſata*. 393 Arond. et Langerm. *luſtrabere cantu*, quod non diſplicet Burm. qui laudat e Valer. Flac. III, 418. *luſtrificus cantus*, VII, 351. *magicum carmen* et VII, 385. *magicus ſonus*. 399 Sic habet Florent. S. Marci, vnde Heinſ. recepit. Vulg. *placabimus iram* 401 Olim edeb. *ſoſpes ab incurſu eſt*. Sed Heinſ. e Berneg. Spir. et Florent. S. M. a manu ſec. recepit *et in curſu eſt*. Idem pro *certe* olim etiam maluerat, *terrae*.

391 Olim alumnae nudauerat plena lactis vbera, nunc *inania*. Sollemnis autem haec nutricum et matrum obteſtatio. v. Hom. Il. χ, 80 ſqq. Senec. Hipp. 246. et Herc. Oet. 925.

393 *rogantem auerſata*, nil reſpondens roganti, quod ſignum eſt contemtus et auerſationis. *Certa eſt*, vt IX, 43. *certi non cedere*.

394 Nota in ſeqq. operam et ſedulitatem nutricis, qua rem exquirit. Poſt *ſpondere fidem* debebat ſequi, ſed opem etiam ferre. Verum mutauit orationem et nutricem ipſam loquentem induxit. Seqq. de furore, quem philtra excitant, accipienda. Noſter A. A. II, 106. *Philtra nocent animis, vimque furoris habent*. Cf. Iuuenal. Sat. V, 609 ſqq. Talis furor ſanari etiam ſolebat *magico ritu* ſ. magicis artibus, quas commemorat Plin. XXXII, 10. In iis *herbae* potiſſimum et *carmina*, quibus etiam *nocebatur*. Propert. III, 4, 25. *Non me moribus, ſed herbis improba vicit*. et 8, 23. *Quid queror, heu, miſero carmen nocuiſſe? quid herbas? — Habeo* magam, *quae* etc. *Luſtratio* fiebat etiam ad depellenda mala, vt morbos etc. Tibul. I, 5, 11.

400 *rear*, coniiciam. Calamitates tibi tuaeque domo inflictae nullae ſunt. *In curſu eſt*, proſpere tibi tuisque omnia cedunt. Paſſim apud Noſtrum *dolor*, *furor*, *ſpes* etc. drr. *in curſu eſſe*. vid. Heinſ. Alibi *concipere nefas* eſt vel excogitare nefas, vel excogitatum committere. Sic Cic. Cat. II, 4. *concipere ſcelus*. Tuſc. I, 30. *concipere fraudes*. Horat. II od. 13. *quidquid concipitur nefas*. Sed h. l. *concipere mente* nil aliud niſi, ſuſpicari.

Pectore. Nec nutrix etiamnum concipit vllum
Mente nefas: aliquemque tamen praeſentit amorem:
Propoſitique tenax, quodcumque ſit, orat, vt ipſi
Indicet, et gremio lacrimantem tollit anili.
Atque ita complectens infirmis membra lacertis,
Senſimus, inquit; amas: et in hoc mea (pone timorem)
Sedulitas erit apta tibi: nec ſentiet vmquam
Hoc pater. Exſiluit gremio furibunda, torumque
Ore premens, Diſcede, precor, miſeroque pudori
Parce, ait. Inſtanti, Diſcede, aut deſine, dixit,
Quaerere, quid doleam. Scelus eſt, quod ſcire laboras.
Horret anus; tremulasque manus annisque metuque
Tendit, et ante pedes ſupplex procumbit alumnae:
Et modo blanditur; modo, ſi non conſcia fiat,
Terret, et indicium laquei, coeptaeque minatur
Mortis: et officium commiſſo ſpondet amori.
Extulit illa caput, lacrimisque impleuit obortis
Pectora nutricis: conataque ſaepe fateri,
Saepe tenet vocem: pudibundaque veſtibus ora
Texit: et, O, dixit, felicem coniuge matrem!
Hactenus: et gemuit. Gelidos nutricis in artus,
Oſſaque (ſenſit enim) penetrat tremor: albaque toto
Vertice canities rigidis ſtetit hirta capillis:
Multaque, vt excuteret diros, ſi poſſet, amores,
Addidit. At virgo ſcit ſe non falſa moneri:
Certa mori tamen eſt, ſi non potiatur amato.

407 Pro *membra* vnus Med. *nata*, quod venuſtum videbatur Heinſ. quia *natae* alumnae vocabantur a nutricibus, et illae viciſſim ab alumnis matres. Recepit vero *colla* e ſec. Palat. 410 *Exſiluit* vetuſtiores Mſſ. exhibent, *exſiliit* recentiores. 418 Nonnulli, *at officium*. 428 Vulg. *potiatur amore*. Alterum habet fragm. Caeſenas, prim. Gronov. et duodecim alii.

410 — 12 Et geſtibus et verbis praeclare expreſſit furorem.

422 *O, dixit* etc. Laudat haec verba, et inter emphaſes, cum ex aliquo dicto latens aliquid eruitur, refert Quinctil. Inſt. Or. IX, 2, 64. Nempe rerum turpium confeſſionem ambiguis verbis et obſcuris edere ſolent homines.

424 *Senſit*, intellexit vim illorum verborum. Nimis cumulatis verbis exornauit illud, ſteterunt comae. *canities — capillis*, i. cani capilli ſteterunt rigidi et hirti. *diros*. v. ad vſ. 300.

Viue, ait haec; potiere tuo. Non auſa, parente,
Dicere, conticuit: promiſſaque numine firmat.
Feſta piae Cereris celebrabant annua matres
Illa, quibus niuea velatae corpora veſte
Primitias frugum dant, ſpicea ſerta, ſuarum:
Perque nouem noctes Venerem, tactusque viriles
In vetitis numerant. Turba Cenchreis in illa
Regis abeſt coniux, arcanaque ſacra frequentat.
Ergo legitima vacuus dum coniuge lectus,
Nacta grauem vino Cinyram male ſedula nutrix,
Nomine mentito, veros exponit amores,

432 Burm. mallet cum Genev. *velatae tempora vitta.* 434 Vulg. *tactusque virorum.* 435 Vulg. *Cinyreis.* Sed v. Heinſ. 436 Vulg. *adeſt.* Quidam, *turbam in illam abit.* 439 Baſil. *nomine mutato.*

430 *promiſſa numine firmat* breuiter et ſatis eleganter mihi dictum videtur pro, per numen iurans. Burm. vero prioris Gronov. Mſ. lectionem praefert: *Dicere; iurato promiſſaque numine firmat.* Cauſa hoc praeferendi fuit haec, quia *iurare numen* pro, *iurare per numen* recte dr. v. Drakenb. ad Sil. VIII, 105.

431 In honorem Cereris Θεσμοφόρα ſ. legiferae, *annua* ſacra a multis Graeciae ciuitatibus, maxima autem religione ab Athenienſibus, celebrabantur. Thesmophoria inde dicta. Eaque ſacra ſine dubio et h. l. intelligenda ſunt. Agebantur enim non niſi a feminis ingenuis inde a die 14 menſis Pyanepſionis, (qui erat menſium autumnalium primus) per quinque dies. Mulieres illae velatae erant *veſtibus niueis*, in ſignum integritatis ſanctitatis, et cum per quinque illas noctes, tum per quatuor proxime praecedentes, et a *Venere* abſtinere, et ſummae modeſtiae operam dare debebant. Hinc *piae matres; piae* enim, quae Deorum ſacra rite colunt. v. Meurſii Graec. feriatam in Θεσμοφόρια. Burm. tamen putat, in animo habuiſſe poëtam feſtum Cereri ſacrum, quod in Oriente celebratum ſit; (At iſtius feſti nulla exſtat memoria) nam in Thesmophoriis tres modo noctes pure ſe habuiſſe matronas, (quod eſt falſum. v. Potteri Archaeol. Graec. To. I. p. 883. ed. Ramb.) neque ſe de primitiis oblatis quidquam reperiſſe. Negari ſane non poteſt, primitias non tam in Thesmophoriis, quam in Θαλυσίοις potius, oblata Cereri et Baccho, ſed Noſter non ſemel confudit diverſa. *tactus viriles*, concubitus cum maritis.

435 *Cenchreis* etiam ſecundum Hygin. fuit Cinyrae vxor.

438 *Nacta grauem* etc. Hygin. fab. 164. Myrrha ipſa patrem inebriat. *vacuus lectus*, cum alter coniugum ſacrorum cauſſa ſeorſim ſecubat, eſt etiam Amorr. III, 10, 2. et Epiced. Tibul. vſ. 33. *Viduum cubile* Amorr. II, 10, 17. *Deſertus lectus* Heroidd. I, 7. Et qui ſolus cubat, *viduas exigit noctes* ibid. XIX, 69.

Et faciem laudat. Quaeſitis virginis annis,
Par, ait, eſt Myrrhae. Quam poſtquam adducere iuſſa eſt,
Vtque domum rediit, Gaude mea, dixit, alumna:
Vicimus. Infelix non toto pectore ſentit
Laetitiam virgo; praeſagaque pectora moerent.
Sed tamen et gaudet: tanta eſt diſcordia mentis!
Tempus erat, quo cuncta ſilent, interque Triones
Flexerat obliquo plauſtrum temone Bootes.
Ad facinus venit illa ſuum. Fugit aurea coelo
Luna: tegunt nigrae latitantia ſidera nubes:

443 Vulg. *toto pectore*, quod ſpreuit Heinſ. quia *pectora* mox legg. 445 Sec. Medic. et alii, *gaudent.* Vnus, *Flet tamen et gaudet.* Heinſ. coni. *Flens tamen et g.* et mox, *menti.* 446 Florent. S. M. *Trionem.* V. ad I, 64.

441 *adducere.* Lenones et lenae alibi et proprie meretrices ſtupri cauſſa drr. ad aliquem *deducere* (Cic. Verr. III, 34) et *perducere.* Verr. V, 12. Hinc Verr. I, 12. *perductores* ſunt lenones. v. Graeuium ad Sueton. Caeſ. 49. et Erneſti Clav. Cic. ſ. his vocc.

443 *Vicimus*, formula exſultantis propter ſpem certam.

447 De *Boote* eiusque *plauſtro* v. ad II, 176. Is vbi media nocte culmen coeli attigit, et inde vergere incipit, *flectit plauſtrum*, quod tunc *obliquum temonem* habet. Lucan. II, 237. *Parrhaſis obliquos Helice cum verteret axes.* Infra XI, 257. *inclinato temone.* Contra equi ſolis ſurgunt *elato temone* ap. Claudian. Olybr. Conſ. 4. Iam antiquiſſimi poëtae a ſiderum ſeptemtrionalium culminatione mediam noctem deſignarunt. v. Heynii Excurſ. II. ad Aen. II. et Brouckh. ad Propert. I eleg. 16, 23.

448 ſqq. Egregie haec finxit rei turpitudinis declarandae cauſſa. Luna et ſidera ſe abſcondebant, ne offenderentur adſpectu tam neſarii ſacinoris, et vt res tam atrox in denſiſſimis tenebris perpetraretur. *Fugit coelo*, tegitur nubibus, vt non cernatur, vt fugiſſe videatur. Virg. G. I, 441. *ſol conditus in nubem medio refugit orbe. ſuo*, nocti proprio et vſitato. Sic Virg. G. IV, 190. de apibus, *ſopor ſuus.* Commode etiam *Icarum* prae pudore ſe abſcondentem inducit, cuius filiae *Erigone* pia ſatis in patrem fuerat. Nempe *Icaro* (quem alii Icarium appellant. v. Munker. ad Hygin. fab. 130.) a paſtoribus Atticis, quos ebrios fecerat, interfecto, Erigone adeo doluit patris mortem, vt ſuper corpus eius in arbore ſuſpendio vitam finiret. Deorum voluntate ambo inter ſidera relati ſunt. Erigone ſignum Virginis, Icarus Bootes in ſideribus eſt dictus. Hygin. d. l. et P. A. II, 4. et ab eodem fab 254. Erigone inter mulieres piiſſimas refertur. Cf. Tibul. IV, 1, 9 ſqq. *ſacrata*, inter ſidera relata. v. ad IX, 88. *pio amore*, propter pium amorem.

Nox caret igne suo. Primos tegis, Icare, vultus;
Erigoneque pio sacrata parentis amore.
Ter pedis offensi signo est reuocata: ter omen
Funereus bubo letali carmine fecit.
It tamen: et tenebrae minuunt, noxque atra pudorem.
Nutricisque manum laeua tenet; altera motu
Caecum iter explorat. Thalami iam limina tangit;
Iamque fores aperit; iam ducitur intus. At illi
Poplite succiduo genua intremuere: fugitque
Et color, et sanguis, animusque relinquit euntem.
Quoque suo propior sceleri, magis horret, et ausi
Poenitet, et vellet non cognita posse reuerti.
Cunctantem longaeua manu deducit: et alto
Admotam lecto cum traderet, Accipe, dixit;
Ilia tua est, Cinyra: deuotaque corpora iunxit.

450 Vulg. *primus.* 453 Thuan. *carmine dixit.* 454 Heins. coni. *vt tenebrae minuunt* Med. Goth. *et tenebris minuit nox atra pudorem.* 455 Nouem, *altera tactu.* 458 Fragm. Laelen. *tremuere.*

452 Neque infaustis ominibus, iisque ter repetitis, a conatu suo deterreri potuit. *Offensio pedis in limine* maxime siniſtrum *signum*, i. omen, apud Veteres v. Tibul. I, 3. 19, et Noster I Trist. 3, 55. Amorr. I, 12, 4. Tertium demum omen priora firmabat. Heroid. IV, 7 sq. Hinc etiam superstitiosi ter sortilegorum sortes tollere solebant Tibul. I, 3, 11. De *bubone* v. ad V, 543. Noſtris dr der Schuhu, essque e genere strigum, de quibus ad VII, 269. diximus. *carmen letale*, cantus lugubris malum exitum praesagiens. *minuunt pudorem*, quia non verendum erat, vt animaduerteretur a quopiam.

455 Loc. seq. ingenioſe scriptus, ita vt virginem palpantem in tenebris et cum tremore accedentem ad patris lectum veluti oculis cernamus. Egregie, *motu* dextrae *caecum iter explorat. Caecum iter*, via, qua incedebat in tenebris, quam cernere adeo nequibat. Hanc *motu* dextrae *explorat*, palpat manu, an obstet aliquid, quo offendatur. Expressit autem Tibul. II, 1, 76 sqq. *Ad iuuenem tenebris sola puella venit, Et pedibus praetentat iter, suspensa timore. Explorat caecas cui manus ante vias.* Virg. Mor. 6. *Sollicitaque manu tenebras explorat.* Cf. et Cir. 209 sqq. Mox singulas eius actiones recensét, *limina tangit* etc. Iis, quibus animus liquitur, aut qui tremunt, suaui imagine tribuitur *poples succiduus*, i. labans. *poples defectus*, i. deficiens, XIII, 477.

462 Nutrix, quoniam videbat, si virgo frustra esset reuersa, mox rediturum furorem, ipsa cunctantem deducit. *altus* erat lectus magnificentiae causſa. *iunxit*, fecit, vt iungerentur.

Accipit obscaeno genitor sua viscera lecto;
Virgineosque metus leuat, hortaturque timentem.
Forsitan aetatis quoque nomine, Filia, dicat:
Dicat et illa, Pater; sceleri ne nomina desint.
Plena patris thalamis excedit: et impia diro
Semina fert vtero, conceptaque crimina portat.
Postera nox facinus geminat: nec finis in illa est.
Cum tandem Cinyras, auidus cognoscere amantem
Post tot concubitus, illato lumine vidit
Et scelus, et natam, verbisque dolore retentis,
Pendenti nitidum vagina deripit ensem.
Myrrha fugit, tenebris et caecae munere noctis
Intercepta neci: latosque vagata per agros,
Palmiferos Arabas, Panchaeaque rura relinquit.
Perque nouem errauit redeuntis cornua Lunae;
Cum tandem terra requieuit fessa Sabaea.
Vixque vteri portabat onus. Tum nescia voti,
Atque inter mortisque metus, et taedia vitae,
Est tales exorsa preces: O, si qua patetis
Numina confessis: merui, nec triste recuso

469 Tert. Bonon. *thalamos.* Octo, *discedit.* 470 Reg. et Iun. *conceptaque semina.* Burm. coni. *Crimina fert vtero, conceptaque semina portat* 473 Quatuo, *allato* Sed *inferre lumen* plurimis pro vulg. vid Burm. 475 Tert. *liberat ensem*, vt VI, 551. et II Fast. 793. 479 Septem, *radiantis Lunae.*

465 *obscaenus*, in quo res obscena agitur *viscera*. Tibul. I, 6, 66. *nata sanguis est tuus.*

468 *sceleri ne nom. desint*, vt ipsi nominibus vtantur, quibus scelus indicetur. *plena patris*, plena feminis paterni *concepta crimina*, foetum per crimen conceptum. III, 268. *manifesta crimina pleno fert vtero.*

476 *munere*, beneficio, ope. *intercepta* melius, quam, erepta. v. ad VIII, 291. *Panchaea* etc. Si, relicta Panchaea, nouem menses errauit, et tandem inter *Sabaeos* requieuit, quo modo supra vs. 309 Panchaea dici potuit hanc arborem protulisse? Nonnulli veterum *Panchaeam* faciebant *Sabaeae* (hodie Yemen) partem Ita dicendum esset, Myrrham post longos errores rediisse in patriam. Glarean. ad sup. loc. monet, in fabulis, tot diuersis modis proditis, frustra exactam temporis et locorum rationem quaeri. Petitus illum loc. mutatum volebat. v ibi Varr. lectt. *redire* passim de sole, luna, sideribus, anno, die. v. Heins. et Burm.

481 *nescia voti*, nesciens, quid optet. *Patere* eleganter drr. qui alios facile exaudiunt, metaphora petita a locis, ad quae facilis est accessus.

Supplicium. Sed, ne violem viuosque superstes,
Mortuaque exstinctos, ambobus pellite regnis:
Mutataeque mihi vitamque necemque negate.
Numen confessis aliquod patet. Vltima certe
Vota suos habuere Deos: nam crura loquentis
Terra superuenit: raptosque obliqua per vngues
Porrigitur radix, longi firmamina trunci:
Ossaque robur agunt: mediaque manente medulla,
Sanguis it in succos, in magnos brachia ramos,
In paruos digiti: duratur cortice pellis.
Iamque grauem crescens vterum perstrinxerat arbor,
Pectoraque obruerat, collumque operire parabat.
Non tulit illa moram: venientique obuia ligno
Subsedit, mersitque suos in cortice vultus.
Quae, quamquam amisit veteres cum corpore sensus,

487 In Medic. abest totus versus. 489 Quinque, *plura loquenti.* Leidens. *non plura loquentis*, quod probat Burm. si *loquenti* legas; ita enim *plura loqui* Nostrum passim dixisse, vt I, 525. II, 658. et alibi. 494 Prior Gron. *curuatur.* Si voci sua constaret auctoritas, Heins. legerei, *rugatur*, vt p. illum *rugosus cortex.* 495 Vulg. *praecinxerat.* Alii, *praestrinxerat*, aut *constrinxerat.* 496 Heins. suadet, *Pectora obsuerat*, i. occluserat, operuerat, de quo v. ipse ad II Fast. 578. expoluerit. *Obruit* enim *cortice* paullo durius dictum. Burm. dubitat, an *obsuere* hoc sensu Ouid scribere potuerit. Si quid mutandum, mallet, *induerat.* 499 Duo, *de corpore.* Quatuor, *in corpore.*

486 *ambobus regnis*, viuorum scil. et mortuorum, nec viuere me sinite, nec mori. Etiam ap. Anton. Lib. εὔχεται μήτε παρὰ ζῶσι, μήτ' ἐν νεκροῖς φανῆναι.

489 *suos*, propitios, *habuere Deos*, exaudita sunt a Diis. Sic et IV, 373. pro quo IV, 164. *Vota tetigere Deos.* Tibul. III, 3, 28. *non meus Deus* est inimicus, iratus. Virg. Aen. II, 396. *haud numine nostro*, nobis non propitio. Cic. Quint. 7. *Alphenus vtebatur populo suo*, sibi propitio. Ernesti Clav. Cic. putat e ludis gladiatoriis hoc sumtum. — *Crura terra superuenit*, terra repente retinuit et alligauit pedes. Cf. cum seqq. similes puellarum in arbores mutationes I, 548—52. II, 347—65. IX, 351—93. vnde intelliges, etiam in simillimis rebus suauiter variare foecundum Ouidii ingenium. *firmamina*, qua continentur trunci, vt loquitur Cic. N. D. II, 47. *firmamen*, pro firmamentum, fulcrum, quia Noster amat nomina in *amen* desinentia. *obliqua, porrigitur, longi* pingunt.

492 *robur agunt*, in lignum robustum, durum mutantur.

494 *duratur cortice*, in durum corticem mutatur. *obruerat*, non debebat tentari. *obruere*, tegere, condere, sepelire.

497 Eleganter, *veniens lignum*, et ingeniose, *obuia subsedit*, subsedit, vt obuia veniret venienti ligno, morae impatiens.

Flet tamen, et tepidae manant ex arbore guttae.
Est honor et lacrimis: stillataque cortice Myrrha
Nomen herile tenet, nullique tacebitur aeuo.
At male conceptus sub robore creuerat infans, *Adonis.*
Quaerebatque viam, qua se, genetrice relicta,
Exsereret. Media grauidus tumet arbore venter.
Tendit onus matrem: nec habent sua verba dolores:
Nec Lucina potest parientis voce vocari.
Nitenti tamen est similis, curuataque crebros

502 *nullique* ex vno Strozzae dedit Heins. pro, *nulloque.* 505 Variant Mss. *eximeret, exiret, exueret, extraheret.* 506 Neap. Stroz. Ba. *onus ventrem.* In fine versus Aldd. *labores.* 507 Quidam *voce rogari*, vt vs. 3. Duo, *parientis ab ore.* Vnus, *more vocari.* 508 Florent. S. M. pro div. lect. *spissos Dat gem* quod exemplis ab h. l. alienis illustrare vult Heins.

500 Etiam Lucret. I, 350. *flere* de succis destillantibus dixit, *uberibus flent omnia guttis. Myrrha* frutex in multis Arabiae locis nascitur, ex quo inciso guttae manant, quae in odoratissimis et pretiosissimis vnguentis habentur. Plin. XII, 15 s. Dioscor. I, 64. et 69. Noster A. A. I, 287. *Illius et lacrimis, quas arbore fundit odora, Vnguimur; et dominae nomina gutta tenet.* — Caeterum Fulgent. Mythol. III, 8. fabulam ita interpretatur: *Myrrha genus est arboris, de qua succus ipse exsudat: haec patrem amasse dicitur. Illae enim arbores in India sunt, quae Solis caloribus crementantur,* (Munker. legit, *crenantur*, i. inciduntur; *crena* enim, χρήνη, incisura.) *Et quia patrem omnium rerum solem esse dicebant, cuius opitulatu cuncta germinum adolescit maturitas, ideo et patrem amasse dicitur: dumque grandioris iam fuerit roboris, Solis ardoribus crepans, rhagades* (fissuras) *efficit, per quas succum desudat, quod myrrha dicitur: et redolentibus lacrymosa guttulis, fletus suaues scissuris hiantibus iaculatur. Vnde et Adonem genuisse fertur.*

FAB. VIII. vs. 503 — fin. *Adonis*, ex hoc incesto concubitu natus, propter pulchritudinem amatur a Venere, quae eum a saevarum ferarum venatione deterret, in primis exemplo Hippomenis et Atalantae, quorum fata vs. 560 — 707. copiose narrantur. Adonis cum his monitis non moveretur, ab apro percussus perit, sed a Venere mutatur in florem purpureum. Apollod. III, 14. 4. Tzetzes in Lycophr. p. 133 Hygin. fabb. 248. 271. Eundem mythum Hesiod. et Panyasis, ab Apollod. laudati, retulerant. Ille Adonin Phoenicis et Alphesiboeae, hic Thiantis, Assyriorum regis, filium fecerat.

503 *male*, nefario concubitu. Sed. partus prodigiosus. Sed et Apollod. δεκαμηνιαίῳ δὲ ὕστερον χρόνῳ, τὰ εἴνδοξα μαγέντος, γενηθῆναι τὸν λεγόμενον Ἄδωνιν.

504—9 Viuidis coloribus mu-

Dat gemitus arbor, lacrimisque cadentibus humet.
Conſtitit ad ramos mitis Lucina dolentes,
Admouitque manus, et verba puerpera dixit.
Arbor agit rimas, et fiſſa cortice viuum
Reddit onus, vagitque puer: quem mollibus herbis
Naïdes impoſitum lacrimis vnxere parentis.
Laudaret faciem liuor quoque. Qualia namque
Corpora nudorum tabula pinguntur Amorum,
Talis erat: ſed, ne faciat diſcrimina cultus,
Aut huic adde leues, aut illis deme pharetras.
Labitur occulte, fallitque volatilis aetas;
Et nihil eſt annis velocius. Ille ſorore

510 Multi, *dolentis*. 512 Plerique, *fiſſo*. Sed v. Heinſ. ad IV, 375. 516 Quintus Palat. *ſcribuntur*. Vnus Heinſ. *pangun-tur*. 517 Vnus Leid. *faciant*. 519 Sex, *volubilis*.

lier parturiens deſcribitur. *Tendit*, extendit. Amorr. II, 13, 20. *latens corpora tendit onus*. Alia loca collegit Burm. Arbor illa nec *ventrem*, nec *dolores* habere poterat, quia vſ. 499. cum corpore ſenſus amiſiſſe dr. Rectius lacrimantem fingere potuit propter vſ. 500. *Voce vocari*. v. ad vſ. 3.

510 Apud Hygin. fab. 164. et Fulgent III, 8. pater gladio ferit arborem, et ſic prodit Adonis. Ap. Anton. mater abortum facit, et Thias pater ſe interficit. *mitis*, quia ſua ſponte, non vocata, adeſt laboranti. Alibi *lenis* Lucina. *ad ramos*, ad arborem. *puerpera*, quae adiuuant puerperium. Contra IX, 301. carminibus partus Alcmenae retinebatur.

515 *Laudaret* etc. De hoc prouerbio v. ad VI, 129. Cf. III Pont. 1, 82. Mox Burm. praefert, quod Francof. Mſ. habet, *ponuntur*, cuius gloſſae *pinguntur* et reliquae varietates ſint, quia *ponere* exquiſite non modo de ſtatuariis, ſed etiam de pictoribus occurrit, vt Horat. IV od. 8. Cf. XII, 398.

519 Infans natus ſenſim adoleuit. Sed hoc ornate et verbis exquiſitis expreſſit. *volatilis* eleganter, pueritia, quae celeriter tranſit. *fallit*, praeterlabitur, vt non ſentiatur. *fallere* de omnibus iis, quae ita fiunt, vt non animaduertantur. Sic *decipere diem* IV Triſt. 10, 114. eum ita tranſigere, vt non ſentiantur eius moleſtiae. Eodem nunc redit *occulte*. Sic et Lucret. I, 314. Horat. I od. 12, 45. *Creſcit occulto velut arbor aeuo Fama Marcelli*. *Labi* de celeri decurſu aetatis. Art. III, 65. *cito pede labitur aetas*. Amorr. I, 8, 49. *Labitur occulte, fallitque volubilis aetas, Vt celer admiſſis labitur amnis aquis*. Cf. VI Faſt 771. Tibul. I, 8, 48. *non tardo labitur* aetas *pede*.

520 — 24 Velocitatem illam egregie expreſſit tam cumulatione et repetitione voce. *nuper, modo, iam*, quam tota orationis forma. Ingenioſe, *ſorore natus anoque*. Nempe confuſione illa nominum vſus eſt, de qua vſ. 346. *ſe formoſior ipſo*, in virili aetate formoſior erat, quam in infantia. Etiam ab Hygin. fab. 171. refertur inter formoſiſſimos, quos tulit antiquitas. *modo* nunc eſt, paullo poſt; neque enim ſolum de tempore vix elapſo occurrit. *matris vlciſcitur ignes*. v. ad vſ. 311. Hygin. fab. 58. *qui* (Adonis) *matris poenas a Venere eſt infecutus*. Lactant. Arg. *quem Venus non minus dilexit, quam puella patrem Cinyram dilexerat, beneficio Cupidinis*.

Natus auoque ſuo, qui conditus arbore nuper,
Nuper erat genitus; modo formoſiſſimus infans;
Iam iuuenis, iam vir, iam ſe formoſior ipſo eſt.
Iam placet et Veneri, matrisque vlciſcitur ignes.
Namque pharetratus dum dat puer oſcula matri,
Inſcius exſtanti deſtrinxit arundine pectus.
Laeſa manu natum Dea repulit, altius actum
Vulnus erat ſpecie, primoque fefellerat ipſam.
Capta viri forma non iam Cythereïa curat
Litora: non alto repetit Paphon aequore cinctam,
Piſcoſamque Gnidon, grauidamue Amathunta metallis.
Abſtinet et coelo: coelo praefertur Adonis.
Hunc tenet: huic comes eſt: adſuetaque ſemper in vm-
Indulgere ſibi, formamque augere colendo, (bra
Per iuga, per ſiluas, dumoſaque ſaxa vagatur

523 Sex, *ipſo*, quod elegantius iudicat Burm. 526 Vulg. *diſtrinxit*. Leid. *perſtrinxit*. 531 *metalli* pro *metallis* ex Genev. recepit Heinſ. quem v. ad vſ. 220. 533 Tres, *in herba*. Deinde Thuan. *indulgere roſa* pro *roſae*. Vnus, *cliuoſaque rura*. 535 Tres, *cliuoſaque ſaxa*.

529 Dii, vbi potiſſimum colunatur, habitare drr. et cum aliorſum ſe transferunt, *ſpernere* (Horat. I od. 30, 2.), *non curare, relinquere* illa loca. Veneri ſacra *Cythera*, vna ex Cycladibus. *Paphos aequore cincta*, quam Πάφον περιῤῥύτην dixit Alcman in H. Stephani Lyric. p. 628. *Gnidus* vrbs Doridis, et *Amathus*, de cuius metallifodinis v. ad verſ. 220. Mox ſuauiter additum, *coelo praefertur Adonis*. Heroidd. IV, 36. *Hippolytum videar praepoſitura Ioui. tenet*, non dimittit a ſe.

533 Alio etiam ſtudio trahitur. De tali obſequio v. ad vſ. 171. adde Heroidd. IV, 37 ſqq. Tibul. IV, 3. Olim molli vitae *adſueta* erat, nunc durum venatum amat. Mollium hominum eſt, *indulgere ſibi*, obſequi cupiditati ſuae, totumque eſſe in cultu corporis. Quomodo Venus colendo formam augeat, ſuauiter docet Claudian. Nupt. Honor. 99 ſqq *colere*, ornare, vt A. A. III, 225. *dum coleris*. Curtius VIII, 9, 21. *lacertos auro colunt*. — *augere*, conſpiciendam magis, pulchriorem reddere, vt I, 530.

535 *Dumoſa ſaxa*. Supra IV, 777. exquiſitius, *ſiluis horrentia ſaxa fragoſis*. Cf. Plin. paneg. 81. vbi ſimiliter moleſtiae venatus deſcribuntur. *Nudae genu* erant venatrices. Sed e Virg. Aen. I,

Nuda genu, veſtem ritu ſuccincta Dianae;
Hortaturque canes, tutaeque animalia praedae,
Aut pronos lepores, aut celſum in cornua ceruum,
Aut agitat damas: a fortibus abſtinet apris;
Raptoresque lupos, armatosque vnguibus vrſos
Vitat, et armenti ſaturatos caede leones.
Te quoque, vt hos timeas (ſi quid prodeſſe monendo
Poſſit,) Adoni, monet: fortisque fugacibus eſto,
Inquit: in audaces non eſt audacia tuta.
Parce meo, iuuenis, temerarius eſſe periclo:
Neue feras, quibus arma dedit Natura, laceſſe,
Stet mihi ne magno tua gloria. Non mouet aetas,

538 Tres, *paruos lepores*. Heinſ. malebat, *pauidos*. 539 Quidam, *aut*, vel *ſed*, vel *et fortibus*. Heinſ. malebat, *at fort.* quod probat Burm. 541 Med.c. et Langerm. *faturos e caede*. 544 Heinſ. coni *tutum*, ne mollis ſit pedeſter ſermo. Comparat, *Triſte lupus ſtabulis*, et, *Turpe ſenex miles*. 547 Gronov. et 3 alii *ne damno*.

319. hoc translatum in h. l. putat Heinſ. imo veriſimillius eſt, Noſtrum expreſſiſſe illum loc. Mſſ. tamen hic valde variant, et cum plures habeant, *Fine genu*, *Fune genu*, *Peue genu*, Heinſ. ſcribendum cenſet, *Fine genus*, vt *genus* ſit ſecundus caſus vel a *genu*, vel ab antiqua forma *genus*, quod vtrumque exemplis allatis comprobat. *Fine* autem *genus* ſ. *genuum* dictum eſſe, vt apud Auien. in Arat. *fine manus*, ap. Nemeſian. Cyneg. *coſtarum ſub fine*, Claud. Gigant. 79. *femorum fine* etc. — *Hortatur canes* v. ad III, 242. *praeda*, fera capta, vt III, 225. vbi v. not. *animalia tutae praedae*, quae *tuto*, ſine periculo, capiuntur. *pronos*, veloces, pernices. Etiam Remed. 201. *pronum leporem*. Horat. A. P. 60. *proni anni*, et IV od. 6, 39. *proni menſes*, celeriter praeterlabentes. Metaph. petita a pronis riuis, qui rapido curſu feruntur. *celſum in cornua* elegantius, quam *celſis cornibus*. Virg. Aen. X, 725. *ſurgens in cornua ceruus*.

540 *Raptores lupi* e Virg. Aen. II, 355. Et Teleſinus apud Velleï. II, 27, 2. Romanos vocat *raptores Italicae libertatis lupos. ſaturatos*, qui ſaturari ſolent, ſaturandos, de quo vſu participiorum praeterit. v. Brouckh. ad Propert. II, 10, 49. *Saturati* enim (ex vſitata h. particip. notione) leones minus timendi ſunt. Hinc Virg. Aen. X, 724. *Impaſtus leo. fortisque* etc. Cf. Propert. II, 15, 21. Plin. d. l. *certare cum fugacibus feris curſu, cum audacibus robore*.

545 *Parce eſſe*, noli eſſe, vt Virg. Aen. III, 42. *parce ſceleratae manus*, et paſſim. *Magno* aut, *haud parno* (Virg. Aen. X, 494.) *ſtare* drr. quae magnum nobis damnum adferunt. VI, 487. *ſtabunt tibi tua foedera magno*. Heroidd. VII, 47. *odia conſtantia magno*.

Nec facies, nec quae Venerem mouere, leones,
Setigerosque ſues, oculosque, animosque ferarum.
Fulmen habent acres in aduncis dentibus apri:
Impetus eſt fuluis, et vaſta leonibus ira:
Inuiſumque mihi genus eſt. Quae cauſſa, roganti,
Dicam, ait; et veteris monſtrum mirabere culpae.
Sed labor inſolitus iam me laſſauit: et ecce
Opportuna ſua blanditur populus vmbra:
Datque torum ceſpes. Libet hac requieſcere tecum,
Et requieuit, humo: preſſitque et gramen et ipſum:
Inque ſinu iuuenis, poſita ceruice, reclinis
Sic ait: ac mediis interſerit oſcula verbis.
Forſitan audieris aliquam certamine curſus *Atalanta*

550 Plerique vetuſtiores, *et aduncis*. Heinſ. ſuadet, *praeaduncis*, vt *praecutae haſtae* VII, 131. 553 Vulg. *mirabile*. Heinſ. malit, *Diſce ait*. 559 Multi, *oſcula labris*.

548 Satis venuſte et cum vi *Venerem* pro, *me*.

550 Supra I, 305. apro tribuuntur *vires fulminis*. VIII, 289. *fulmen ab ore* apri *venit*. XI, 368. *rictus* lupi *fulminei*. Rutil. I, 625. *terribilis fulmine dentis aper*. — *acres*, feri, iracundi. Faſt. IV, 215. *acres leones*. Phaedr. III, 7. 18. *acer canis*. — *Impetus* feris tribuitur, Phaedr. III, 2, 14. de panthera, *faeuit irato impetu*.

553 *monſtrum*, miram poenam.

555 Sub *populo* non ſolum conviuari, ſed etiam requieſcere, confabulari, amare ſolebant. *blanditur*, grata ſua vmbra nos inuitat. *preſſit gramen et ipſum* eleganter, ſedit in gramine et iuxta Adonidem, vt ipſum attingeret, vt ſolent amantes. Heroidd. IV, 97. Phaedra Hippolytum hoc ipſo Veneris et Adonidis exemplo adhortatur, vt quieſcat ſubinde a venatu, *Saepe ſub ilicibus Venerem Cinyraque creatum Suſtinuit poſitos quaelibet herba duos*. *Renidens*. Nota eſt Venus φιλομμειδὴς Homeri, et ἡδὺ γελοιήσασα. v. Heinſ. qui *renidens* ex Florent. S. M. recepit, cum caeteri habeant vel *reclinis*, vel *reclinis*, quod gratam ſatis imaginem exhibet. *Reclinis*, qui tergo ſe inclinat ad aliquid. v. Intt. ad Silium V, 470. Sic os Adonidis, quocum loquebatur, intueri potuit reclinis Venus. Hoc igitur renocaui. Venus *acclinis florum cumulo* eſt Claudian. 31, 4.

560 Duas *Atalantas* habuit antiquitas. v. ad VIII, 317. Nunc intel. Boeotica, Schoenei filia. v. vſ. 609. quam Noſter minime, vt alii auctores, cum Arcadica confudit. Ei curſu ſuperanti velociſſimos viros anteuertit Hippomenes, pomis iactis retardans eius impetum; hinc ex foedere eam duxit vxorem. Sed cum gratias ageret nullas Veneri, quam adiutricem habuerat in certamine, illa ambas ita irritauit, vt in luco Matris Deum concumberet; idque ob facinus mutati ſunt in leones. Cf. Hygin. fab. 185. Apoll. III, 9, 2. Palaeph. cp. 14. Schol.

Veloces ſuperaſſe viros. Non fabula rumor
Illé fuit: ſuperabat enim: nec dicere poſſes,
Laude pedum, formaene bono praeſtantior eſſet.
Scitanti Deus huic de coniuge, Coniuge, dixit,
Nil opus eſt, Atalanta, tibi: fuge coniugis vſum.
Nec tamen effugies, teque ipſa viua carebis.
Territa ſorte Dei per opacas innuba ſiluas
Viuit, inſtantem turbam violenta procorum
Conditione fugat: Nec ſum potiunda, niſi, inquit,
Victa prius curſu. Pedibus contendite mecum.
Praemia veloci coniux thalamique dabuntur;
Mors pretium tardis. Ea lex certaminis eſto.
Illa quidem immitis: ſed (tanta potentia formae eſt)

562 Vnus Medic. *nec dicere promptum eſt*, quod Burm. videtur ex XIII, 10. ſumtum. 564 Menard. *quaerenti*. Voſſ. *ſcrutanti*. 566 Vnus, *Vix tamen*. 567 Medic. *ſiluas ibat*, quod latinius putat Burm. 568 Tan. Faber corrig. *violente*. temere. v. Burm.

Theocrit. ad III, 40. Schol. Apollon. ad I, 769 Serv. ad Virg. Aen. III, 113. Tzetzes Chil. XIII, 453. Heraclit. de Incredib. cp. 12. Breuiter ſab. Theocrit. Id. III, 40 ſqq. attigit. Tractaverat, vt ex Apollod. patet, etiam Euripides. H. l. Venus ipſa, cuius magna pars in ea re fuerat, facunde eam et ordine narrat.

563 Hac duplici laude etiam ſecundum alios inſignis erat; et inde pendet tota fab. *Pedibus* i. curſu excellere ſumma *laus* apud Graecos. Homer. Od. Φ, 147. Satis concinne *laus pedum* et *formae bonum* ſibi opp. Non igitur praeferendum ex multis Mſſ. *formaene bona*. Formam ſaepe *bonum* dici, docet Burm. *Pedes* pro curſu ſollemne.

564 *Scitanti*, oracula conſulenti. Verb. proprium in hac re, monente Burm. De hoc oraculo caeteri nihil habent. Apollod. παρθένον ἑαυτὴν ἐφύλαττε. καὶ θηρεύουσα ἐν ἐρημίᾳ διετέλει, et poſtea, patre impellente, prodit in ſtadium. *de coniuge*, *Coniuge* ſollemnis et grata Ouidio eiusdem voc. repetitio. *teque ipſa viua carebis*. Obſcure, more oraculorum, transformationem eius vaticinatur. *te ipſa carebis*, non eris ea, quae nunc es, carebis animi corporisque bonis, quibus nunc frueris. *Vſus*, concubitus. Remed. 357. *Veneris vſus*.

567 *Per ſiluas* melius, quam, in ſiluis. *Per* enim eleganter ponitur, vbi aut de hominibus ſparſis, diffuſis, ſermo eſt, (IV, 405. *latitant per tecta ſorores*.) aut de vagantibus huc et illuc, vt h. l. *violenta*, ſaeua, quae crudeliſſimam conditionem proponit. *pretium* paſſim eſt praemium, vt IX, 47. Sed h. l. malo ſenſu, poena, vt *praemium* VIII, 503 et Phaedr. IV. fab. 17, 30. *Legem* illam ſecundum Hygin. pater conſtituit. Cf. ad vſ. 599.

573 Etiam A. A. III, 258 te Propert. III, 18, 7. *forma potens*.

Venit ad hanc legem temeraria turba procorum.
Sederat Hippomenes curſus ſpectator iniqui:
Et, Petitur cuiquam per tanta pericula coniux?
Dixerat, ac nimios iuuenum damnarat amores.
Vt faciem, et poſito corpus velamine vidit,
Quale meum, vel quale tuum, ſi femina fias;
Obſtupuit: tollensque manus, Ignoſcite, dixit,
Quos modo culpaui: nondum mihi praemia nota,
Quae peteretis, erant. Laudando concipit ignem:
Et, ne quis iuuenum currat velocius, optat,
Inuidiaque timet. Sed cur certaminis huius
Intentata mihi fortuna relinquitur? inquit.
Audentes Deus ipſe iuuat. Dum talia ſecum,
Exigit Hippomenes, paſſu volat alite virgo.

575 Quatuor, *Venerat*. 577 Plurimi, *condemnat*. 584 Vulg. *Inuidiamque timet*. 585 Baſil. *intercepta mihi*, vnde Heinſ. faciebat, *impercepta*, vt IX, 716.

ad hanc legem, ad certamen, in quo tam dura lex propoſita; hinc mox *curſus iniquus*. *Hippomenes* vr. etiam ab Eurip. Theocrit. et Hygin. Sed a Schol. Apollon. *Hippomedon* vr., ab aliis, vt ab Apollod. *Melanion*. Sed *Melanion* ſecundum alios Arcadicam Atalantam habuiſſe dr. Hippomenis autem exemplum, quale hic notatum, vel maxime formae potentiam declarat.

584 *Inuidiaque timet*, inuidendo aliis timet, ne quis victoriam ſibi praeripiat; qui ſenſus ſolet tali occaſione excitari. Sic recte haec verba et conſtituit et interpretatus eſt Micyllus, eademque lectio deinde comprobata eſt Mſſ. auctoritate. *fortuna*, exitus certaminis. *fortunam belli tentare* paſſim ap. hiſtoricos.

586 *Audentes* etc. Sententia haec mirum quantum Veteribus placuit, et ap. innumeros auctores occurrit. A Claudian. Ep. ad Probin. 9. vr. *Cei ſententia vatis*, i. Simonidis, quamquam in v. Cei et Mſſ. variant, et Intt. diſſentiunt. Sed caeteri dicunt *Audentes Fortuna iuuat*, Noſter, quia Venerem implorare conſtituerat, maluit, *Deus*, quamquam *Deus* non raro pro Fortuna ponitur.

587 *Exigit*, deliberat, metaph. a libra petita, ad quam exigitur pondus rerum. Seq. deſcriptio certaminis curſus, quacum cf. Homer. Il. ψ, 740 ſqq. Virg. V, 315 ſqq. *ales*, primum pro, alatus, deinde pro, celer. Etiam *volare* de celerrimo curſu. *Volucrem Schoeneida* vocat Claudian. Laud. Seren. 170. *Scythae*, gens bellica, quorum tela timenda. *Scythicus arcus* I Pont. I, 79. *Scythica pharetra* III Pont. VIII, 19. Hinc h. l. *Scythica ſagitta* pro quacunque ſagitta. Cf VII, 776 ſqq. *ire*, currere. Etiam de volatu nauis, quae plenis velis currit, h. v. occurrit, v. c. V Triſt. 14, 44. *Aonio*, Boeoto. V. ad III, 147.

Quae quamquam Scythica non ſecius ire ſagitta
Aönio viſa eſt iuueni; tamen ille decorem
Miratur magis: et curſus facit ipſe decorem.
Aura refert oblata citis talaria plantis:
Tergaque iactantur crines per eburnea, quaeque
Poplitibus ſuberant picto genualia limbo:
Inque puellari corpus candore ruborem
Traxerat: haud aliter, quam cum ſuper atria velum
Candida purpureum ſimulatas inficit vmbras.
Dum notat haec hoſpes, decurſa nouiſſima meta eſt:

588 Vulg. *non ſegnius.* 592 Quatuor, *Collaque*, vt III A. 236. *fuſos per colla capillos.* 596 Quinque, *ſimul edit et inficit.* Arond. *ſimul addat.* Duo Medic. *ſimal edat.* Vnus Bonon. *ſimilem datur.* Octo, *ſimul et dat et inficit.*

590 Magna commendatio, ſi quis omnia facit cum *decore*. Cf. VIII, 27 ſqq. Heroidd. IV, 77 ſqq. Tibul. IV, 2, 7 ſqq. Iam phantaſia Ouidii pingit rurſus habitum decorum currentis virginis. Pedes cum illa celeriter et alte iactaret, plantae attingebant *talaria*, tunicam talarem, quam venti retro dabant. *refert oblata*, retro dat, vt offerantur. *pitto*. v. ad VI, 1. Caeterum huc reſpexit Sidon. Apoll. paneg. Maior. *Plantasque ſuperbas Haud ita per ſiccam Nemeen citus extulit Arcas, Cuius in Aetolo volitantem puluere matrem Horruit Hippomenes.*

594 *puellaris*, quo inſignes ſunt puellae, quae inde paſſim *candidae* vrr. Amat Ouid. h. voc. v. V, 393. Faſt. V, 611. *Trahere ruborem* eſt etiam III, 482. *trahere nigrum colorem* II, 236. *trahere faciem* I, 412. In his *trahere* eſt accipere. Ruborem illum mixtum candori aliis ſimilitudinibus Noſter illuſtrat III, 482 et IV, 331. aliis etiam Tibul. III, 4, 33. *Vt cum contexunt amaranthis alba puellae Lilia; vt autumno candida mala rubent.* — *Velum*, aulaeum. Vela praetendi ſolebant atriis et cubiculis, hinc *velarii* ſerui, qui velorum curam habebant. *ſimulatas inficit vmbras* recepit Heinſ. e Florent. S. Marci. Vellem addidiſſet, quid ſit, *ſimulatus vmbras inficere ſuper atria*. Intelligo quidem *ſimulatas vmbras*, aſſimilata coloribus veli, ſcio etiam, velum recte dici *atrium ſimulatis vmbris inficere* ſ. colorare: ſed altera locutionis forma duriſſima mihi videtur. Praeſtat haud dubie Vulg. *ſimilem dat et inficit vmbram*, quamquam nec haec ſatis placet. Caeterum eandem velorum infectionem copioſius deſcribit Lucret. IV, 73 — 84. vbi *lutea ruſſaque vela et ferruginea magnis intenta theatris omnem conſeſſum caueae ſubter, et omnem ſcenae ſpeciem inficiunt, coguntque ſuo fluitare colore* etc. Haec noſtra autem non dicit Romanus, ſed Venus, quo tempore nondum talis velorum vſus.

597 *Meta* nunc pro ſtadio, vltima ſtadii pars decurſa erat. *feſta corona*. Virg. Aen. II, 249. *feſta velamus fronde*. *Velare* et *tegere* ſollemnia verba de coronis impoſitis. Aen. IV, 637. *tegere tempora vitta*. Vellei. II, 82, 4. Antonius *corona velatus aurea*. — *ex foedere*, e compoſito. *foedus* omne id, de quo inter plures conuenit. Secundum Hygin. d. l. Schoeneus procis eam legem propoſuerat, vt alius poſt alium inermis fugeret, filia autem cum gladio inſequeretur, quem intra terminos aſſecuta eſſet, occideret, eiusque caput in ſtadio figeret. Atque ita multi perierunt. Apollod.

Et tegitur feſſa victrix Atalanta corona.
Dant gemitum victi, pendentque ex foedere poenas.
Non tamen euentu iuuenum deterritus horum
Conſtitit in medio: vultuque in virgine fixo,
Quid facilem titulum ſuperando quaeris inertes;
Mecum confer, ait. Seu me fortuna potentem
Fecerit, a tanto non indignabere vinci.
Namque mihi genitor Megareus Oncheſtius; illi
Eſt Neptunus auus: pronepos ego regis aquarum.
Nec virtus citra genus eſt. Seu vincar, habebis
Hippomene victo magnum et memorabile nomen.
Talia dicentem molli Schoeneïa vultu
Adſpicit, et dubitat, ſuperari an vincere malit.

600 Vulg. *iuuenis*. Quatuor, *perterritus*. 605 Ita recte loc. emendauit Micyllus, probante etiam Burm. *Oncheſtius* repertum etiam eſt in 2 Mſſ. Vulg. *Achaeſtius illi*. Vnus, *Onchueſtius et illi*. Mitto reliquas varietates.

600 *Euentus*, fortuna, interitus. Hygin. P. A. 2, 1. *euentum ſuum dicere Dianae*. *Inertes* ad curſum referendum, tardi. *facilem titulum*, gloriam, laudem facile parandam. v. IV, 644. VIII, 433.

603 Verba haud dubie corrupta, ſed Mſſ. nil iuuant. Heinſ. coni. *Te mihi confer*. Senſus eſſe debet, mecum contende curſu. Graeci quidem *συμβάλλειν* et *συνάπτειν* abſolute ponunt, ſuppreſſis vocc. *ἀγῶνα* et *ἔντασιν*, ſed Lat. inſolens illa ellipſis. *potentem*, ſcil. curſu, velocem.

605 *Megareus*. Ita et Hygin. *Oncheſtius*, vrbs Boeotiae, cuius rudera (in quibus templum et lignum Neptuni Oncheſtii) Pauſaniae adhuc aetate exſtabant. Ibi olim habitauerat Oncheſtus, Neptuni filius. Pauſan. Boeot. p. 761. Oncheſti filius *Megareus*, quem eundem et *Macareum* dictum eſſe, Schol. Sophocl. ad Antig. vſ. 1311. tradit. Is Niſo contra Minoëm auxilium tuliſſe et in proelio cecidiſſe legitur apud Pauſan. Attic. p. 95. *citra genus*, inferior, minor genere. Aeque fortis ſum ac nobilis. — *memorabile*, celebre, vt IV, 416. et 614.

609 Supra IX, 260. *durus vultus* Iunonis iratae. Nunc *mollis*, placidus, blandus, *vultus* amantis Atalantae. Amantibus etiam *molles preces mollia corda* etc. tribuuntur.

Atque ita, Quis Deus hunc formoſis, inquit, iniquus
Perdere vult? caraeque iubet diſcrimine vitae
Coniugium petere hoc? non ſum, me iudice, tanti.
Nec forma tangor. Poteram tamen hac quoque tangi.
Quid? quod adhuc puer eſt? non me mouet ipſe, ſed ae-
Quid? quod ineſt virtus, et mens interrita leti? (tas.
Quid? quod ab aequorea numeratur origine quartus?
Quid? quod amat, tantique putat connubia noſtra,
Vt pereat; ſi me Fors illi dura negarit?
Dum licet, hoſpes, abi, thalamosque relinque cruentos.
Coniugium crudele meum eſt. Tibi nubere nulla
Nolet, et optari potes a ſapiente puella.
Cur tamen eſt mihi cura tui, tot iam ante peremtis?
Viderit. Intereat, quoniam tot caede procorum
Admonitus non eſt, agiturque in taedia vitae.
Occidet hic igitur, voluit quia viuere mecum?
Indignamque necem pretium patietur amoris?

611 Quinque, *formoſum dixit.* Primus Ambroſ. *fortunis iniquis.* Heinſ. coni. *formis tam, dixit, iniquus?* 612 Cantabr. et vnus Baſ. *Pendere vult.* 619 Vulg. *Sors.* Septem *dira* pro *dura*, quod non diſplicet Burm. quia et vſ. 634. *importuna fata*, i. ſaeua, dira. 624 Quidam emendarunt, *Viderit interea.* 625 Baſ. *Attonitus.* 626 Vrbin. Noric. alter Hamb. alter Erford. *Vouit quia.*

611—36 Diu multumque ſecum deliberat, vincerene velit et perdere Hippomenem, an vinci et nubere ei. Illinc gloriae cupido et oraculorum reuerentia pugnant, hinc amor et commiſeratio.

613 Triſt. II, 209. *Non ſum tanti, vt renouem tua vulnera.* Tibul. II, 6, 42. *Non ego ſum tanti, ploret vt illa ſemel.*

617 *aequorea origo* breuiter dictum, Deus acquoreus, vnde originem ducit; niſi malis *originem* de auctore generis accipere. IX, 264. *ab origine duxit matris.* Virg. G. III, 122. *Neptuni ipſa deducat origine gentem.*

620 *thalami cruenti*, et *coniugium crudele*, coniugium, quod cum vitae periculo petitur, et cuius cauſſa iam multi perierunt. *relinque*, non pete.

625 *Admonitus non eſt*, ſcil. vt ſibi conſuleret. Plenius Iuſtin. IV, 5, 11. *Nicias ne Demoſthenis quidem exemplo, vt ſibi conſuleret, admonitus, — agi*, vt alibi *ferri* drr. qui prae nimia cupiditate neſciunt, quid agant, aut qui alia quacunque vi compelluntur ad aliquid. Phaedr. IV, 12, 3. *ad perniciem agi*, et V, 5, 3. *ad poenitendum agi.*

627 *Pati necem* eſt etiam Ibid. 521. et *patiens mortis*, mortalis, ſupra II, 653. *Patimur* omnia ea, quae nobis inferuntur, vulnera, mortem, vincula. Non igitur erat, cur Burm. ex Langerm. Excerpt. mallet, *potietur*, quod melius τῷ *pretium* conueniat, et quod

Non erit inuidiae victoria noſtra ferendae.
Sed non culpa mea eſt. Vtinam deſiſtere velles!
Aut, quoniam es demens, vtinam velocior eſſes!
At quam virgineus puerili vultus in ore eſt!
Ah, miſer Hippomene, nollem tibi viſa fuiſſem!
Viuere dignus eras. Quod ſi felicior eſſem,
Nec mihi coniugium fata importuna negarent:
Vnus eras, cum quo ſociare cubilia poſſem.
Dixerat: vtque rudis, primoque Cupidine tacta,
Quod facit ignorans, amat, et non ſentit amorem.
Iam ſolitos poſcunt curſus populusque paterque,
Cum me ſollicita proles Neptunia voce
Inuocat Hippomenes. Cytherēia, comprecor, auſis
Adſit, ait, noſtris; et, quos dedit, adiuuet ignes.
Detulit aura preces ad me non inuida blandas;

637 Plerique meliores, *Quid facit.* Quatuor, *quid faciat.* Heinſ. ſuadet, *Quidque agat.*

foleat Noſter h. v. cum quarto caſu conſtruere. *Indignam*, iniuſtam, vt ſaepe. *inuidia*, odium. *Non erit — ferendae* pro vulg. invidia victoriae noſtrae non erit ferenda. Etiam Amorr. III, 6. *Non eris inuidiae, torrens, ferendae.*

631 Anacr. ap. H. Steph. in Lyric. p. 530. ὦ παῖ παρθένιον βλέπων.

634 *Nec mihi* etc. v. vſ. 564 ſ. Cf. Lactant. Argum. Sed ap. Hygin. a patre ipſa petit, vt ſe virginem ſeruare velit. *ſociare* ſollemne de coniugibus. I, 620. *ſocia tori.* II Faſt. 729. *ſocialis torus.* II A. 377. *ſocius lectus.* Heroïdd. III, 109. *ſociare cubilia.*

636 Apud Theocrit. Id. III, 42. vix conſpecto Hippomene incipit furere, et in profundum amorem incidere.

638 *Pater*, patres, ſeniores et honoratiores. *populus patresque* formula ſollemnis et paſſim obuia de vniuerſis ciuibus Romanis, tam patriciis et ſenatoribus, quam plebeiis. Maximam exemplorum nubem collegit Bentlei. ad Horat. III od. 6, 20. Hinc etiam de aliis populis et coetibus vſurpatum. *Poſcere* fere vt Horat. A. P. 190. *fabula, quae poſci vult*, quam iterum ſpectare cupiunt ſpectatores. *ſollicita vox*, quam emittit homo ſollicitus. *Comprecor* pro ſimplici precor, vt ap. Hygin. fab. I. et P. A. 2, 5.

642 Suauiter res inanimatae, cum prohibent aliquid fieri, *inuidere* drr. Supra IV, 73. *inuidus paries*, qui obſtabat amantibus. IX, 485. *nox coeptis inuida.* X, 332. *inuida iura.* Et h. l. *non inuida aura*, quae preces fideliter deferebat ad Venerem. *blandae preces*, vt *blanda tura* et *blandae victimae*, quae offeruntur animo blando.

Motaque ſum, fateor; nec opis mora longa dabatur.
Eſt ager, indigenae Tamaſcum nomine dicunt,
Telluris Cypriae pars optima: quem mihi priſci
Sacrauere ſenes, templisque accedere dotem
Hanc iuſſere meis. Medio nitet arbor in aruo;
Fulua comam, fuluo ramis crepitantibus auro.
Hinc tria forte mea veniens decerpta ferebam
Aurea poma manu: nullique videnda, niſi ipſi,
Hippomenen adii, docuique, quis vſus in illis.
Signa tubae dederant, cum carcere pronus vterque

643 Heinſ. malit, *opi.* 644 Vulg. *Damaſenſum*, quod varie emendarunt Editores. Verum viderunt Farnab. et Heinſ. 647 Quidam, *niret arbor*, quod Burm. non damnat, quia id v. auro convenit. v. ad IV, 636. 649 Vnus Leid. *mea iuuenis*. Heinſ. coni. *iuueni*. Conſtant. Fan. et Burm. *meo iuueni*, vt Adonis intell. Satis blande et comiter.

644 *Tamaſus* aut *Tamaſeus* oppidum Cypri. Plin. V, 31. Stephan. h. v. Ταμάσσος πόλις Κύπρου. Τὸ ἐθνικὸν Ταμασίτης καὶ Ταμασσεῖος. *ſacrare*, conſecrare. Sic *ſacrare templa, delubra.* I Faſt. 290. Virg. Aen. VIII, 715. Supra IX, 88. *ſacrare corum.* v. Bentlei. ad Horat. Epiſt. II, 2, 92.

647 Secundum Philetam in Schol. Theocrit. II, 118. Venus Hippomeni dedit Dionyſi mala ſuo capiti detracta. Sed alius Schol. ad III, 40. male auctor eſt, ex Heſperidum hortis haec poma allata. Etiam Virg. Catal. XI, 25. *Heſperidum munere* capta eſſe Atalanta traditur. *Fulua*, aurea. *comam*, frondes. v. ad vſ. 103. Si lectio *crepitantibus* ſana, cogitandus eſt crepitus ſ. ſonus, quem faciebant frondes aureae motae. Et puto, eam ſanam eſſe, Virg. Aen. VI, 209. in ſimili arboris deſcriptione, *leni crepitabant bractea vento*, et XI, 775. *ſinus crepantes fuluo auro.* Sed vnus Leid. Mſ. *radiantibus*. Sic A. A. III, 451, *auro radiantia templa*, et ſupra II, 4. *Argenti radiabant lumine valuae.* Alter Leid. *trepidantibus*, quod forte illuſtrari poſſet ex Faſt. I, 77. *Flamma nitore ſuo templorum verberat aurum, et tremulum ſumma ſpargit in aede iubar.*

651 *In illis*, illorum, aut, illis. Sic IX, 670. *in illo*, illius. VII, 682. XIV, 268. Etiam Hygin. *edoctus, quis vſus in eis eſſet.*

652 In ſeqq. expreſſit nobilem certaminis nautici deſcriptionem ap. Virg. Aen. V, 124 ſqq. *Tuba* ſignum dabatur et in proeliis et in certaminibus. *pronus* egregie pingit niſum et habitum eorum, qui, vt vim addant emicanti corpori, extenſo altero pede inclinataque ad terram ſuperiore corporis parte, ſe emittunt in ſtadium. Sed id Noſter habet a Virg. d. l. vſ. 147. vbi aurigae *proni in verbera pendent.* et Georg. III, 107. *proni dant lora.* Supra IX, 44. idem voc. de luctantibus. *carcere* pro vſitatiore, *carceribus*.

Emicat, et ſummam celeri pede libat arenam.
Poſſe putes illos ſicco freta radere paſſu,
Et ſegetis canae ſtantes percurrere ariſtas.
Adiiciunt animos iuueni clamorque, fauorque,
Verbaque dicentum: Nunc, nunc incumbere tempus,
Hippomene; propera. Nunc viribus vtere totis.
Pelle moram: vinces. Dubium Megareius heros
Gaudeat, an virgo magis his Schoeneia dictis.
O quoties, cum iam poſſet tranſire, morata eſt;
Spectatosque diu vultus inuita reliquit!
Aridus e laſſo veniebat anhelitus ore;
Metaque erat longe. Tum denique de tribus vnum
Foetibus arboreis proles Neptunia miſit.
Obſtupuit virgo, nitidique cupidine pomi
Declinat curſus, aurumque volubile tollit.

639 *Megareius* emendauit Micyll. Vulg. *Macareius.* v. not. ad vſ. 605.

654. 55 Ita celerrimum curſum equorum hominumque deſcripſerunt Veteres, Homer. Il. *v*, 226 ſqq. Apollon. I, 179. Virg. Aen. VII, 808 ſqq. Ita volubilitatis ratio offendit multos, vix autem offendet eos, quibus curſum equorum eorum, quos Batani Hartraber vocant, ſpectare contigit. Ita enim illi volant, vt terram vngulis tangere non videantur. Noſter adeo, rei molliendae cauſſa, addit, *Poſſe putes.* Sed apud Hygin. fab. 89. equi, quos Troi dederat Iupiter, *ſuper aquas et ariſtas ambulant.* — *paſſu*, pede. *radere*, leni pedum motu per interualla leuiter attingere. v. Valken. ad Eurip. Phoen. verſ. 1399. Apud Minuc. Fel. II, 3. teſta illa, qua pueri ludunt, dr. dorſum maris *radere.* Supra IV, 561. ſic eſt *deſtringere. ſtantes*, erectas. Propert. IV, 5, 12. *ſtantia* ſunt ſegetes, frutices, arbores. *percurrere ariſtas*, currere ſuper ariſtas. Virg. d. l. *Illa vel intactae ſegetis per ſumma volaret Gramina, nec teneras curſu laſſaret ariſtas.*

656 *Fauor* pr. de variis plauſus generibus, quibus in theatro hiſtriones et in ſtadio certantes incitari ſolebant. Virg. vſ. 148. Homer. Il. ϕ, 766. *Nunc, nunc* etc. e Virg. verſ. 189. *Hortatur Mneſtheus: nunc, nunc inſurgite remis — nunc illas promite vires, nunc animos* etc. *Hoc vincite. — incumbere*, incitari in curſu.

663 *Aridus*, ex arido ore veniens, vt II, 278. *ſicca vox. laſſum os*, os eius, qui laſſus erat, Virg. vſ. 199. *Tum creber anheli tus artus Aridaque ora quatit.*

664 Non raro in certaminibus fieri ſolebat, vt dolis alter alteri victoriam eripere conaretur.

667 *volubile.* Ibid. 193. Siſyphi *reuolubile pondus.*

Praeterit Hippomenes. Reſonant ſpectacula plauſu.
Illa moram celeri, ceſſataque tempora, curſu
Corrigit: atque iterum iuuenem poſt terga relinquit.
Et rurſus pomi iactu remorata ſecundi,
Conſequitur, tranſitque virum. Pars vltima curſus
Reſtabat: Nunc, inquit, ades, Dea muneris auctor;
Inque latus campi, quo tardius illa rediret,
Iecit ab obliquo nitidum iuueniliter aurum.
An peteret, virgo viſa eſt dubitare: coëgi
Tollere, et adieci ſublato pondera malo:
Impediique oneris pariter grauitate moraque.
Neue meus ſermo curſu ſit tardior illo;
Praeterita eſt virgo: duxit ſua praemia victor.
Dignane, cui grates ageret, cui turis honorem
Ferret, Adoni, fui? Nec grates immemor egit,
Nec mihi tura dedit. Subitam conuertor in iram:
Contemnique dolens, ne ſim ſpernenda futuris,
Exemplo caueo, meque ipſa exhortor in ambos.
Templa Deum Matri, quae quondam clarus Echion

671 Ambroſ. *reuocata.* 672 Vn s Moreti *pars optima.* 679 Alter Hamb. et alter Erford. *curſu ſit longior.* 683 Burm. mallet, *tura tulit*, repetitione familiari noſtro poëtae. 684 Vulg. *contemtuque.* 685 *Ipſa* e quinque Mſſ. recepit Burm. pro, *ipſam.* 686 Quidam, *magnus Echion.*

668 *ſpectacula*, locus, vnde ſpectabatur, vt Liv. I, 35. *ſpectacula ſibi quisque fecerunt.* — *reſonant.* Virg. vſ. 148. *Tum plauſu fremitуque virum, ſtudiisque fauentum Conſonat omne nemus* etc. — *ceſſata tempora*, ceſſando conſumta, vt Faſt. IV, 617. *ceſſata arua*, ceſſando neglecta. *Moram et ceſſata temp. corrigere* pro, id corrigere, quod mora et ceſſando peccatum erat. *Conſequi* pro aſſequi.

673 In ipſo curſu interdum numen aliquod inuocari, inuocantique adeſſe ſolebat. *Inueniliter.* Glarean putat, iaciendi modum ſic eſſe expreſſum. Reſtius Regius et Burm. interpretantur, cum ardore et impetu, vt ſolent iuuenes. Laudat Burm. III A. 733. *iuueniliter arcum corripit*, et II Triſt. 117. *nimium inueniliter vti ingenio.* Adde ſupra III, 626. *iuuenili guttura pugno rupit.* Cauſſa, cur fortiter iaceret, erat, *quo tardius illa rediret.*

679 Frigida ſententia. — *duxit*, nempe vxorem, *ſua praemia*, vt Perſeus Andromedam IV, 756. Sed Hygin. *Hanc cum in patriam duceret.* Alibi *honores* ſimpl. de ſacris. Et *ferre* et *dare tura* latinum eſt. v. ad I, 248.

684 *Contemni*, deeſt, *me. caueo*, moneo aut prohibeo, ex iuris Romani formulis. v. Erneſti Clav. Cic. h. v.

686 Apud Apollod. et Hygin. ingrediuntur *τὸ τέμενος Διὸς*, *Iouis fanum.* Recte Glarean. intel. *Echionem*, Cadmi ſocium, cuius III, 126. mentio fit; Atalanta enim haec Schoeneia fuit Boeotica. Burm. vero mallet, Echionem Arcadem, de quo VIII, 318. intelligere, quia Noſter cum aliis duas Atalantas confuderit. Vbi tandem confudit? — *nemoroſis ſiluis.* Supra I, 568. *Eſt nemus, quod claudit ſilua*, vbi v. not. Sic abdita eſſe ſolebant multa templa.

691 Burm. per *lumen* intel. feneſtram et aperturam aedium, per quas lumen intromittitur, et ita Heinſ. ſupra vſ. 293 *lumina* capiebat. Sed nulla adeſt cauſſa, cur hoc ita capiamus, quamquam ſenſus eodem redit. De *natiuo pumice* v. ad III, 159 *religione ſacer priſca*, cultus inde ab antiquiſſimis temporibus. Cic Verr. IV, 33. *ſimulacrum ſummo atque antiquiſſimo praeditum religione.* — *veteres Dii*, quorum ſimulacra vetuſta.

695 *Temerare*, ſtupro polluere, vt II, 592. *probrum* paſſim de ſtupro. *Sacra*, ſimulacra. *retorti oculi*, vt alibi *auerſae aures*, ſigna irae diuinae. *Turrita mater*, Cybele, quae Faſt. IV, 224. *turrigera Dea* dr. et cui vſ. 219. *turrita corona* tribuitur. Cauſſa ibidem redditur haec, quia Phrygiis vrbibus turres dederit. Ibi Burm. turritam Deam cum comitatu e monumento antiquo exprimendam curauit. Sed Lucret II, 606. *Muralique caput ſummum cinxere corona, Eximiis munita locis quod ſuſtinet vrbes.* — *dubitauit*, cogitauit, ſecum deliberavit.

698 Plin. VIII, 15. de leonibus, *Colla armosque veſtiunt iubae.* — *Leonum animi index cauda. Immota ergo placidus, clemens, blandientique ſimilis, quod rarum eſt: creberior enim iracundia eius. In principio terra verberatur, incremento terga, ceu quodam incitamento, flagellantur. Vis ſumma in pectore.* — *Irum vultus habet.* Supra VI, 35. *con-*

Fecerat ex voto, nemoroſis abdita ſiluis,
Tranſibant: et iter longum requieſcere ſuaſit.
Illic concubitus intempeſtiua cupido
Occupat Hippomenen, a numine concita noſtro.
Luminis exigui fuerat prope templa receſſus
Speluncae ſimilis, natiuo pumice tectus,
Religione ſacer priſca: quo multa ſacerdos
Lignea contulerat veterum ſimulacra Deorum.
Hunc init; et vetito temerat ſacraria probro.
Sacra retorſerunt oculos: turritaque Mater,
An Stygia fontes, dubitauit, mergeret vnda.
Poena leuis viſa eſt. Ergo modo leuia fuluae

690 Multi, *iam numine*, quod probat Mariang. Accurſ. 691 Plurimi, *Liminis.* 693 Neap. et fec. Medic. *vota ſacerdos*, quod placet Heinſ. 695 Vrb. et alius. *ſtupro* ex gloſſa. 698 Heinſ. malit, *Tergum, et modo leuia etc.*

Colla iubae velant: digiti curuantur in vngues:
Ex humeris armi fiunt: in pectora totum
Pondus abit: summae cauda verruntur harenae.
Iram vultus habet: pro verbis murmura reddunt:
Pro thalamis celebrant siluas: aliisque timendi
Dente premunt domito Cybeleïa frena leones.
Hos tu, care mihi, cumque his genus omne ferarum,
Quae non terga fugae, sed pugnae pectora praebent,
Effuge: ne virtus tua sit damnosa duobus.
Illa quidem monuit, iunctisque per aëra cygnis,
Carpit iter: sed stat monitis contraria virtus.
Forte fuem latebris, vestigia certa secuti,
Exciuere canes, siluisque exire parantem
Fixerat obliquo inuenis Cinyreius ictu.
Protinus excussit pando venabula rostro,

704 Vnus Heinf. *premunt solido.* 710 Vnus Baf. *vestigia trita.* 713 Septem, *curuo rostro.*

fiteri vultibus iram. Trist. II, 525. *vultu fateri iram.*

704 *premunt*, mordent. Lucret. II, 600. *Hanc* (Cybelen) *veteres Graium docti cecinere poëtae Sublimem in curru biiugos agitare leones, — quia quamuis effera proles Officiis debet molliri victa parentum.* Noster Fast. IV, 215. *Coepi, Cur huic genus acre, leones, Praebeat insolitas ad iuga curua iubas? Desieram. Coepit, feritas mollita per illam Creditur. Id curru testificata suo est.* Cf. et Serv. ad Aen. III, 113. — Caeterum ex sententia Palaeph. et Heraclit. Hippomenes et Atalanta, cum inter venandum se in speluncam contulissent, deuorati sunt a leone et leaena; quas feras cum comites postea exeuntes e spelunca vidissent, illos mutatos in leones crediderunt.

708 *iunctis*, scil. currui, vecta curru, cui iuncti cygni. Horat. III od. 28, 15. Venus *Paphon iunctis visit oloribus.* Veneris enim currus trahebatur modo a columbis, modo a cygnis. *Per aëra carpit iter.* Supra IV, 615. breuius, *carpebat aëra. virtus*, fortitudo, animus venatorius. *stat contraria*, non obtemperat. Pr. *contrarii stant*, qui diuersas partes aut sententias vel in acie vel in senatu sequuntur.

710 *certa* opp. obscuris. *exciri* et *excitari* e *latebris*, cubilibus, a canibus pr. drr. ferae. Senec. I. de Clem. 16. *Idem facit venator, qui instituit catulos vestigia sequi, quique iam exercitatis vtitur ad excitandas vel persequendas feras. — siluis exire.* Phaedr. I, 11, 9. ferae excitatae *exitus notos petunt.*

713 Secundum Propert. II, 10, 53. id factum in Idalio, Cypri monte. *Testis, qui niueum quondam percussit Adonem Venantem Idalio vertice durus aper.* Mortem Adonidis et aprum hunc carmine Anacreontio celebrauit Theocrit. Id. 30. Ibi aper praetendit, se id imprudentem fecisse, cum amore incensus femur Adonidis osculari voluerit. *Abdidit.* Supra IV, 718. *in armo ferrum abdidit. fulua* tantum ornat.

717 *Leui curru* v. II, 531.

719 Expressit Virg. Aen. X, 843. *Agnouit longe gemitum praefaga mali mens. — Exanimis* nunc moribundus; iactabat enim adhuc corpus. Sed Heinf. vel inuitis membranis scribendum censet, *semanimem*, vt VII, 850. *indignis.* v. ad I, 308.

724 *At.* V. ad VIII, 279. *Queri cum aliquo* illustrauit Heinf. ad Vellei. II, 130, 3. *vestri iuris* vt supra vs. 37. Non omnia, quae

Sanguine tincta suo; trepidumque, et tuta petentem
Trux aper insequitur: totosque sub inguine dentes
Abdidit, et fulua moribundum strauit arena.
Vecta leui curru medias Cytherea per auras
Cypron olorinis nondum peruenerat alis.
Agnouit longe gemitum morientis, et albas
Flexit aues illuc. Vtque aethere vidit ab alto
Exanimem, inque suo iactantem sanguine corpus,
Desiluit, pariterque sinus, pariterque capillos
Rupit, et indignis percussit pectora palmis.
Questaque cum fatis, At non tamen omnia vestri
Iuris erunt, inquit: luctus monumenta manebunt
Semper, Adoni, mei: repetitaque mortis imago
Annua plangoris peraget simulamina nostri.
At cruor in florem mutabitur. An tibi quondam
Femineos artus in olentes vertere menthas,

714 Oxon. et Gronov. *tecta petentem.* 715 Quinque, *tortosque.* Vnus Heinf. *fixosque.* 718 Vnus Baf. et margo Gryph. *penetrauerat alis.* Laudat Burm. Virg. VII, 365. *Phrygius penetrat Lacedaemona pastor.* 719 Multi, *Cognouit.* Heinf. coni. *Agnouit linguae gemitum.* 721 Vnus Ciof. et Exc. Mureti *suo versantem s.* .4 Vulg. *Et non.* 726 Sec. Medic. *redliuiaque.* Heinf. coni. *recidiuaque*, de qua voce ipse expofuit ad Claudian. Phoenic. 727 Argent. *referet sim.*

mine Anacreontio celebrauit Theocrit. Id. 30. Ibi aper praetendit, se id imprudentem fecisse, cum amore incensus femur Adonidis osculari voluerit. *Abdidit.* Supra IV, 718. *in armo ferrum abdidit. fulua* tantum ornat.

717 *Leui curru* v. II, 531.

719 Expressit Virg. Aen. X, 843. *Agnouit longe gemitum praefaga mali mens. — Exanimis* nunc moribundus; iactabat enim adhuc corpus. Sed Heinf. vel inuitis membranis scribendum censet, *semanimem*, vt VII, 850. *indignis.* v. ad I, 308.

724 *At.* V. ad VIII, 279. *Queri cum aliquo* illustrauit Heinf. ad Vellei. II, 130, 3. *vestri iuris* vt supra vs. 37. Non omnia, quae ad Adonidem pertinent, absumetis. — *imago*, repraesentatio. Similiter fere Virg. Aen. II, 269. *vbique pauor et plurima mortis imago. peraget simulamina* mera phrasis, simulabit, imitabitur. *simulamen* Ouid. voc. vt *firmamen* et alia in *amen* desinentia. Intelliguntur Adonia, quae inter Phoenices orta mox accepta sunt a pluribus gentibus. Primo die sacrorum illorum Veneris et Adonidis simulacra circumferebantur ritu funebri; mulieres laniabant capillos, percutiebant pectora palmis, addebantque et reliqua luctus signa.

729 Solent Dii sua consilia et facta aliorum Deorum auctoritatibus, more hominum, tueri. In

Perſephone, licuit? nobis Cinyreïus heros
Inuidiae mutatus erit? Sic fata, cruorem
Nectare odorato ſparſit: qui tactus ab illo
Intumuit, ſic, vt pluuio perlucida coelo
Surgere bulla ſolet. Nec plena longior hora
Facta mora eſt, cum flos de ſanguine concolor ortus,
Qualem, quae lento celant ſub cortice granum,
Punica ferre ſolent: breuis eſt tamen vſus in illo.
Namque male haerentem, et nimia leuitate cadutum
Excutiunt idem, qui praeſtant nomina venti.

733 Multi, *ſaluo perl.* 735 Vnus Heinſ. *concolor exit.* 736 Prim. Gron. *in cortice.* Quinque, *ſub vertice.* 738 Vnus Oſ. *nimia grauitate* 739 Vulg. *qui perſtant omnia*, quod Mſſ. nullis confirmatur. Mſſ. plerique, *praeſtant omnia*, vel, *praebent omnia* Septem, *praeſtant nomina*, et ſic ſeptem alii pro diuerſa lect. Arond. *praebent nomina.*

femineos artus et *heros* grauis oppoſitio. *Mentha* aut *mintha* herba, in quam Mintha nympha, Pollucis pellex, mutata erat. Lactant. Argum. Oppian. Halieut. III, 113. κῶνυτδα νύμφην vocat, quia Cocyti filia. *olentes* propter ſuauem odorem. Plin. XIX, 8. *Mentae nomen ſuauitas odoris apud Graecos mutauit, cum alioqui mintha vocaretur, vnde Noſtri nomen declinauerunt. Grato mentа menſas odore perfudit in ruſticis dapibus.* Hinc Graecis etiam ἡδύοσμος dicta. Dioſcor. III, 41. Ἡδύοσμος, οἱ δὲ μίνθην, γνώριμον βοτάνιον. v. Hemſterh. ad Ariſtoph. Plut. p. 97. — *nobis inuidiae erit*, nobis inuidiam, conuicia conciliabit.

733 Paullo breuius et obſcurius dictum. Senſum tamen aſſecutus eſt Burm. „cum pluuia cadit in aquam, ſurgit bulla ex gutta.“ *plena*, integra.

736 Malus punica ſ. granata rubicunda habet et poma et grana et flores. Schol. Nicand. ad Theriac. p. 63. Martial. I Ep. 44. Columel. X. *Punica*, ſcil. mala. IV Faſt. 607. *ſoluit ieiunia granis, Punica quae lento cortice poma tegunt.* IV Pont. 15, 8. *in horto fertilis arui Punica ſub lento cortice grana rubent.* Sed Heinſ. durior inſito, vt eſt, viſa ellipſis τὰ *mala*. Cum igitur nouem Mſſ. habeant *grana*, ſuadet, *quae lento celantur* (aut *celant ſe*,) *cortice, grana Punica* etc. aut etiam *celantur tegmine.* — *celare* paſſim pro, tegere, vt *celare ora* aut *vultus amictu.* II Faſt. 819. VI, 579.

737 *in illo*, eius. v. ad vſ. 651. *male*, non firmiter. Etiam III, 730. *frondes male haerentes.* Horat. I Sat. 3, 31. *male in pede calceus haeret.* Sed ſupra IV, 27. *non fortiter haeret aſello*, pro quo Horat. III od. 24, 55. ſimpliciter *Haeret equo*, quia *haerere* iam in ſe habet notionem imbecillitatis. *qui praeſtant nomina.* Adonidis cruor in anemonen florem mutatus eſt, qui ab ἄνεμος, a vento, nomen deducit. Plin. XXI, 23. *Flos nunquam ſe aperit, niſi vento ſpirante, vnde et nomen accepit.*

P. OVIDII NASONIS METAMORPHOSEON

LIBER VNDECIMVS.

Orpheus diſcerpitur.

Carmine dum tali ſiluas, animosque ferarum
Threicius vates, et ſaxa ſequentia ducit;

FAB. I. vſ. 1 — 66. *Orpheus* a *Bacchis* diſcerpitur, *ſerpens* autem, qui caput eius inuadebat, ab Apolline in ſaxum mutatur. Cf. Phanocles de amoribus Orphei, Pauſan. Boeot. p. 768 ſq. Apollod. I, 3, 2. Eratoſth. Κατας. cp. 24. Antigon. Mirab. cap. 5. Virg. G. IV, 520 — 27. Hygin. P. A. II, 7. Senec. Med. vſ. 625 ſqq. Tractauerat eadem Aeſchylus, vt ex Eratoſth. apparet. E Pauſan. et Hygin. d. l. intelligitur, quam variae, quamque diſſentientes fuerint Veterum de Orphei morte traditiones. Nonnulli fulmine eum ictum periiſſe memorabant, quia profanis hominibus initiorum arcana tradidiſſet. Secundum alios ipſe ſibi mortem conſciuerat, coniugis deſiderio. Plurimi tamen in eo conſentiunt, a mulieribus eum diſcerptum eſſe, quamquam id quoque magna ruſſus cum varietate narratur, vt ſuis locis videbimus.

1 Sic apud multos auctores vis carminum Orphei expreſſa legitur. Etiam in monumentis ſtipatus cernebatur feris. Pauſan. Boeot. p. 768. *animos ferarum*, feras, quibus paſſim, v. c. apud Virg. G. IV. aliquoties apibus, *animi* tribuuntur. Et vſus nunc eſt hac periphraſi, quia *animi* drr. *duci* et commoueri. Quinctil. Inſt. XII, 10. *commouendos eſſe ducendosque animos imperitorum.* Male igitur Regius vel *animos* interpretabatur ſenſus, vel *feras* homines feros, quorum animos ſane excoluit Orpheus. Horat. A. P. 391 ſqq. At Noſter, vt poſtulabat huius operis ratio, non ſenſum fabularum curauit, ſed fabulas ipſas fideliter retulit. *ſequentia ducit*, duxit, vt ſequerentur. Virg. G. I, 106. *inducit riuos ſequentes.* Quamquam *ſequi* et drr. quae facile cedunt aliis. V. ad Plin. VII Ep. 9, 11. Sed diſputant Intt. primum vtrum *ducit*, an ex aliis Mſſ. *trahit* legendum ſit? Deinde vtrum Orpheus oblectaſſe ſaxa et ſiluas dicatur, an loco mouiſſe? Burm. recte docet, vtramque notionem et vtrique verbo ineſſe, et h. l. conuenire. Etiam caeteri auctores, qui huius rei mentionem faciunt, vtroque trahunt, eumque mox *mulſiſſe*, mox *duxiſſe*, *mouiſſe*, *traxiſſe ſaxa* tradunt. Optimum ergo eſt, haec cum Burm. ita capere, mulſiſſe Orpheum carminum ſuauitate ſiluas, feras, ſaxa, eamque fuiſſe cauſſam, vt ſequerentur eius cantum.

Ecce nurus Ciconum, tectae lymphata ferinis
Pectora velleribus, tumuli de vertice cernunt
Orphea, percussis sociantem carmina neruis.
E quibus vna, leuem iactato crine per auram,
En, ait, en hic est nostri contemtor: et hastam
Vatis Apollinei vocalia misit in ora:
Quae foliis praesuta notam sine vulnere fecit.

6 Vulg. *leues auras.* Mox quatuor, *hic, hic est*, vt III, 714 sq. *ille.* 9 Quidam, *sine sanguine.* Pro *praesuta* alii, *praesumta, praetecta, praecincta, praesulta, praefixa* etc.

3 *Nurus* omnino mulieres. v. ad IX, 643. Bacchas describit a vestitu, *tectae ferinis vell.* v. ad IV, 4. *lymphata*, furore Bacchico correpta. *lymphatus* pr. cui visa in aqua Nymphae imago insaniam iniecit. *tumuli.* Nonnulli in Olympo monte, alii in Pangaeo id factum narrabant. V. Hygin. De *Ciconibus* dictum ad X, 2. *percussis* etc. accinentem sono chordarum. V, 340. *percussis subiungit carmina neruis.* I, 518. *per me concordant carmina neruis.* Chordae autem drr. *percuti, ferири, pulsari, pelli.* v. Broeckh. ad Propert. II, 1, 9.

6 *iactato crine*, more Bacchanarum. (v. ad III, 726.) et omnino fanaticorum vaticinantiumque. *nostri contemtor;* spreto enim mulierum vsu pueros amare docuerat. X, 79. Sic et Phanocl. atque Virg. Sed Pausan. Boeot. p. 768. neglectis vulgaribus opinionibus, arbitratur, Thracum mulieres succensentes Orpheo, quod huc illuc vagans maritos secum duceret, insidias struxisse vitae eius, et inebriatas aliquando perfecisse, quod antea metu maritorum non ausae essent. Hinc institutum inter Thracas, vt viri non nisi temulenti ad proelia exirent. Aeschylus ad Bacchum auctorem rem retulerat, quem Orpheus non celebrarit carmine. Alii Veneris impulsu id mulieres ausas esse tradebant. v. Hygin. d. l. *hastam*, thyrsum, de quo v. ad III, 542. *vocalia ora*, canentia, etiam V, 332. *Vocalis Orpheus* Horat. I od. 12, 9. Videtur autem laudis notio inesse interdum h. v. vt Schol. Horat. obseruat, et de iis vsurpatum esse, qui claram et sonoram vocem haberent. *vatis Apollinei*, cum delectu, quem vereri debebant, quia et Apollinis filius (v. ad X, 167.) et ab Apolline musicam edoctus. Hygin. d. l.

9 *praesuta*, vincta aut omnino, aut in anteriore parte. Cf. ad I, 699. Similiter *praetextum* occurrit, vt V Fast. 567. *Augusto praetextum nomine templum*, i. insignitum. Sed librarii cum ignorarent h. v. varie corruperunt genuinam lect. *nota*, vestigium thyrsi missi in ore remanens, vibex rubicunda aut liuida. Sic II Fast. 698. *terga notata*, quae habebant vestigia verberum. Horat. I od. 13, 12. *nota* est vestigium dentis impressi liuidum. Quod cum telum facit, cutem dr. *destringere* XII, 101. *conscribillare*, Catull. XXV, 10. et ἐπιγράφειν Homer. Il. Φ, 139.

Alterius telum lapis est: qui missus, in ipso
Aere concentu victus vocisque lyraeque est;
Ac veluti supplex pro tam furialibus ausis,
Ante pedes iacuit. Sed enim temeraria crescunt
Bella, modusque abiit, insanaque regnat Erinnys.
Cunctaque tela forent cantu mollita: sed ingens
Clamor, et inflato Berecynthia tibia cornu,
Tympanaque, plaususque, et Bacchei vlulatus
Obstrepuere sono citharae. Tum denique saxa
Non exauditi rubuerunt sanguine vatis.
At primum attonitas etiamnum voce canentis

14 Thuan. et Gronov. *vesanaque.* 16 Vnus, *afflato.* Septem, *infracto.* 18 Multi *sonum* aut *sonos*, quod et ipsum recte dr. v. Heins.

11 Ludit ingenium Ouidii, ferri tamen hic lusus potest auctoritate Mythicorum antiquiorum, qui saxa cantu Orphei delinita primi finxerant. *Victus*, vt mox *mollitus*, mitigatus, vt desisteret a volando. Vtrumque autem voc. ab iratis translatum, qui, cum ponunt iras, dicuntur *vinci* et *molliri.* Lapis missus ab irata muliere et vulnera minitans, et ipse iratus fingi potest a poetis. Idem *supplex* esse videtur, quia ante pedes procidit ritu supplicum. *furialia ausa* etiam VI, 84.

13 *Sed enim*, at vero, vt I, 530. XIII, 141. Ita etiam Lactant. Epit. 67. *temeraria cresc. b.* furiosi impetus augentur. IX, 425. *crescit turbida seditio. modus abiit*, illi impetus modum excesserunt. *insanaque* etc. Bacchae furunt insania. v. I, 241.

16 *inflato Berec. tib. cornu* Saffitius vertit: das Getöse der Hörner und der Berecynthischen Flöte, quasi duo diuersa instrumenta intelligerentur. Imo cum caeterae tibiae essent rectae, Berecynthia habebat formam curvam, s. cornu habebat adfixum. v. Vulp. ad Catull. LXII, 22. Hinc III, 530. *tibia adunco cornu*, IV Fast. 181. *inflexo Berecynthia tibia cornu flabit.* Horat. I od. 18, 13. *Berecynthium cornu.* Ab initio vsus eius erat non nisi in Cybeles sacris, quae in *Berecyntho*, monte Phrygiae, potissimum celebrabantur; sed deinde etiam in Bacchi orgiis recepta, quae cum illis sacris multa habebant communia. Eius et tympanorum sono audito in furorem agebantur Bacchae. Lucret. II, 620. Horat. III od. 15, 10. Cic. Div. I, 50. hinc *furiosa tibia* IV Fast. 341. Sonus enim eius erat acer et veluti pungens animos. *Plausus* Lenzius intel. cymbalorum. Non assentior. Plinius II Ep. 14, 13. haec Bacchanalia respiciens, *Plausus tantum*, inquit, *ac potius sola cymbala et tympana illis canticis desunt. vlulatus.* v. ad III, 528. *obstrepuere*, strepitu suo vicerunt. Tibul. II, 1, 86. *turba iocosa Obstrepit, et Phrygio tibia curua sono.*

20 Bene *attonitas* fingit, quia sic apparet, cur volucres et ferae se non subtraxerint velocitate vel alarum vel pedum. *etiamnum*,

Innumeras volucres, anguesque, agmenque ferarum
Maenades Orphei titulum rapuere theatri:
Inde cruentatis vertuntur in Orphea dextris;
Et coëunt, vt aues, si quando luce vagantem
Noctis auem cernunt: structoque vtrimque theatro
Ceu matutina ceruus periturus arena,
Praeda canum est: vatemque petunt; et fronde virenti
Coniiciunt thyrsos, non haec in munera factos.
Hae glebas, ille dereptos arbore ramos,
Pars torquent silices. Neu desint tela furori,
Forte boues presso subigebant vomere terram;
Nec procul hinc, multo fructum sudore parantes,

24 Vnus Medic. *volantem.* 26 *Ceu* e prim. Vatic. et Calandrae Exc. dedit Heins. Caeteri *vt* aut *cum.* Iunii Cod. *deprensus arena.* Post hunc in margine Cod. Leid. adscriptus erat hic vs. *Iam morsu petitur cecum totaque prementum*, quem corruptum et spurium iudicat Burm. Heins. tamen coni. *circum turbaque prementum.* 27 Vulg. *virentes.*

in illo strepitu et vlulatu. *Maenades*, Bacchae, ἀπὸ τῦ μαίνεσθαι. Notum est, *theatrum* de ipsis vel spectatoribus vel auditoribus dici. Plin. paneg. 54. Horat. I Ep. 19, 41. *titulus theatri*, gloria theatri, honorificus consessus auditorum. *nuda theatra* Orpheij ap. Claudian. II Ep. 6. *Titulus* autem sic passim. IV, 644. *praedae titulus.* VII, 56. *titulus seruatae pubis.* X, 602. *quid facilem titulum quaeris?* Sumtum est voc. a statuarum titulis, qui valde glorioſi habebantur. Duo Mss. *populum*, quod illustrat Burm. Manilii et Alciphr. exemplis, qui *populum piscium* et *altum* et ὄημον ὀρνέων dixerunt. Idem Burm. non improbat, quod quidam habent, *Orphei triumphi*, partim quia mox seq. *theatro*, partim quia *titulus* bene *triumpho* conueniret. *rapuere*, dilaniatis istis feris et volucribus. v. ad vs. 38. hinc mox ruunt *cruentatis dextris.*

23 *Verti in aliquem* impetum indicat, qui fit ab allo in alium, vt I, 235. *coëunt*, vndique confluunt. Exemplum non male delectum; sed nota negligentiam orationis, *coëunt vt aues, et ceruus praeda canum est, vatemque petunt.* — *Structum vtrimque theatrum*, amphitheatrum, in quo Romae bene *mane* venationes, sub meridiem autem ludi gladiatorii edebantur. *matutina*, quia ipse mane perit. *haec in munera*, hunc in vsum, forte quia *munera* drr. officia extrema, quae praestantur morientibus aut mortuis.

29 Eadem fuere antiquissimorum hominum arma. Lucret. V, 1282 s. *presso*, impresso. Virg. *depresso aratro.*

32 Verbis delectis molestiae agriculturae exprimuntur. *Iacertosi* aptum agricolis epithet.

Dura lacertosi fodiebant arua coloni.
Agmine qui viso fugiunt, operisque relinquunt
Arma sui: vacuosque iacent dispersa per agros
Sarculaque, rastrique graues, longique ligones.
Quae postquam rapuere ferae, cornuque minaci
Diuellere boues, ad vatis fata recurrunt,
Tendentemque manus, et in illo tempore primum
Irrita dicentem, nec quidquam voce mouentem,
Sacrilegae perimunt. Perque os, pro Iuppiter! illud,
Auditum saxis, intellectumque ferarum
Sensibus, in ventos anima exhalata recessit.
Te moestae volucres, Orpheu, te turba ferarum,

33 Vnus Medic. *fundebant.* Vnus Leid. *subigebant.* 37 Nonnulli, *minaces.*

querum *lacerti* multo labore validi facti sunt et robusti. *dura.* Horat. I Sat. I. *grauem terram. fructum*, victum. *Arma operis*, instrumenta rustica. Virg. G. I, 160. *Dicendum et quae sint duris agrestibus arma. Opus* pr. de labore rustico. *vacuos*, quia aufugerant coloni. *farculum*, σκαφεῖον, instrumentum farritionis. *rastri* magno erant pondere. Terent. Heaut. I, 1, 40. vbi Chremes eos tentauit, *Hui, tam graues hos? Ligonibus* terra eruitur. *Longi ligones* etiam 1 Pont. VIII, 59. Sed h. l. vnus Ms. *curuique*, quod Burm. rectum iudicat, quia curua ligonis forma cernitur in gemma apud Begerum Spicileg. Antiq. p. 71.

37 *ferae*, furentes Bacchae. *diuellere* Regius recte explicat, dilacerauere. A Bacchis enim angues, tauri, capri, vituli etc. ore discindi solebant, quod *bacchatim discerpere* dixit Apulei. I. v. Heins. et Burm.

39 *In illo tempore* neminem offendere debet. Laudat Burm. e Cic. Liv. et Sueton. *in hoc tempore, in tali tempore, in tempore hiberno.* Sumtum tamen h. l. est e duobus tantum Mss. cum caeteri praeferant, *atque illo.*

43 *in ventos*, in auras. V, 106. Emathion *medios animam exspirauit in ignes.* Senec. Herc. Fur. 1312. *Hanc animam in ore primo teneo.* Seneca de Ira III, 43. *spiritum exspuere.*

44 Iam epicedium additur. Et merito theatrum, quod toties cantu suo mouerat vates, nunc lugens inducitur. Ap. Claudian. d. l. Orpheo nuptias celebranti ferae et volucres munuscula conferunt. *Te, te* etc. ad imitationem Virg. G. IV, 465 s. *secutae siluae.* Horat. I od. 12. *Vnde* (ex Haemo) *vocalem temere insecutae Orphea siluae.* — *tonsa comam*, quia tonderi in luctu solebat coma, et *coma* de frondibus dr. v. ad X, 139. Et cum destringuntur folia, *tonderi coma* arborum dr. Virg. G. III, 21. *tonsae folia oliuae. ponere* capillos phrasis sollemnis. III, 506. *fessos fratri posuere capillos.* Sueton. Calig. 5. *barbam ponere.* — *lacrimis* etc. Supra I, 584. Inachus, Deus

Te rigidae ſilices, tua carmina ſaepe ſecutae
Fleuerunt ſiluae: poſitis te frondibus arbos,
Tonſa comam, luxit: lacrimis quoque flumina dicunt
Increuiſſe ſuis: obſcuraque carbaſa pullo
Naïdes et Dryades, paſſosque habuere capillos.
Membra iacent diuerſa locis. Caput, Hebre, lyramque
Excipis; et, mirum, medio dum labitur amne,
Flebile neſcio quid queritur lyra, flebile lingua
Murmurat exanimis: reſpondent flebile ripae.
Iamque mare inuectae flumen populare relinquunt.

45 Vulg. *rigidi.* 47 *comam* e quinque Mſſ. dedit Heinſ. pro *comas.* Vetuſtiores multi, *coma.* 49 Vnus Moret. *habuiſſe;* hinc Heinſ. ſuadet, *Naidas et Dryadas; paſſosque habuiſſe,* vt referatur ad τὸ *dicunt.* 54 Quinque *mari.* Pro *Methymnaeae* alii *Methymnaei,* vnus *Mitelenei,*

fluuialis, *fletibus auget aquas.* Sed nunc flumina ipſa ſuis increſcunt lacrimis, quod eſt intolerabile luxuriantis ingenii ſignum.

48 *Carbaſus*, palla carbaſina, quam humeris fere iniectam Fluvii in monumentis habent. Erat autem *carbaſus* genus lintei tenuiſſimi et pretioſiſſimi. Virg. Aen. XI, 775. Curt. VIII, 9, 21. ibique Intt. Luctus cauſſa nunc erat *obſcura*, colore *obſcuro*, i. auſtero, nempe *pullo*, i. ſubnigro. Sed *pullum* h. l. ſubſtantiue, vt Liv. IV, 25. vbi Gronov. obſervat, ſic uſurpari etiam *album* et *nigrum.* Veſtes lugubres etiam Dryades VIII, 778. ſumunt.

50 Diſcerptus eſt, vt Pentheus III, 708 ſqq. Etiam ap. Virg. *Hebrus* caput Orphei excipit, et *gurgite medio portat.* Secundum Phanocl. vſ. 11. Bacchae caput et lyram clauo compegerunt, vt ἐμφορέωντο θαλάσσῃ ἄμφω ἅμα. Idem etiam in ſeqq. expreſſus: *Eurydicen vox ipſa et frigida lingua Ah miſeram Eurydicen anima fugiente vocabat: Eurydicen toto reſerebant flumine ripae.* Sed Noſter, *neſcio quid flebile queritur.* Sic Heroidd. XVIII, 82. Alcyones *neſcio quid viſae ſunt mihi dulce queri.* Remed. 766. *Et mea neſcio quid carmina dulce ſonant.* — *queri* eleganter de flebili et molli ſono lyrae et tibiae. Horat. II od. 13, 24. *Aeoliis fidibus querens Sappho puellis de popularibus*, Lucret. IV, 588. *dulces querelas, Tibia quas fundit.* — *Murmurat.* Cf. V, 105. et VI, 558. vbi adeo, quod iure mireris, lingua iam reſecta, *terrae tremens immurmurat atrae. reſpondent*, reſonant per echo. Virg. Ecl. X, 8. *reſpondent omnia ſiluae.* Horat. I od. 12, 3. *recinere* ſic dixit. Phanocl. vſ. 16. ἦχη δ' ὡς λιγυρῆς πόντου ἔπεσχε λύρης.

54 *populare*, flumen eiusdem populi, vnde et Orpheus. Etiam I, 517. *popularia flumina*, et IX, 29. *Methymnaea*, quia Methymna vrbs celeberrima Lesbi. *potiri* ita eſt etiam XII, 38. XIII, 729. Caput Orphei fluctibus in inſulam Lesbon eſſe delatum, ibique ſepulturae mandatum plures tradiderant. Proque

Et Methymnaeae potiuntur litore Lesbi.
Hic ferus expoſitum peregrinis anguis arenis
Os petit, et ſparſos ſtillanti rore capillos.
Tandem Phoebus adeſt, morſusque inferre parantem
Arcet, et in lapidem rictus ſerpentis apertos
Congelat; et patulos, vt erant, indurat hiatus.
Vmbra ſubit terras: et, quae loca viderat ante,
Cuncta recognoſcit. Quaerensque per arua piorum
Inuenit Eurydicen, cupidisque amplectitur vlnis.
Hic modo coniunctis ſpatiantur paſſibus ambo.
Nunc praecedentem ſequitur, nunc praeuius anteit:

56 Vulg. *expoſito* et vſ. ſq. quidam *obſtitit* pro, *os petit.* Sic legit etiam Planudes, qui vertit, ἄγριος ὄφις ἀντέστη. Vnus Vatic. *anguis in herbis* Poſt vſ. 57. vulgo inſeritur hic: *Lambit et hymniferos inhiat diuellere vultus*, quem iam Cioſan. delendum iudicauit. Pro eo in Voſſ. Mſ. *Extemplo morſu cedit laniare ferino.* Heinſ. coni. *cepit laniare.* Capoſerreus cenſet, ex duobus verſibus conficiendum hunc vnum: *os petit, et ſacros inhiat diuellere vultus*, cum de capillis otioſam mentionem eſſe contendat. Multi antiqui, *ſparſo ſtillantes.* 63 Twisd. *amplectitur alis*, vt *alas* pro brachiis poſuerit.

beneficio Lesbii ad muſicam artem ingenioſiſſimi eſſe exiſtimabantur. Hygin. P. A. II. 7. Arion enim, Alcaeus, Sappho, Erinna Lesbii. Thraces contendebant, luſcinias, quae circa Orphei ſepulcrum nidos habeant, ſuauius canere, quam alibi. v. Pauſan. Boeot. p. 769. vbi plura de Orphei ſepulcro et oſſibus habes. *Lyram* Iouis et Apollinis voluntate inter ſidera retuliſſe Muſae dicuntur. Hygin. d. l.

56 *Expoſitum*, iectum. *ros*, aqua roris inſtar guttatim deſtillans, vt V, 635.

60 *Patulus*, late patens, latus. Etiam Silius III, 34. *patulus hiatus* leonis. *congelat*, in lapidem mutat, quia et *gelu* rigidum reddit. *Gelare* ſic ap. Lucan. IX, 681. *vultusque gelaſſent Perſeos aueſti.* Mox *indurat* idem, vt etiam VII, 446. et IV, 744. *indureſcere*, lapidem fieri. Alibi *dirigere* et *torpere* de ſaxea natura. Plutarcho de Flum. in Ἕβρος auctore, Orphei caput in draconem mutatum.

62 *Cuncta recogn.* Senec. Med. 632. *Contigit notam Styga. arua piorum*, campi Elyſii, quos Aeſch. Socr. III, 20. εὐσεβῶν χῶρον, Horat. Epod. XVI, 41. *arua beata* et II od. 12. *ſedes piorum*, Cic. Phil. XIV, 12. *piorum ſedem et locum* vocat. Ibi reperit Eurydicen; *Illic* enim *eſt, cuicunque rapax mors venit amanti* Tibul. I, 3, 65. Ibi etiam *Threicius longa cum veſte ſacerdos Obloquitur numeris ſeptem diſcrimina vocum.* Virg. Aen. VI, 645. — *coniunctis paſſibus*, iuxta ſe, vt alter alterius latus tegat. Sic IV, 599. de Cadmo et Harmonia in ſerpentes mutatis, *innixoque volumine ſerpunt.* Proxima *nunc praece-*

Eurydicenque suam iam tuto respicit Orpheus.
Bacchae in arbores. Non impune tamen scelus hoc sinit esse Lyaeus:
Amissoque dolens sacrorum vate suorum,
Protinus in siluis matres Edonidas omnes,
Quae fecere nefas, torta radice ligauit.
Quippe pedum digitos, in quantum quaeque secuta est,
Traxit: et in solidam detrusit acumine terram.
Vtque suum laqueis, quos callidus abdidit auceps,

70 Vulg. *videre nefas.* 72 In Mss. *declusit, demisit, desixit* etc. *acumine* legitur.

dentem etc. addidit, vt lusum illum *iam tuto adspicit* adhibere posset.

FAB. II. vs. 67—84 Bacchae, quae Orpheum discerpserant, mutantur in arbores.

68 *sacrorum vate suorum*, quia Orgia instituerat et versibus suis commendauerat. *Edoni*, Thraciae populus sic dictus ab Edono, Mygdonis fratre. v. Steph. Horat. II od. 7, 26. *non ego sanius bacchabor Edonis. Edoni* etiam montes Thraciae, in quibus Bacchi orgia praecipue celebrabantur. Trist. IV, 1. hinc Bacchus ipse *Edonus*. Remed. 593. v. Bentlei. ad Horat. III od. 25, 8. *ligauit*, firmauit, vt haererent radice pedes: *torta*. X, 490. *obliqua radix*; mox *lenta*.

71 Nesciebat Glarean. vtrum *traxit* de Baccho capiendum, an de singulis mulieribus. Fatetur etiam, se non intelligere verba, *in quantum quaeque secuta est*. Neque Saffitius horum verborum sensum assecutus est; vertitenim: er verlängerte die Zähen ihrer Füsse, womit eine jede ihm gefolgt war. Potest tamen sensus facile expediri. Nempe qui mulieres illas *ligauit*, idem etiam earum digitos *traxit* et in terram detrusit; *quippe* enim habet vim explicandi. Neque *trahere* hic est longiores reddere, quamquam id factum esse a Baccho res ipsa docet; sed vis potius h. v. declaratur, qua Bacchus pedes retinuit et in terram detrusit. *In quantum* denique est, quatenus. Quotquot secutae sunt, eas omnes mutauit. Auctoritatem τῶ *in quantum*, quam olim impugnabant Grammatici, tuetur Burm. exemplis Vellei. apud quem aliquoties illud occurrit, quamquam non vno sensu. Sed ante Ouid. neminem ita locutum esse, post alios contendit Schirach. Cf. IV, 542. tum inde a vs. 550. similia his nostris phantasmata sequuntur.

73 Cum saepius Noster mutationes in arbores descripsisset, hic exhausta fuisse videtur ingenii copia. Bene igitur fecit, quod similitudinem adspersit; qua sublata non multum commendationis habet haec sab. *callidus*, quia *abditis* laqueis aues fallit, decipit etc. quibus fere verbis vtuntur poëtae de aucupe et piscatore. *committere* nunc de auc, quae imprudens et insciа in laqueos incidit. Mox Heins. coni. *trepidante*, quod non prorsus improbo. *trepidans motus*, vt I, 506. et V, 605. *trepidans penna. Plangitur*, verberat se alis. Caeter. commode Heins. laudat Senec. de Ira III, 16. *Sic laqueos fera*

Crus vbi commisit volucris, sensitque teneri;
Plangitur, ac trepidans adstringit vincula motu: 75
Sic, vt quaeque solo desixa cohaeserat harum,
Exsternata fugam frustra tentabat. At illam
Lenta tenet radix, exsultantemque coercet.
Dumque vbi sint digiti, dum pes vbi quaerit, et vngues,
Adspicit in teretes lignum succedere suras. 80
Et conata femur moerenti plangere dextra,
Robora percussit. Pectus quoque robora fiunt;
Robora sunt humeri: porrectaque brachia veros
Esse putes ramos, et non fallare putando.

75 Barberin. *trepidus*. Supra ad III, 125. Heins. monuit scribendum, *trepido substringit*. Sic *substricta ilia, substricta crura* alibi leguntur. Idem coni. *trepidans adstr. v. motus*. aut, *trepidante motu*. Cantabr. et Iunii *vimina* pro *vincula* habent, quae Burm. de laqueis ex vimine factis accipiebat. 76 Vulg. *Sic quaecunque*, quod Heins. aboleuit trium Mss. auctoritate. 78 Duo *longa tenet*. 79 *quaerit* ex vno vetusto metri caussa praetulit Regius. Vulg. *petit*. 83 Plurimi, *longos quoque brachia veros* aut *vera*. Hinc Heins. putabat *brachia vara* aut *porrectaque brachia varos esse putes ramos*.

dum iactat adstringit, sic aues visum dum trepidantes excutiant, plumis omnibus illinunt.

78 Ingeniose *exsultantem*, quae conabatur prosilire et pedes a terra reuellere. *coercet*, retinet.

79 Cf. IV, 591. *teretes*. v. ad X, 112. *teretes suras* laudat etiam Horat. II od. 4. *succedere* tunc melius, quam *succrescere*, quod multi Mss. habent, atque etiam IX, 35. sic legitur. *Femur*. Plerumque pectora plangebantur, sed et aliae corporis partes.

83 *veros*. v. ad X, 230. vnde apparebit, superfluas esse h. l. Iutt. emendationes. Lusit rursus Ouidius, more suo.

FAB. III. vs. 85—145 *Midas*, rex Phrygiae maioris, impetrauit a Baccho, vt quidquid attingeret, aurum esset. Quo munere instructus cum fame cruciaretur, Bacchus iussit, vt se abluere in Pactolo fluuio. Quo facto ille redit in pristinum statum, fluuius autem aurum ferre coepit. Cf. Hygin. fab. 191. Conon. ap. Phot. cp. 1. Seruius ad Virg. Ecl. VI. et Aen. X, 142. Maxim. Tyrius Serm. 30. Narrauerat haec et Theopompus. Nempe Phrygiae regnum Gordius condidit, cuius filius Midas ei successit a. 1428. ante aer. Christ. Fabulam autem de auro eius inde ortam credit Goguet de Origine artium To. II. p. 266. quod Midas terrae suae prouentum bene vendiderit, mercaturamque, quae tropo non admodum duro dici possit omnia in aurum mutare, promouerit. Certe etiam nos dicimus de colonis, qui agrorum suorum prouentum bene vendunt, sie wissen ihre Producte zu versilbern. Ancoram inuenisse Midas traditur a Pausan. Attic. p. 12. quemadmodum ad Demodicen, vxorem eius, artem signandi nummos referebant. Pollux lib. VII. cp. 6. §. 181. Dini-

Nec satis hoc Baccho est: ipsos quoque deserit agros,
Midas aureus Cumque choro meliore, sui vineta Tymoli,
Pactolonque petit: quamuis non aureus illo
Tempore, nec caris erat inuidiosus arenis.
Hunc adsueta cohors Satyri, Bacchaeque frequentant.
At Silenus abest. Titubantem annisque, meroque
Ruricolae cepere Phryges, vinctumque coronis
Ad regem traxere Midan; cui Thracius Orpheus

86 Quidam, *pineta, dumeta, spineta.* 88 Quatuor, *nec fulvis.* 89 Quinque, *Bacchaeque sequuntur.* 91 Quidam, *vinetumque cinctumque catenis.* Quatuor, *colonis.* Tunc legendum. 92 Vulg. *Midam.* Arondel. *duxere.*

tiae Midae in prouerbio erant. Tyrtaeus III, 6. Plin. XXXIII, 15.

85 E Thracia transimus in Lydiam et Phrygiam. *Non satis ei est,* cuius ira non mitigata est vno supplicio. *chorus* Bacchi voc. proprio *thiasus* dicebatur. v. ad III, 529. De *vinetis Tymoli* v. ad VI, 15. *sui* propter vineta. Maluit *aureus*, quam auriser, quia ex mente poetae etiam aqua Pactoli aurea fuit. v. vs. 142. *inuidiosus arenis*, praeclare, cuius arenas cum inuidia expetebant homines. Sic supra IX, 10. *inuidiosa spes. carae*, pretiosae.

90 *Silenus*, praeceptor et comes Bacchi, princeps istius chori, quem adeo statim desiderat, et de cuius absentia sollicitus est Bacchus. Bene ergo hoc admonitum, *At Silenus abest.* Hygin. d. l. *Eo tempore Liber pater cum exercitum in Indiam duceret, Silenus aberrauit, quem Midas exceptum hospitio liberaliter accepit, atque ducem dedit, qui eum in comitatum Liberi deduceret.* In Phrygiam aufugerat auctore Lact. in Arg. Silenus et senex et semper ebrius, hinc, *titubantem* etc. Ebrii descriptionem elegantem habes VI Fast. 677 sqq. *conuiuae valido titubantia vino membra mouent, dubii stantque labantque pedes.* Vinum in fontem infudisse Midas traditur, vt inebriatum Silenum caperet; isque fons *Midae fons* appellatus serioribus adhuc temporibus ostendebatur. Xenoph. de Cyri Exped. 1. init. Pausan. Attic. p. 12. Max. Tyrius Serm. 30. Ab hoc Sileno varia edoctus est. Vnum ex eo genere sermonem habet Aelian. V. H. III, 18. vbi Perizon. obseruat, finxisse Midam haec, vt tanto maiorem legibus suis sanctitatem adderet.

91 *Vinctum coronis* Gruter. ad Liv. XXXIII, 46. explicabat, circumcinctum orbibus agricolarum. Sed satis eam ob caussam castigatus est a Burm. qui *coronas* intell. quas Silenus indulgens vino solebat capiti imponere, quibus Phryges pro vinculis vsi sint, vt ap. Virg. Ecl. VI, 19. *Iniiciunt (Sileno) ipsis ex vincula sertis.*

92 Iustin. XI, 7. *Post hunc* (Gordium) *filius Mida regnauit, qui ab Orpheo sacrorum sollemnibus initiatus, Phrygiam religionibus implenit, quibus tutior omni vita quam armis fuit.* Adde Conon. ap. Phot. I. p. 424. — *Eumolpos* tres habuit antiquitas. Primus fuit Thrax, Neptuni et Chiones filius, qui vixit tempore Erechthei, contra quem Eleusinios incitauit. Inter hos mysteria instituit. V. Heyne ad Apollod. 3, 15, 4. Eius posteri sedem fixisse Eleusine videntur, et cum Athenienſibus matrimonia iniisse. Hinc Athenis natus noster Eumolpus, Musaei filius, Orphei discipulus, qui etiam Herculem ab inferis reducem initiauit. Sed confusi fere sunt a Veteribus, etiam a Nostro III Pont. 3, 41. primus et hic tertius Eumolpus. v. Micyll. et Burm.

Orgia tradiderat cum Cecropio Eumolpo.
Qui simul agnouit socium, comitemque sacrorum,
Hospitis aduentu festum genialiter egit
Per bis quinque dies, et iunctas ordine noctes.
Et iam stellarum sublime coëgerat agmen
Lucifer vndecimus, Lydos cum laetus in agros
Rex venit, et iuueni Silenum reddit alumno.
Huic Deus optandi gratum, sed inutile, fecit
Muneris arbitrium, gaudens altore recepto.
Ille male vsurus donis, ait, effice, quicquid
Corpore contigero, fuluum vertatur in aurum.
Adnuit optatis, nocituraque munera soluit
Liber; at indoluit, quod non meliora petisset.
Laetus abit, gaudetque malo Berecynthius heros;
Pollicitamque fidem tangendo singula tentat.

94 Vndecim, *Quem simul.* 98 Argentin. *Ientus*, quod Heins. verum putabat, quia et ap. Calpurn. Ecl. VII. *Lentus venis.* Temere. 100 Vulg. *optanti.* 104 Gronov. et quatuor alii, *adnuit optanti.* 107 Quidam, *pollicitisque, pollicitoque, pollicitaque.*

95 *genialiter*, ita vt genio indulgeretur, laute et hilariter. Fast. III, 523. *festum geniale.* V. ad IV, 14. *ordine*, continuas. Virgil. G. IV, 507. *septem ex ordine menses.* Hoc Claudian. IX, 4. vocat *epulis continuare dies.*

97 Cf. II, 114 s. ibique not. *laetus* ob inuentum Silenum festumque genialiter actum. *iuueni*, Baccho, cui aeterna iuuentus. IV, 26.

100 Lactant. Argum. *optandi veniam dedit.* Hygin. *deoptandi dedit potestatem, vt quidquid vellet peteret a se. — facere arbitrium* vt *facere copiam. inutile*, pernicioſum.

106 *Berecynthius* non Phrygius, sed Cybeles Berecynthiae filius, quia additur *heros*, i. Deae filius. Sic *Philyreius heros, Neptunius heros* etc. Hygin. d. l. *Midas rex Mygdonius, filius matris Deae.* Lactant. in Argum. fab. IV. *Qui tamen fertur Midas esse Matris Magnae filius: sic enim cum Hesiodo consentit Ouidius. malum*, donum, quod ipsi mox erit pernicioſum. Praeferendum igitur *malo τῷ datis*, quod ab aliis defenditur. *Pollicitam fidem tentat*, periculum facit, an fides habenda promissis. v. ad vs. 135. Sed sic ex vno Ms. dedit Heins. pro *Pollicitique*, quod tuetur Schirach. quia nefas sit vni Cod. fidem habere, caeteris renuenti-

Vixque ſibi credens, non alta fronde virentem
Ilice detraxit virgam: virga aurea facta eſt.
Tollit humo ſaxum: ſaxum quoque palluit auro.
Contigit et glebam: contactu gleba potenti
Maſſa fit. Arentes Cereris decerpſit ariſtas:
Aurea meſſis erat. Demtum tenet arbore pomum:
Heſperidas donaſſe putes. Si poſtibus altis
Admouit digitos: poſtes radiare videntur.
Ille etiam liquidis palmas vbi lauerat vndis,
Vnda fluens palmis Danaën eludere poſſet.
Vix ſpes ipſe ſuas animo capit, aurea fingens
Omnia. Gaudenti menſas poſuere miniſtri,

108 Quatuor, *fronte.* 111 Heinſ. coni. *vt glebam*, et mox, *meſſis erant*, nempe *ariſtae.* 112 Sprotii liber, *Cererem.* Tunc Heinſ. volebat, *arentis Cererem d. ariſtae*, Burm. vero *arenti ariſtae*, vt *Cores* ſint ſpicae vel grana, vnde panis conficitur, vt VIII, 292. et paſſim. 116 Heinſ. malebat, *Illi.* 117 Octo, *deludere*, et deinde multi addunt vſ. hunc, *corporis et membris reſplenduit aureu veſtis*, vel *e membris.*

bus. Illud magis poëticum, ſenſus tamen manet idem. Faſt. III, 366. *pollicitum addere dictis fidem*, Pſeudo-Lactant. de Paſcha vſ. 65. *pollicitam redde fidem. ſingula*, aliud poſt aliud. Amorr. I, 5. *ſingula cum miror.* Sic aliquoties Phaedrus.

108 *ſibi*, ſuae arti, vix credebat prae nimia laetitia. Iam ſuo modo Noſter recenſet ſingula experimenta, quae fecerit Midas, ſed modum rurſus ſeruare neſcivit. Cum igitur in tanto experimentorum numero orationem variare vellet, ne *τὸ aureus* toties repeteretur, verbis interdum incommodis, nec ſatis definitis vſus eſt, v. c. vſ. 112. *fit maſſa;* qualis tandem? vſ. 115. *radiare* etiam de argento, gemmis etc. dr. vſ. 122. *rigere* vel maxime de ferro et lapidibus vſurpatur, neque adeo illa vocc. auro ſunt propria. Melius eſt, quod bis ad fabulas alluſit, vſ. 114 et 117. Cf. qua formam VIII, 25 ſqq.

110 *paſſere* recte de auri colore. Bene *potenti* contactu propter magnam vim. Amat Noſter h. v. apud quem *potentes herbae, potentia verba, potens forma* etc. *meſſis* de paucis ariſtis, ſed quae maximi pretii eſſent. *demtum*, decerptum. Etiam Heroidd. XX, 9. *demtus ab arbore foetus.* Supra I, 492. *demtae ariſtae.*

114 *altis*, quippe in regia. *eludere*, decipere, vt VI, 103. Poſt haec felicia experimenta *Vix ſpes ipſe ſuas animo capit.* Praeclare! non cogitare omnia ſimul poteſt, quae deinceps aurea facturus eſt noſter alchymiſta. Sed mox mutabitur ille affectus animi.

119 *menſas poſuere.* vid. ad IX, 92. *exſtructas* verb. delectum pro vulgari, inſtructas; illud enim majorem copiam ciborum declarat, quibus inſtructa erat beati regis menſa. Cic. Tuſc. V, 21. *menſae conquiſitiſſimis epulis exſtruebantur.* — *toſtae frugis.* Priſcae gentes toſtis igne gra-

Exſtructas dapibus, nec toſtae frugis egentes.
Tum vero, ſiue ille ſua Cerealia dextra
Munera contigerat; Cerealia dona rigebant:
Siue dapes auido conuellere dente parabat:
Lamina fulua dapes, admoto dente, nitebant.
Miſcuerat puris auctorem muneris vndis:
Fuſile per rictus aurum fluitare videres.
Attonitus nouitate mali, diuesque, miſerque,
Effugere optat opes: et, quae modo vouerat, odit.
Copia nulla famem releuat: ſitis arida guttur
Vrit, et inuiſo meritus torquetur ab auro.
Ad coelumque manus, et ſplendida brachia tollens,
Da veniam, Lenaee pater; peccauimus, inquit;
Sed miſerere, precor, ſpecioſoque eripe damno.

120 Tres, *coctae frugis.* 126 Duo, *fluxile.* 128 Heinſ. coni. *quas modo*, ſcil. opes. 133 Tres, *pretioſoque eripe.*

nis veſci ſolebant; atque etiam ſerioribus temporibus far igni torrebatur, vt facilius mola frangi poſſet. VI Faſt 313 ſqq. Virg. G. I, 267. Plin. XVIII, 2.

124 Perquam incommode hic *nitoris* mentio fit. Dentibus enim *rigor*, non nitor ſentitur. Parum igitur h. l. conſulebat Burm. qui coni. *virebant*, quod et ipſum de colore auri adhibetur. Melius eſt, quod multi Mſſ. habent, et quod Nauger. in poſtrema edit. expreſſit, *premebat.* Senſus: lamina fulua obduxit dapes, cum deus admouebatur. Sic *premere* eſt IX, 353. *lentus premit inguina cortex.* Mihi tamen ex noveni Mſſ. non diſplicet, *rigebant*, et tunc verſ. 122. hoc verb. in *nitebant* mutandum erit. Facile haec duo verba ſic transponi et permutari a librariis potuerunt.

125 Vinum per metonymiam dici *Liberum* ſatis notum eſt. Sed quid Ouidius? Abuſus illa poëtarum licentia *auctorem muneris* dixit, quaſi ipſum Deum miſcuiſſet. *fuſile*, fuſum.

127 Breuiter, ſed grauiter ſortem Midae notat, *diuesque miſerque*, quae verba ſic conjuncta animum legentis ferunt propter opinionem vulgi, quae a diuitiis non diiungit beatitatem, et propter deſtratam Midae ſpem. *nouitate mali*, inuſitato et inaudito malo. Bene *effugere*, quia quocunque fugiebat, vim illam omnia mutandi in aurum ſecum ferebat. *ſitis arida*, e Lucret. VI, 1174. quia ſitientes aridum habent guttur. *Vrit* convenit ardentiſſimae ſitis cruciatibus. Schol. Ariſtoph. ad Plut. vſ. 287. tradit, Midan hac fame abſumtum periiſſe.

131 *ſplendida.* Etiam veſtes auream naturam a corpore rapuerunt. Hoc certe dicit verſus is, qui poſt v. 117. a multis Mſſ. inferitur, *Corpora et* (alii *e*) *membris reſplenduit aurea veſtis*, quem ego non plane repudiem. Lenzius putat, ipſa brachia auro fuiſſe obducta. Dura vero eſt altera eius ratio, qua *ſplendentia* explicat, quae tactu omnia mu-

Mite Deûm numen Bacchus peccaſſe fatentem
Reſtituit, pactamque fidem, data munera, ſoluit.
Neue male optato maneas circumlitus auro,
Vade, ait, ad magnis vicinum Sardibus amnem,
Perque iugum montis labentibus obuius vndis

138 *Vndis* pro *vlnis* e Mſſ. dedit Ciofan. Tum *ripae* in *montis* mutauit Heinſ. quatuor Mſſ. auctoritate. Malit tamen *Tmoli* aut *rupis*. Quidam, *vitae*.

tarint in aurum ſplendidum. Idem monet, e verbis *ad coelum tollens* apparere, Bacchum tum fuiſſe in coelo, et inde vſ. 136 reſponſum dediſſe. Equidem putem, verbis illis nil niſi geſtum precantium notari. *damnum*, malum, quod nobis damno eſt. *ſpecioſum*, ſplendidum. Hygin. *ſpecioſum donum*. Burm. comparat ex Alciphr. III, 38. λαμπρὰν ζημίαν, ſed id ibi potius manifeſtum incommodum ſignificat.

134 Heinſ. *Mite Deum numen* dictum putat pro, mitiſſimum Deorum numen, vt alibi *magna Dearum* pro, maxima. Malit tamen *Deum* mutari in *reum*, vt alluſum ſit ad confitentes reos; idque illuſtrat ex Pont. II, 6, 8. *aſpera confeſſo verba remitte reo*. Burm. coni. *Mite Deus numen B.* Quae coniecturae ſupéruacaneae eſſe videntur, ſi *Deum numen* pro mera periphraſi Dei ipſius habeamus. Bacchus, qui mitis Deus eſſe ſolet, reſtituit etc. Certe ap. Virg. plus ſemel *numen Deum* eſt Deus. Quod v. c. Homer. dixerat ἄνευθε θεᾶ, id Aen. II, 777. reddit, *ſine numine diuum*. v. ibi Heyn. *Mitis*, qui finit ſe exorari. *Reſtituit* abſolute, aut addito τῷ *ſibi* in iure drr. qui in priſtinum ſtatum reſtituuntur, et h. l. quibus redditur priſtina natura. Lactant. in Argum. *Cui Deus vt reſtitueretur ſibi fecit*.

135 *Fides* interdum i. q. promiſſum. v. Gronov. ad Senec. IV. de Benef. ep. 35. Sed plerumque additur *pacta* aut *pacti* (nam vtrumque recte dr. et vtriusque generis exempla congeſſit Heinſ.) vt vſ. 107. *pollicita fides*. Per appoſitionem additur, *data munera*. — *ſoluit* Regius explicat, reſoluit, irritam fecit. Sic et Lenzius, qui comparat *pactum, foedus ſoluere*. Burm. punctum ponit poſt *reſtituit*, et *ſoluit* mutat in *ſolvi*, vt Bacchi haec ſint verba, ad quae iam pertinet, quod demum vſ. 137. ſequitur, *ait*. Alteram illam lect. debemus ingenio Heinſ. cum antea legeretur nullo ſenſu: *factique fide data munera ſoluit*. Varietates Mſſ. ſunt, *pactique, fidem, factaque fide, factamque fide*.

136 *circumlitus*, cuius vel cutis vel veſtis auro obducta. *amnis*, Pactolus, qui e Tmolo prorumpit et medias Sardes perfluit. Herodot. V, 101. Strabo XIII. p. 625. Plin. V. 29. *magnis Sardibus*. Obſeruat Burm. *magnas vrbes* Noſtrum paſſim vocare metropoles. v. c. Heroidd. VII, 165. *magnas Mycenas*, infra XIV, 457. *magnam Diomedis vrbem*. Supra VII, 553. *magna vrbs*, caput Aeginae inſulae. Et credibile eſt, magno ambitu fuiſſe Sardes. Certe Herodot. qui Cadytim πόλιν μεγάλην vocat, addit, Σαρδίων ἐὸν πολλῷ ἐλάσσονα. *Vade*, nempe ex agris Lydiae, vbi nunc verſaris. Nondum enim in Phrygiam redierat, ſed vſ.

Carpe viam; donec venias ad fluminis ortus:
Spumiferoque tuum fonti, qua plurimus exit,
Subde caput, corpusque ſimul, ſimul elue crimen.
Rex iuſſae ſuccedit aquae. Vis aurea tinxit
Flumen, et humano de corpore ceſſit in amnem.
Nunc quoque iam veteris percepto ſemine venae
Arua rigent, auro madidis pallentia glebis,
Ille, peroſus opes, ſiluas et rura colebat,

Midae aures.

141 Gronov. Sprot. Thuan. *ablue*.

106 e Bacchi tantum conſpectu *abierat laetus*.

140 *qua plurimus exit* indicat, iam ab origine maximum eſſe fluuium. Sic Virg. Aen. I, 419. de magno monte, *qui plurimus vrbi imminet*. Supra VIII, 584. *plurimus amnis*, maximus.

142 *ſuccedere*, accedere. v. ad III, 165. *vis aurea*, vis, poteſtas omnia in aurum mutandi, quae paullo ante *crimen* vr. quia per ſtultitiam ſuam eam impetrauerat Midas. Lenzius *crimen* intel. preces temerarias, quae lauando, vt culpa luſtrando, ablui potuerint. *tinxit*. Hinc Lactant. in Argum. *aqua aurei coloris eſſe coepit*, Claudian. in Eutrop. II, 260. *nec miror aquas radiare metallo, Quae toties lauere Midam*. At ille tantum, vt hodie etiam Rhenus et Tagus, χρυσῆ ψῆγμα πολύ, multa rāmenta aurea, ſecum ferebat, inde dictus *Chryſorrhoas*, notante Plin. *Rutila ei arena* tribuitur a Iuuenal. XIV, 112. Hinc *Lydium aurum* et *Paſtoli diuitiae* prouerbialiter dici coeperunt de re pretioſa et ſummis diuitiis. Horat. Epod. XV, 20. *Paſtolus tibi fluat*.

144 *Nunc quoque* etc. Id falſum eſt; nam Strabo, qui et ipſe Auguſti tempore floruit, ſcribit, Νῦν δὲ ἐκλέλοιπε τὸ ψῆγμα. Multo minus *arua* vmquam vicina riguerunt auro. Sed ita et alii poëtae. Virg. Aen. X, 142. *Paſtolos culta irrigat auro*. Propert. I, 6, 31. *Lydia Paſtoli tinguit aratra liquor*. Senec. Phoen. 604. *Opulenta Paſtolus inundat auro rura*. Vis aurea comparatur cum *vena* in metalliſodinis. Pro *iam* Burm. malit *tam veteris*; ita enim augeri miraculum ex tam antiquo tempore adhuc venam auream ſuffi-cere.

FAB. IV. vſ. 146 — 193 Midas cum certamini muſico Apollinis et Panis interfuiſſet, principatumque ad Pana detuliſſet, ab Apolline accipit aſininas aures, idque dedecus vnus ex famulis ſingulari quodam modo in vulgus effert. Cf. Hygin. fab. 191. Fulgent. Mythol. III, 9. Nicephor. narrat. III. ab Allatio editus. Suidas in *Μίδας*. Tractarant haec et Heſiod. quem conſentire cum Noſtro Lactant. in Arg. ait, et Soſibius tragicus. Varie Veteres hanc fab. interpretati ſunt. v. Schol. Ariſtoph. ad Plut. vſ. 287. vbi complures ſententias recenſet, v. c. eum habuiſſe ὠτακουστάς, i. delatores, qui quaecunque audiuiſſent, ad eum deferrent, aut eum habuiſſe vicum Aures aſini dictum etc. Lenzius monet, mythi huius tractationem deberi dramati ſatyrico, quo Panis et Apollinis certamen expoſitum ſit. Copioſe de Mida egit Simſonius in Chron. ad a. 2308.

146 *Ille* Burm. mutatum malit in *Inde*, i. ideo, vel ab eo tem-

Panaque montanis habitantem ſemper in antris.
Pingue ſed ingenium manſit: nocituraque, vt ante,
Rurſus erant domino ſtolidae praecordia mentis.
Nam, freta proſpiciens, late riget arduus alto
Tmolus in adſcenſu, cliuoque extentus vtroque
Sardibus hinc, illinc paruis finitur Hypaepis.
Pan ibi dum teneris iactat ſua carmina Nymphis,
Et leue cerata modulatur arundine carmen;
Auſus Apollineos prae ſe contemnere cantus,
Iudice ſub Tmolo certamen venit ad impar.

147 Complures, *in aruis.* 150 Quidam *alte.* 151 Vulg. *extenſus.*

pore. Relicto aulae ſplendore *ſiluas et rura*, vitam ruſticam, praeferebat. Ita enim *colere* hic accipi poteſt; praeferre, priore loco habere, vt Virg. G. II, 413. *Rus exiguum colito.* Idem *colebat*, venerabatur, Pana. In dilogia ergo verb. poſitum more poetarum. De *antris* Panis v. ad I, 699. et Barnef. ad Eurip. Ion. 402. *pingue*, ſtolidum, vt Horat. I Sat. 3, 58. *praecordia* ponuntur pro corde, deinde pro animo et mente, hinc nunc *praecordia mentis*, mens, ſorte ad Homeric. ἐν φρεσὶ θυμός. *Mens animi* Plaut. dixerunt et Catull. v. Schrader. ad Muſaeum p. 192. Soſibius ei tribuit νῶν φωτὸς ενῆθεσι

150—52 Inter Sardes et Hypaepas extenditur *Tmolus*, mons latus et altus. Hoc ornate extulit. *proſpicere*, ex alto et longinquo loco deſuper inſpicere (II, 90. VIII, 338.), eleganter de aedibus dr. in montibus ſitis, (Phaedr. II, 5, 10.) atque etiam de montibus ipſis, vnde proſpectus eſt aliquo, vt h. l. in *freta*. *Riget* Saffius vertit, Er hat hieſelbſt vom weiten ein froeliches und lachendes Anſehen, quaſi legerit *videt*. At ego hanc varietatem nuſpiam notatam repeti, neque vatius et arduus mons *videre* dici poſſet. Sed pro ſimplici *eſt* aut *ſtat* maluit exquiſitius *riget*, quod bene convenit naturae montium. Lactant. Inſt. 2, 17, 9. *hominem rigidum figurauit*, i. rectum. Opif. 8, 2. *hunc ad coeli contemplationem rigidum erexit.* Quia ipſe *altus*, hinc etiam *altum* habet *adſcenſum*. *In* redundanter additum. *cliuus vterque*, vtrumque latus montis. Sardes *in latere Tmoli* ponit etiam Plin. H. N. V, 29. De *paruis Hypaepis* v. ad VI, 13. *Tmolus*, paullo ante *Tymolus* ſcribebatur; Graecis enim eſt Τύμωλος et Τμῶλος. Plin. d. l. *Tmolus*, *qui antea Tymolus appellabatur.* Sed iam ap. Homer. Il. β, 866. occurrit Τμῶλος.

153 Pana elatum fuiſſe ſua arte e ſeqq. apparet. Bene igitur *iactat ſua carmina*, cantat ſe oſtentandi, gloriae quaerendae cauſſa. De *nymphis* Tmoli cf. VI, 15. *leue*, paſtoritium. *cerata arundo*, ſiſtula paſtoritia ceris glutinata, de qua v. ad I, 710. *modulari carmen*, vt ap. Virg. Ecl. X, 51. *carmina paſtoris Siculi modulabor auena*, et ſaepe. v. Burm. Sed et *moderatur*, quod habent multi Mſſ. et quod Heinſ. placet, ferri poſſet, quandoquidem paſſim occurrit *moderari* lyram, fides, carmen, quamquam in plerisque locis Mſſ. non minus variant, quam h. l. Sed miror, Burm. non inelegantem viſam eſſe vnius Leid. Cod. lect. *iaculatur*. Dicit quidem, ſe id illuſtraſſe ad Petron. cp. 109. ſed vereor, vt ibi ſatis idoneis exemplis vſus ſit. Vnus *meditatur*.

Monte ſuo ſenior iudex conſedit; et aures
Liberat arboribus. Quercu coma caerula tantum
Cingitur; et pendent circum caua tempora glandes.
Isque Deum pecoris ſpectans, In iudice, dixit,
Nulla mora eſt. Calamis agreſtibus inſonat ille:
Barbaricoque Midan (aderat nam forte canenti)
Carmine delenit. Poſt hunc ſacer ora retorſit
Tmolus ad os Phoebi: vultum ſua ſilua ſecuta eſt.
Ille caput flauum lauro Parnaſide vinctus

160 Et hic Burm. mallet, *Inde Deum.* 163 *Delenit* pro *deliniit*, ex Florent. S. M. reſtituit Burm. et ita ſemper ſcribendum iudicat. Antiqui plurimi mox, *ora reſolnit.* Vnus Vatic. *remiſit.* 164 Sex non ineleganter, *dominum ſua ſilua* ſecuta eſt.

157 *Tmolus*, Deus montis Tmoli, (vt alibi v. c. Inachus Deus fluuii Inachi) deſcribitur. Cf. deſcriptio Atlantis apud Silium I, 205 ſqq. *Conſedit*, more iudicum, vnde *ſedere* pr. de iudicibus. Cinctus erat *arboribus*, coronis variarum arborum, quia montis cacumen arboribus conſitum. Eas nunc deponit, ſed pro eo melius, *liberat arboribus;* auribus enim apertis opus erat in hoc certamine muſico. *coma caerula*, quia arbores et montes longinqui caerulum colorem referunt. *caua tempora* ingenii ſummi acumen praeſe ferre putat Ciofan. At etiam equis, iuuencis, aliisque animantibus *caua tempora* tribuuntur, et Atlanti monti apud Sil. d. l. Eſt potius epitheton ornans et ſollemne temporum, quae depreſſiora caeteris partibus.

161 *Inſonat* nunc actiue, canit. Primus Medic. *intonat*, quod placet Heinſ. *barbaricum carmen* Saffius interpretatur barbariſche Toene. Sic et Rode atque Lenz. Imo *barbaricum* eſt Phrygium. Virg. Cir. 166. *barbarica ὄγκους*, tibia Phrygia. Eurip. Iph. Aul. 576. Paris βάρβαρα συρίζων Φρυγίων αὐλῶν. Et *Phrygius modus*, qui nullos habebat modulos. Ariſtot. Probl. ſect. XIX § 49 atque in ſacris adhibebatur, Porphyrio dr. βάρβαρος. Phrygio carmine Phrygiae regem delenit. *aderat forte* cum multis aliis auditoribus. v. vſ. 173. Apud Fulgent. Midas iudex ſedet in certamine Marſyae et Apollinis. *ſacer*. vt VIII, 597. *ſacri amnes. vultum* etc. nil aliud niſi, caput retorſit cum ſuis frondibus. Lenzius tamen hoc ineſſe putat, arbores frondesque auſcultandi cauſſa ſponte eſſe ſecutas.

165 Nunc Apollo prodit et doctus et artifex, et egregie ornatus. Qui hic deſcribitur, habitus erat citharoedorum. Auct. ad Heren. IV, 47. *Vti citharoedus, cum prodierit, optime veſtitus, palla inaurata indutus cum chlamyde purpurea, coloribus variis intexta et cum corona aurea ma-*

Verrit humum Tyrio ſaturata murice palla:
Inſtructamque fidem gemmis, et dentibus Indis
Sustinet a laeua: tenuit manus altera plectrum.
Artificis ſtatus ipſe fuit. Tum ſtamina docto
Pollice ſollicitat: quorum dulcedine captus
Pana iubet Tmolus citharae ſubmittere cannas.
Iudicium ſanctique placet ſententia montis
Omnibus. Arguitur tamen, atque iniuſta vocatur
Vnius ſermone Midae. Nec Delius aures
Humanam ſtolidas patitur retinere figuram;
Sed trahit in ſpatium, villisque albentibus implet,
Inſtabilesque imo facit, et dat poſſe moueri.
Caetera ſunt hominis: partem damnatur in vnam:

169 Vnus, *tum carmina.* 173 Voſſian. *iniuſta notatur:* non male. 176 Quidam, *villisque ardentibus.* Heinſ. conl. *horrentibus.* 177 Vulg. *illas facit.* Quidam, *imas, ime, imo*, quod poſtremum recepit Heinſ.

gnis fulgentibus gemmis illuminata, citharam tenens exornatiſſimam, auro et ebore diſtinctam, ipſe praeterea forma et ſpecie ſit et ſtatura appoſita ad dignitatem. Cf. Tibul. I, 1, 4, 25 ſqq. *Palla* veſtis longior deorum dearumque, vatum, citharoedorum et tragoedorum cum longo ſyrmate. v. Chriſtius de Imagg. Muſarum p. 5. et Brouckh. ad Tibul. IV, 6, 13. *ſaturata Tyrio murice*, ſatis imbuta colore purpureo. *Satur color* e Plinio notus. Longior illa veſtis, quae fere dr. *fluere*, *fundi*, *defluere ad pedes*, *ferrire pedes*, nunc *verrit humum*, vt VII, 706. in excellentiſſima Boreae deſcriptione. Horat. A. P. 215. *traxit vagus per pulpita veſtem.* Tibul. d. l. *Ima videbatur talis illudere palla.* Sed pro *verrit* h. l. vnus Mſ. Baſil. *fulcat*, ſatis eleganter. Claudian. in Eutrop. II, 300. *currus fulcat iuga. fides*, cithara. Horat. I od. 17, 18. *fides Teia*, lyra Anacreontis Teii. Gloſſar. Graeco-Lat. *Fidis*, λύρα, κιθάρα. Erat *inſtructa*, culta, ornata. v. Heinſ. ad Faſt. II, 318. Apulei. Florid. I. de Apolline, *Quid quod et lyra eius auro fulgurat, ebore candicat, gemmis variegatur.* A Tibul. d. l. ei tribuitur, *fulgens teſtudine et auro lyra*, et IV, 3, 22. *teſtudinea Phoebe ſuperbe lyra.* Sed h. l. plurimi, *diſtinctamque*, quod nollem ab Heinſ. quatuor Codd. auctoritate mutatum. Non nego, *inſtructum* dici pro, ornatum, ſed *diſtinctum* elegantius multo verb. eſt, quod vſurpatur de rebus, quae diſperſis ornamentis variegata ſunt. Sic pocula *diſtincta* gemmis, prata *diſtincta* floribus, coelum *diſtinctum* ſtellis, paſſim et eleganter. *ipſe*, veriſſimus. *ſtatus artificis*, die Stellung eines Virtuoſen. Eſt etiam oratoribus ſuus *ſtatus*, Cic. Or. I, 59. quem deſcribit Quinctil. Inſt. Or. I, 11, 16. *flamina*, chordae. Supra *fila ſonantia*. Laudat Burm. e Catalect. Pith. IV. p. 157. *Muſica contingens ſubtili flamina pulſu.*

Induiturque aures lente gradientis aſelli.
Ille quidem celat, turpique onerata pudore
Tempora purpureis tentat velare tiaris.
Sed, ſolitus longos ferro reſecare capillos,
Viderat hoc famulus. Qui, cum nec prodere viſum
Dedecus auderet, cupiens efferre ſub auras,
Nec poſſet reticere tamen, ſecedit; humumque
Effodit, et, domini quales adſpexerit aures,
Voce refert parua, terraeque immurmurat hauſtae.
Indiciumque ſuae vocis tellure regeſta
Obruit, et ſcrobibus tacitus diſcedit opertis.
Creber arundinibus tremulis ibi ſurgere lucus

181 Duo, *velare coronis.*

— *ſollicitat*, percutit, pulſat; nam *ſollicitare* omnino eſt, ſaepius mouere, vt *ſollicitare mare, humum. pollice.* Paullo ante *plectrum* commemoratur. Nempe chordae pulpa digitorum pulſabantur, ſed in clauſulis ad pleniorem harmoniam plectro plures chordae vno ictu tangebantur. V. Gelnerum ad Claudian. 34, 15.

171 *ſubmittere*, poſtponere, fateri eas inferiores eſſe lyrae Apollineae.

176 Diligenter et ingenioſe deſcribit, more ſuo, naturam aurium aſininarum. Bene *trahit in ſpatium*, longiores reddit. v. ad III, 20. De lect. *albentibus* non debebat diſputari, cum ſatis conſtet, aures aſinorum albos ſ. canos habere villos. *poſſe moueri*, mobilitatem. *Poſſe* habet vim Subſtant. more Graecorum. II, 483. *poſſe loqui*, facultas loquendi.

180 *Turpis pudor* ſatis poetice, turpes aures quae pudori erant domino. Bene etiam *onerata.* Sed hanc lect. quam Heinſ. ſeptem Mſſ. auctoritate ſubſtituit vulgatae: *Ille quidem celare cupit, turpique pudore*, (Duo, *turpemque pudorem*, vt ſit appoſitio.) impugnat Schepper. cui diſplicet, quod validiori verbo *celat* ſubiectum ſit *tentat velare.* Vulgatam igitur ſic emendat, *celare caput.* Et Burm. in Cod. Baſil. eraſa vetere lect. repoſitum *caput* inuenit, et ſuperſcriptum *ora.* Sed *celare* eſt verbum generale, itaque modus, quo celauerit tempora, additur, *velat tiaris.* — *Tiara*, quae etiam *mitra* interdum vr. fuit pileus Phrygum incuruus cum fimbriis pendulis, quibus mento ſubligatis malae ac tempora obducebantur; vt adeo aures Midae commode ſub illo tegumento latere poſſent. vid. Heyn. ad Virg. Aen. IV, 216 et IX, 616.

182 *ſolitus — capillos* circumſcriptio tonſoris. *ferrum*, forpex, qua tonſores vtebantur in reſecandis capillis. Iſidor. XX, 13.

187 *voce parua*, leni ſuſurro. *terra hauſta*, foſſa. *indicium vocis*, vocem, qua indicabat domini dedecus. Hoc figmentum habet etiam Ptolemaeus Alexandr. ap. Photium. Anſam dediſſe videntur cannae, quae vento motae ſonum edunt. I, 707.

190 *tremulis*, quando agitabantur ventis. *creber arund.* pro,

Coepit; et, vt primum pleno maturuit anno,
Prodidit agricolam. Leni nam motus ab auſtro
Obruta verba refert; dominique coarguit aures.
Laomedon Vltus abit Tmolo, liquidumque per aera vectus
Anguſtum citra Pontum Nepheleïdos Helles
Laomedonteis Letoïus adſtitit aruis.
Dextera Sigaei, Rhoetei laeua profundi
Ara Panomphaeo vetus eſt ſacrata Tonanti.

194 Schepper. mallet, *Victor abit*, vt II, 437. IV, 511. VIII, 116. Et habet ſic vnus Regius. *Vltor* Moreti. 198 Olim *Panophaeo*, quod Regius recte correxit.

crebris ſ. multis arund. *pleno anno* vt X, 734 *plena hora* et III Faſt. 164. *pleno die*. *Agricolam* ſuſpectum viſum Intt. quia primum tonſor ille non potuerit *agricola* dici; neque lucus ille tonſorem prodiderit, ſed vocem eius commiſſam. Burm. ſuadet, vel *Prodidit arcanum* (quod tamen non ſatis poëticum videtur.) vel *Pr. agricolis*. Sed ita deeſt, quid agricolis prodiderit. Puto locum ſanum eſſe; ſed poëtam non ſatis accurate locutum eſſe, cum hoc vellet: arundo eius, qui humum ſuam foderat, indicium prodidit. Niſi *agricolam* mauis Midam intelligere, nunc rura celebrantem vſ. 146. Si lectio ſana eſſet, *agricola* foret Midas, qui nunc rura et ſiluas celebrat. v. vſ. 146. Suaderem, *Prodidit auriculas*, niſi ſequeretur, *coarguit aures*.

FAB. V. vſ. 194—220 Apollo et Neptunus Laomedonti muros exſtruunt. Cum ille pactam mercedem ſoluere nollet, Neptunus mare immittit vrbi, regisque filiam ſaxo alligatam exponit monſtro marino, vnde eam liberat Hercules. Cum et huic praemium promiſſum negaret bis periurus Laomedon, Hercules Troiam expugnat, Heſionenque dat Telamoni ſocio. Homer. Il. φ, 443 ſqq. Pind. Ol. η, 41. Apollod. II, 5, 9. Hygin. fab. 89. Serv. ad Virg. Aen. I, 553 II, 650. Anonym. de Incredibilibus ab Allatio editus cp. 6. auctor eſt, aurum ſumſiſſe Laomedontem ad muros exſtruendos ex templis Neptuni et Apollinis, neque id pro ſacramento praeſtito reddidiſſe. Tractauerat haec et Heſiodus in Heroica genealogia, vt e Schol. Lycophr. ad vſ. 34 et 393 conſtat.

192 Apollo verſus mare velitur, ſed citra *pontum Helles*, Helleſpontum, cui Troas adiacebat, conſiſtit. *Helle* Athamantis et *Nepheles* filia, Phrixi ſoror, quae in *anguſto* illo freto periit, eique nomen dedit. Apollod. lib. I, p. 39, Palaeph. 31.

197 Non longe ab Ilio ſinus quidam Helleſponti litus incuruabat. Ibi *Sigaeum* et *Rhoeteum*, duo promontoria cum oppidis cognominibus, quorum illud Achillis, hoc Aiacis ſepulcro poſtea nobilitatum eſt. Mela I, 18. Sed Noſter loco promontorii, *profundum*, mare, appellauit. *Panomphaeo* Ioui etiam Graeci ſacra faciunt ap. Homer. Il. Υ, 48. vbi Euſtath. ὁ πάσης μαντείας αἴτιος, ſ. melius, vt origo vocis appareat, ὁ πασῶν ὀμφῶν αἴτιος,

Inde nouae primum moliri moenia Troiae
Laomedonta videt, ſuſceptaque magna labore
Creſcere difficili, nec opes expoſcere paruas.
Cumque tridentigero tumidi genitore profundi
Mortalem induitur formam; Phrygioque tyranno
Aedificant muros, pacto pro moenibus auro.
Stabat opus: pretium rex inficiatur, et addit,
Perfidiae cumulum, falſis periuria verbis,
Non impune feres, rector maris inquit: et omnes
Inclinauit aquas ad auarae litora Troiae.
Inque freti formam terras conuertit; opesque
Abſtulit agricolis, et fluctibus obruit arua.

199 Quidam, *Vnde*. 201 Baſil. *nec res*. 202 Quidam, tumidi *rectore* aut *domitore*. 203 Olim edeb. *Phrygiaeque tyranno Aedificat muros, pactus*. Quidam, *pacti*. 207 Prior Twisden. *infit*. 208 Plurimi, *moenia Troiae*, quod placebat Ciofan. non item Burm. quia id modo praeceſſit. 210 Vulg *obruit agros*, quod ſpreuit Heinſ. quia *agricolis* paullo ante praeceſſit.

omnis artis vaticinandi auctor. v. Potter. ad Lycophr. Caſſand. vſ. 6. Ordo autem verborum eſt hic: *Dextera* pars *Sig.* ſiue *laeua Rh. eſt ara*, h. e. in dextra parte Sig. eſt ara. Vtriusque promontorii mentionem hic facere voluit.

199 *noua Troia*, Ilium nuper conditum ab Ilo, Laomedontis patre. Ap. Apollod. muris cingunt Pergamum. *moliri*, ponere, exſtruere. Virg. Aen. I, 423. *pars ducere muros, Molirique arcem*. *Suſceptum* nunc ſubſtantive, coeptum. *creſcere*, promoueri.

202 *genitor profundi*. Etiam ap. Valer. Flac. IV, 571. Neptunus *pater maris*, et Stat. Ach. I, 61. *magni rector genitorque profundi*. Sed quaeritur, quo ſenſu ita dicatur. Burm. ad Virg. Aen. I, 155. vult, Deos dici earum rerum *genitores*, quibus praeſunt. Improbat eam rationem Heyn. monetque, *genitoris* et *patris* nomine inſigniri Deos ſeniores, mox et quoscunque alios, nihilque aliud ſignificari niſi venerabiles, ſanctos. *Tridentiger*. VIII, 595. *tridentifer*.

204 Secundum Homer. ſeruire per annum Laomedonti coacti ſunt, quod Iouem vincire voluerant: eoque tempore Neptunus vrbem et muros condidit, Apollo boues pauit. Apud Apollod. ambo, τὴν Λαομέδοντος ὕβριν πειράσαι θέλοντες, promittunt ἐπὶ μισθῷ τειχίσειν τὸ Πέργαμον. Cf. et Heſiod. ap. Schol. Lycophr. 393. *pacto auro*. Hygin. *Vouit, quod regno ſuo pecoris eo anno natum eſſet, immolaturum*. Homer. nil definit, μισθῷ ἐπὶ ῥητῷ. *ſtabat*, abſolutum erat, vt III, 131. *Iam ſtabant Thebae*, vbi v. not. *pretium*, mercedem. Mox ordo verborum: et falſis verbis addit periuria, cumulum perfidiae; cui ſententiae interpunctionem accommodauimus.

208 *auarae Troiae*. Mox vſ. 215. *periura moenia Troiae*: Virg. Aen. V, 810. *periurae moenia*

Poena neque haec satis est. Regis quoque filia monstro
Poscitur aequoreo: quam dura ad saxa reuinctam
Vindicat Alcides, promissaque munera, dictos
Poscit equos: tantique operis mercede negata,
Bis periura capit superatae moenia Troiae.
Nec pars militiae, Telamon, sine honore recessit:
Hesioneque data potitur. Nam coniuge Peleus
Clarus erat Diua: nec aui magis ille superbit
Nomine, quam soceri. Siquidem Ionis esse nepoti
Contigit haud vni: coniux Dea contigit vni.

213 Nonnulli, *pactos* vel *doctos*. 215 Quidam, *bis peritura*, sed v. ad vs. 208. 219 Heins. malebat, *numine*. Vnus, *nec auo*. Mox vulg. *nepotem*.

Troiae, et IV, 542. *Laomedontea periuria gentis*. Adde Horat. III od. 3, 21 sqq. Adeo enim Vett. hanc Laomedontis perfidiam periuramque auaritiam auersati sunt, vt eam toti genti imputarent, et inde omnia mala Troianis eorumque posteris inflicta repeterent. Virg. G. I, 520. de bellis adeo Romanorum ciuilibus, *Laomedonteae luimus periuria Troiae*. — *freti forma*, fretum. v. ad I, 72.

211 Hic aliquid supplendum ex Apollod. et Hygino. Apollo Troianis pestilentiam immiserat, Neptunus cum inundatione cetum. Oraculum monebat, tum demum malorum istorum finem fore, si Laomedon Hesionen filiam ceto exposuisset. Hanc igitur cum Hercules, ab expeditione contra Amazones rediens, saxo alligatam vidisset, cetum interficit, virginemque seruat. Pactam mercedem cum a rege non impetraret, abit tum quidem, sed postea redit cum Telamone, Troiamque capit. Hesiones Fab. narrauerat Hellanidas, vnde sua habuit Apollod. cf. Diodor. Sic. IV, 42. Simile quid Andromedae accidit IV, 662 sqq.

214 *dictos equos*, immortales illos, quos Troi pro rapto Ganymede dederat Iupiter. Homer. Il. υ, 145. Apollod. d. l. Super aquas et aristas ambulare poterant. Hygin. *dicere* i. q. promittere. Passim *dicere dona, praemia, dotem*. v. Heins. Sed quia proxime praecessit *promissa munera*, propterea Lenzius legendum putat *diuos. mercede negata*. Mortales equos loco immortalium Herculi dedisse traditur a Schol. Hom. d. l. *bis periura*, deceperat enim et Apollinem et Herculem.

216 *Telamon* amicus et socius Herculis in multis certaminibus. *pars militiae* etiam Heroidd. VIII, 46. v. ad IX, 20. *sine honore*, sine praemio. Isocrat. in Euag. p. 454. ed. Wolf. min. de Telamone, μεθ' Ἡρακλέους ἐπὶ Λαομέδοντα στρατευσάμενος τῶν ἀριστείων ἔτυχε. Illam Troiae expeditionem narrat Apollod. II, 6, 4. Ex *Hesiona* Teucrum genuit Telamon.

217 *Peleus*, frater Telamonis, Thetida, Nerei filiam, habebat *coniugem*. Isocrat. d. l. Θέτιδι, ἧνπερ ὢν ἀθανάτῳ συνῴκησε. καὶ μόνα τέτταφασὶ τῶν προγεγενημένων ὑπὸ τῶν θεῶν ἐν τοῖς γάμοις ὑμέναιον ἀσθῆναι. Plura de eo coniugio habet Apollod. III, 13, 5. Telamonis et Pelei pater fuit Aeacus, *auus* Iupiter. *Vni*, nempe ex his duobus fratribus. Non autem vniuerse dictum est; nam plures *Dene* nupserunt mortalibus. — Caeter. haec de Peleo adsperfit Noster, vt commode transiret ad fab. seq.

Namque senex Thetidi Proteus, Dea, dixerat, vndae, *Peleus et Thetis.*
Concipe: mater eris iuuenis, qui fortibus actis
Acta patris vincet; maiorque vocabitur illo.
Ergo, ne quidquam mundus Ioue maius haberet,
Quamuis haud tepidos sub pectore senserat ignes,
Iuppiter aequoreae Thetidis connubia vitat;

221 Mariangelus Accurs. legit, *praedixerat vdae*, vt est in Mss. nonnullis, vt alibi *aquosa Dea*. Neque tamen damnat alteram lect. 222 Vulg. *fortibus armis*, et paullo ante, *iuuenis*. 226 Alii *connubia fugit*.

FAB. VI. vs. 221 — 265 *Pelei et Thetidis* nuptiae valde celebratae a Vett. Homer. Il. ω, 534. Hesiod. Theog. 1005. Eurip. Iph. Aul. 1036 sqq. Isocrat. Euag. p. 454. Apollon. Rh. IV, 807 sqq. Catull. Epithal. Pel. et Thet. Valer. Flac. I, 130 sqq. Coluth. Rapt. Hel. 17 sqq. Peculiari carmine eas celebrauerat Hesiod. vnde non nisi duo versus restant, Τρὶς μάκαρ Αἰακίδη, καὶ τετράκις ὄλβιε Πηλεῦ, Ὅς τοῖς δ' ἐν μεγάροις ἱερὸν λέχος εἰσαναβαίνεις. Sed Noster missa conuiui nuptialis sollemnitate, de qua caeteri copiosi sunt, artem potius memorat, qua Peleus virginem ceperit. Cf. Apollod. III, 13, 5. Sed etiam ap. Hygin. fab. 54 et P. A. II, 15. Eustath. ad Homer. d. l. Tzetz. ad Lycophr. p. 38. Serv. ad Virg. Ecl. VI, 42. fab. attingitur.

221 Vaticinium illud Pindar. Isthm. 20, 4. Apollon. Schol. Lycoph. ad 178 et Lactant. Inst. I, 11, 9. Themidi tribuunt. Ad Prometheum refert Aeschyl. Prom. 906. et inde Hygin. priore loco, sed altero ad Parcas, vnde cognoverit Prometheus, qui illud Iovi iam prodeunti ad concubitum indicauerit. Bene autem Noster *Protea* inducit, Deum marinum, eundemque vatem certissimum, cuius vaticinia etiam ap. Homer. Od δ, 364 sqq. et Virg. G. IV, 392. exstant. — *Concipe*. Consequens pro antecedente, nube viro. *iuueni* pro, *iuuenis*, e duobus tantum Mss. Excerpt. Langerm. et priore Strozzae, recepit Heins. qui nimis amasse hanc loquendi formam videtur, eamque fere vbique commendat. *qui fortibus* etc. Pindar. d. l. πεπρωμένον ἦν, φέρτερον γόνον ἄνακτα πατρὸς τεκεῖν ποντίαν θεόν. Id Noster ita expressit, vt iam respiceret Pelea et Achillem, quorum ille in bello contra Centauros, aliisque in certaminibus enituit, sed illae laudes nihil ad filii *fortia acta*, res fortiter gestas. *maior* ad fortitudinem et inde paratam gloriam referendum. Horat. I od. 15, 28. *Tydides melior patre*. Apollod. h. l. Κρείττων τὸ πατρός. *vocabitur*, erit, vt κληθήσεται.

225 Timebat Iupiter, ne filius ex ea natus se de regno deiiceret, vt ipse fecerat Saturno patri.

Inque sua Aeaciden succedere vota nepotem
Iussit, et amplexus in virginis ire marinae.
Est sinus Haemoniae curuos falcatus in arcus;
Brachia procurrunt: vbi, si foret altior vnda,
Portus erat: summis inductum est aequor arenis.
Litus habet solidum, quod nec vestigia seruet;
Nec remoretur iter; nec opertum pendeat alga.
Myrtea silua subest, bicoloribus obsita baccis.
Est specus in medio; natura factus, an arte,
Ambiguum, magis arte tamen: quo saepe venire
Frenato delphine sedens, Thetidi nuda, solebas.

220 Vnus Heinsii *modicos falcatus in arcus*, vt Heroidd. II, 131. 230 Heins. coni. *qui si foret*. 233 Quidam, *remoretur aquis*, scil. vestigia. 237 Cantabr. *Thetis vda*.

Eum ob caussam exagitat eum Lactant. d. l. Antea Neptunus cum eo de hoc coniugio certauerat Apollod. *Thetis* Thessalum primum *connubium* verecunde pro concubitu. Sic *nuptiae* ap. Horat. III od. 11, 11. *sua vota*, connubium a se expetitum. *succedere in vota* Iouis, coniugium inire, quod Iupiter inire voluerat. *in amplexus v. ire* modeste concubitum exprimit, vt VII, 616. *sub amplexus ire*.

229 *Haemonia*, Thessalia. v. ad I, 563. Et h. l. intel. pars Thessaliae ea, quae Phthiotis dicebatur, vbi regnabat Peleus, et quae mari adiacebat. Aeacus quidem Aeginam insulam tenebat, sed Telamon et Peleus cum Phocum fratrem occidissent, (de qua caede Nostri l. seq. exponet.) fugere inde coacti sunt. Telamon igitur Salaminis potiebatur, Peleus autem Phthiam, ad sinum Maliacum se contulit, vbi ab Eurytione, ducta eius filia Antigona, in regni partem adscitus est. Aliquanto post Thetida duxit. v. Apollod. d. l. et Schol. Aristoph. ad Nubb. vs. 1059. — *Curuos falcatus in arcus* tribus verbis formam curuam exprimit. Nec in sententiis, nec in verbis parcus Noster est. *brachia* extremitates litoris sinum ambientis, quae commode cum brachiis comparantur. V. Cerda ad Aen. III, 533. *Genua* drr. Valer. Flac. V, 410. *Erat* pro, esset. *summis* etc. Hoc vult, leni aqua tectam fuisse arenam.

232 *vestigia non seruat*, non retinet vestigia impressa, quod fieri solet in locis arenosis et limosis, quae adeo *remorantur iter*, dum magis fatigant viatorem, eumque tardius incedere cogunt. Plin. II Epist. 17, 2. *Excipit iter aliqua ex parte arenosum, iunctis paullo grauius et longius, equo breue et molle. — opertum pendeat* suauius, quam, opertum sit. Quia alga *pendet*, imminet litori, propterea ipsum litus *pendere alga* dr. *Myrteta* amant litora. v. ad IX, 335. *subest*, adest, prope est, vt *subire*, accedere, appropinquare.

233 Nereides belluis marinis vehi solebant, quae *equi* drr. Propert. III, 1, 46. hinc *delphino* insidentem Thetida finxerant prisci poetae. Tibul. I, 5, 45.

Illic te Peleus, vt somno vincta iacebas,
Occupat: et quoniam precibus tentata repugnas;
Vim parat, innectens ambobus colla lacertis.
Quod nisi veniſſes, variatis saepe figuris,
Ad solitas artes: auso foret ille potitus.
Sed modo tu volucris; volucrem tamen ille tenebat:
Nunc grauis arbor eras: haerebat in arbore Peleus.
Tertia forma fuit maculosae tigridis: illa
Territus Aeacides a corpore brachia soluit.
Inde Deos pelagi, vino super aequora fuso,
Et pecoris fibris, et fumo turis adorat.
Donec Carpathius medio de gurgite vates,
Aeacida, dixit: thalamis potiere petitis.

238 Vulg. *somno victa*. 240 Oxon. et Palat. *vincla lacertis*. 242 Barber. et 3 alii *ausu*. 243 Vnus Ciof. et Hamb. *Nam modo*. Vnus Gronov. *si modo*. Heins. coni. *seu modo — Seu*. 245 Vnus Medic. *forma tibi*. 247 Vulg. *Isque Deos*. Multi, *iamque*. Vnus, *inque*. 248 Duo *fumo turis honorat*. 250 Vulg. *Aeacide*. v. Heins. ad Heroidd. III, 87.

Talis ad Haemonium Nereis Pelea quondam
Vecta est frenato caerula pisce Thetis. Stat. Theb. I, 130.
Hic insperato Tyrrheni tergore piscis
Peleos in thalamos vehitur Thetis. Aequora delphin
Corripit. Illa sedet deiecta in lumina palla,
Nec Ioue maiorem nasci suspirat Achillem.

238 Cum omni seq. loco cf. Virg. G. IV, 400—45. Somnus poëtis drr. oculos et membra δεσμεύειν, v. Heins. *occupat*, opprimit. *tentata* fortasse optime coniungitur cum *precibus*. *Precibus tentare*, precibus periculum facere an capi possit. *Sin tentata* absolute positum putas, *precibus* dictum erit pro, precanti, vt VIII, 73. *Vim parat*. Hesiod. d. l. Πηλεῖ δὲ δμηθεῖσα θεὰ Θέτις ἀργυρόπεζα. Vim parat etiam apud Apollod. et Eurip. auctore Tzetza ad Lycophr. p. 37. In arca Cypseli Thetis cernebatur anguem immittens in Pelea, qui ipsam captare conabatur. Sed Catull. nihil habet de *vi*, atque etiam ap. Valer. Flac. lubens ad Peleum deducitur delphino insidens. *innectere colla lacertis* elegantius quam, iniicere lacertos collo. *venire ad artes* vt *deuerti ad artes* IX, 62. vbi v. not. *auso potiri* dixit et Virg. Aen. VI, 624. Thetis transformis non minus, quam Proteus VIII, 730 sqq. et Erisichthonis filia ibid. Videntur autem philosophi veteres, quibus ex aquis omnia constare placebat, transformationes illius elementi in omnia corpora, symbolica hac fab. expressisse. v. Heyn. ad Virg. G. IV, 387. Alii putant hoc dici, Thetida omnes vias ac modos tentasse, vt se subtraheret Pelei matrimonio.

244 *grauis*, torpens. I, 548. *grauis torpor*. II, 821. *grauitas ignaua*. *Tenere* et *haerere* eleganter de amplexibus. I, 485. IV, 184. Tibul. I, 5, 39.

249 *Carpathius* mare, Carpathon insulam prope Aegyptum

Tu modo, cum gelido ſopita quieſcet in antro,
Ignaram laqueis vincloque innecte tenaci.
Nec te decipiat centum mentita figuras:
Sed preme, quidquid erit: dum, quod fuit ante, reformet.
Dixerat haec Proteus, et condidit aequore vultum:
Admiſitque ſuos in verba nouiſſima fluctus.
Pronus erat Titan, inclinatoque tenebat
Heſperium temone frętum: cum pulchra relicto
Nereïs ingreditur conſueta cubilia ponto.
Vix bene virgineos Peleus inuaſerat artus;
Illa nouat formas: donec ſua membra teneri
Sentit, et in partes diuerſas brachia tendi.
Tum demum ingemuit: Neque, ait, ſine numine vincis:

251 Nonnulli, *rigido in antro.* Tres, *quieuerit antro.* 252 Palat. ſec. *firmisque innecte catenis.* 253 Medic. *mutata figuras.* Decem, *figuris.* 254 Heinſ malebat, *Perprime*, vt A. A. I, 394. 257 Vulg *petebat.* Burm. coni. *tepebat*, vnde transpoſitis literis *petebat* natum ſit. 259 *ponto* e melioribus dedit Heinſ. pro, *fluctu et ſaxo.* 260 Lib. Briant. *euinxerat. artus.* Alius, *deuinxerat.* Quidam, *coniunxerat.* v. Burm. ad Petron. 74. 262 Nonnulli, *tendens.*

ambiens. In eo Protei ſedes, forte quia fabula eius ex Aegypto in Graeciam translata erat. Secundum Apollod. Peleus non a Proteo, ſed a Chirone edocetur, qua arte capienda ſit Dea maris. Auctor Arg. Neptunum admiſcet, qui a Peleo placatus preces eius Proteo commendauerit.

253 *decipere*, elabi. *mentita*, vt V, 326. et ſaepe. *preme*, tenaciter tene. *reformare*, in priorem formam mutare, vt IX, 400. *reformatus in primos annos.* Sed nunc intranſitiue, in priorem formam redire, ſe mutare.

256 *Admiſitque* etc. ingenioſe, vt II, 363. *cortex in verba nouiſſima venit.*

257 *Prona* drr. ſidera, cum ad occaſum vergunt. Etiam *pronus mundus*, pars coeli occidentalis. Senec. Herc. Fur. 125. *Via prona* ſolis occidentis ſupra II, 67. v. Brouckh. ad Propert. I, 16, 23. De *inclinato temone* v. ad X, 447. *tenemus* locum, quem attigimus. Auctor Argum. meridianum calorem nominat.

260 *Vix bene* amat Noſter, vt II, 47. Faſt. V, 278. VI, 513. *Bene* hic videtur augere vim τῆς *vix. nouat formas*, in nouas ſemper formas tranſit, vt II, 648. Mox pro *tendit* e margine Gryph. edit. et cum Mitſch. dedi *tendi*, quod etiam Heinſ. arridebat, qui addit: In partes diuerſas tenduntur brachia, quando ligantur poſt tergum! Ideoque et *auerſas* malit. Sine cauſſa. De ligatione poſt tergum non eſt ſermo, tantum de diſtentis brachiis.

Exhibita eſtque Thetis. Confeſſam amplectitur heros,
Et potitur votis, ingentique implet Achille.
Felix et nato, felix et coniuge Peleus; *Peleus ad Ceycem.*
Et cui, ſi demas iugulati crimina Phoci,
Omnia contigerant. Fraterno ſanguine fontem,
Expulſumque domo patria Trachinia tellus

264 Tres, *Exhibitaque Thetis.* 267 Arond. Langerm. vnus Baſ. *crimina fratris.*

264 *Exhibita eſt*, vt VI, 44. *Pallada exhibuit*, depoſita mentita figura Palladis formam rurſus ſumſit. *Confeſſam* eodem redit. III, 2. Iupiter *ſe confeſſus erat. Ingens* ſollemne heroum epitheton propter corporis magnitudinem, quam iis priſca aetas tribuit. Hinc *ingens Aeneas* Virg. VI, 413. *ingens Idomeneus Sthenelusue.* Horat. IV od. 9, 19. Sed h. l. malim ad inſignem fortitudinem referre, qua enituit Achilles. Sic Horat. III od. 6, 35 *ingens Antiochus* propter opes ingentes. Supra VIII, 309. *magni creator Achillis. Implet.* IX, 280. *Implerat vterum generoſo germine.* Hinc mulieres grauidae *plenae*, vt X, 469. Myrrha *plena patris.* — Caeter. Clericus ad Heſiod. Theog. vſ. 1004. ſuſpicatur, Pelea Achillem ex ſe et ignota vulgo matre natum ſuſtuliſſe, aut e fano Neptuni Nereidumue, aut ex ipſo litore maris.

FAB. VII. vſ. 266 — 409 *Peleus* exſul ad *Ceycem* fugit, vbi dum cognoſcit, *Daedalionem* bellicoſum, cuius ſuperba filia *Chione* ſagittis Dianae transfixa erat, in accipitrem verſum eſſe, nuntius ei adfertur, armenta ſua a lupo ingenti trucidari. Placata Nereide, quae belluam miſerat, lupus in ſaxum mutatur. Duae igitur inſunt metamorphoſes. De lupo mutato cf. Schol. Lycoph. ad vſ. 175. qui cum Noſtro conſentit, et Anton. Lib. 38. qui diſſentit. Eadem narrauerat et Dorotheus in Metam. vt ex Plutarch. paral. min. p. 311 apparet. Euripides Pelei exſilium argumentum fabulae fecerat. De eo vid. et Apollod. III, 13, 1 ſq.

267. Caedem hanc diu ante eſſe factam, quam Thetida duceret, ſupra iam ad vſ. 229. monuimus. Telamon et *Peleus* Aeaco nati erant ex Endeide, quam Pauſan. Scironis, Apollod. autem Chironis filiam dicit, *Phocus* vero ex Pſamathe, Nerei filia, Thetidis ſorore. Is Phocus relicta Aegina terrae eius ad Parnaſſum, quae iam ab antiquiore quodam Phoco, Ornytionis filio, Phocidis nomen habebat, regnum adeptus, fecit, vt etiam proxima loca Phocidis nomine comprehenderentur. Sed fratres, ſiue a matre Endeide ſollicitati, ſiue ſuo ipſorum odio impulſi, cum viderent, eum prae ipſis amari a patre, inuitarunt eum aliquando Aeginam, vt ludis et certaminibus, quibus ille excellebat, intereſſet; iisque commiſſis diſco aut rudi ſaxo fratrem percuſſerunt. Praecipuas in ea caede partes Telamonis fuiſſe Apollod. narrat, Pelei Pauſan. Ambo igitur expulſi ſunt ab Aeaco. Phoci ſepulcrum apud Aeginetas oſtendebatur, impoſito ſaxo, quo percuſſus erat. Pauſan. Corinth. p. 177. et 179.

Accipit. Hic regnum ſine vi, ſine caede, tenebat
Lucifero genitore ſatus, patriumque nitorem
Ore ferens Ceyx; illo qui tempore moeſtus,
Diſſimilisque ſui, fratrem lugebat ademtum.
Quo poſtquam Aeacides feſſus curaque viaque
Venit; et intrauit, paucis comitantibus, vrbem;
Quosque greges pecorum, quae ſecum armenta trahe-
Haud procul a muris ſub opaca valle reliquit. (bat,
Copia cum facta eſt adeundi prima tyranni;

270 Duo *excipit*, *Tenebat* e melioribus dedit Heinſ. pro, *regebat*. *Regnum tenere* phraſis obuia. 273 Vnus Medic et tert. Bon. *Diſſimilemque*, quod defendi poſſe ex vſ. 297. Burm putat. 278 *prima* e multis Mſſ. recepit Heinſ. Vulg. *tecta*. Cf. VI, 447. Statius III Theb. 58.

Phoc. p. 872. Apollod. III, 12, 6. Anton. Lib. cp. 38. Apollon. Rh. I, 93 ſqq. et Schol. ad vſ. 207. Schol. Pindar. ad Olymp. 8, 39.

269 Supra ex Apollod. vidimus, Phthiam ad Eurytionem peruenisse Pelea fraterno ſanguine pollutum. Nec aliter Anton. Lib. Apollon. Rh. Schol. Lycophr. p. 37. Hygin. fab. 14. p. 36. Itaque aut alios auctores Noſter ſecutus eſt, aut Peleus, exſul vagus, relictis multis aliis locis, tandem apud Eurytionem haeſit.

272 *Ceyx*, Trachiniorum rex, etiam Herculis amicitia notus. Pauſ. II. Attic. p. 79 *nitorem* omnino de inſigni corporis pulchritudine capiamus, de qua ſaepe dr. Horat. Iod. 19, 5. *Vrit me Glycerae nitor*, isque nitor cum ſplendore ſiderum comparari ſolet, II od. 5, 18 ſqq. et ſupra II, 722. vbi v. not. de Luciferi ſplendore. Etiam Lucian. p. 129. eum vocat τὸν Ἑωσφόρα, καλὸν πατρὸς καλὸν υἱόν. Cf. et Hyg. fab. 65. Etiam amabilem et liberalem deſcribit hunc regem, cum Schol. Homeri ad Il. ϕ, 558. Apollod. et alii elatum eum finxerint, adeo vt Iovem ſe appellari voluerit. *diſſimilis ſui*, non ea hilaritate animi, non ea ſerenitate vultus, non eo ſplendore cultus, quo alias eſſe ſolebat. II, 381 ſq. Eleg. ad Liv. Aug. 85 ſqq. *Vidimus*, *attonitum fraterna morte Neronem Squalida promiſſa flere per ora coma*, *Diſſimilemque ſui*, *vultu profitente dolorem*. *Hei mihi*, *quam toto luctus in ore fuit*. Luctus *deformat* hominem eiusque *domum*. Virg. Aen, XII, 805.

276 *Pecorum* a ſciolo additum eſſe, qui crediderit τὸ *greges* id requirere, vt *armentis* opponi poſſent, cenſet Burm. Praefert igitur ex vno Heinſ. Mſ. *greges ſecum*. Sed nihil temere mutandum vnius Cod. auctoritate. Poſſet quidem *pecorum* abeſſe, ſed potuit etiam addi. Virg. Aen. VII, 538. *Quinque greges illi balantum*, *quina redibant Armenta*. *Pecora* dici minores beſtias, oues, hircos, capras conſtat. Hinc *pecora* et *armenta* ita coniunguntur, vt *greges* et *armenta*, Curt. VIII, 4, 19. IX, 8, 29. Et *greges pecorum*, ap. eundem V, 6, 15. — *trahebat* felix verb. ad declarandum tardum inceſſum armentorum. *ſub valle*, in valle. v. Burm. ad

Velamenta manu praetendens ſupplice, qui ſit,
Quoque ſatus, memorat, tantum ſua crimina celat.
Mentitusque fugae cauſſam, petit vrbe, vel agro
Se iuuet. Hunc contra placido Trachinius ore
Talibus adloquitur: Mediae quoque commoda plebi
Noſtra patent, Peleu; nec inhoſpita regna tenemus.
Adiicis huic animo momenta potentia, clarum (do.
Nomen, auumque Iouem: nec tempora perde precan-
Quod petis, omne feres: tuaque haec pro parte videto,

279 Vulg. *quis ſit*. 282 Vnus Baſ. *Se recipi*. 283 Quinque, in quibus prior Moreti, *moenia plebi* [illegible] d Phaedr. III, 19. ex Mſſ. profert, *medio quoque commoda Phoebi*. et ipſe legit, *Phoebo*, abſurde, iudice Burm. Mox ſe *inhoſpita tecta*, vt ſaepe alibi. 285 *momenta* ex vno Voſſ. *et* vno Groſ. ro douerſa lect. dedit Heinſ pro, *monumenta*. 287 Vulg. *pro parte vocato*. Alterum e multis Mſſ. reuocauit Heinſ. Vnus, *notato*.

I, 624. Tibul. II, 3, 19. *valle ſub alta*. *opaca* ab vmbra. *Vmbroſum exquirere vallem* gregibus iubet Virg. G. III, 331. Idque ſub calidiore coelo neceſſarium erat.

279 *velamenta*, vitta ramo oleagino ita circumdata, vt inde depe dens manum obuolueret. Talem enim vittatum ramum *praetendere*, praeferre manu ſolebant ſupplices. Homer. Il. α, 14. Virg. VII, 154. *ramis velati Palladis*. vſ. 237. *Praeferre manibus vittas ac precantia verba*. VIII, 116. *paciferae manu ramum praetendit oliuae*. XI, 101. *velati ramis oleae*, *veniamque rogantes*. *Velare* verb. ſacrum et ſollemne de corollis et vittis frontem ambientibus, templorum poſtes cingentibus, ramos ſupplicum obuolventibus. De origine huius ritus Heyn. ad Virg. VIII, 128. haec obſeruat: „A religione ritum ductum eſſe manifeſtum ſit e vittis ſeu infulis laneis, obuolventibus ramum oleaginum, cuius vſus erat cum in ſacris, tum in luſtratione et expiatione. Adeoque is, qui praeferebat, ἱκέτης, ſupplex factus, aut crimen expiare ſe et culpam deprecari velle ſymbolice et religioſe ſignificabat, aut ſimpliciter per ſacra et deos ſe ſupplicare teſtatum faciebat. Hinc omnino foederis, pacis et legationis ſymbolum eſt factum."

281 *fuga*, exſilium. *vrbe vel agro iuuet*, vrbem vel agrum ſibi aſſignet, vbi cum armentis ſuis habitet. Heroidd. II, 55. *Te iuui portuque locoque*. Ibi loca laudant Intt. in quibus *hoſpitio*, *tecto*, *limine*, *cibo*, *ope iuuare* alterum dr.

283 De *media plebe* v. ad IX, 360. *commoda noſtra*, commoda, quae leges largiri poſſunt, habitatio in vrbe agrisue, tutela etc. Similiter h. v. in re militari. A. A. I, 131. *patent*, facile impetrantur a media adeo plebe regiis. *patent*, quorum copia facilis eſt. Sic mulieres *patent* viris, locus *patet* proficiſcentibus, Dii *patent* precantibus, gloria *patet* viris fortibus.

285 Haerent Intt. in *huic animo*. Sine cauſſa. Praeterquam quod ego *hoc animo*, benigno ſcil. et liberali, ſum, tu *momenta po-*

Qualiacumque vides. Vtinam meliora videres!
Et flebat. Moueat quae tantos cauſa dolores,
Peleusque comitesque rogant. Quibus ille profatur:
Forſitan hanc volucrem, rapto quae viuit, et omnes
Terret aues, ſemper pennas habuiſſe putetis.
[Vir fuit: et tanta eſt animi conſtantia, quantum]
Acer erat, belloque ferox, ad vimque paratus,
Nomine Daedalion, illo genitore creatus,
Qui vocat Auroram, coeloque nouiſſimus exit.
Culta mihi pax eſt, pacis mihi cura tuendae
Coniugiique fuit: fratri fera bella placebant.
Illius virtus gentes, regesque ſubegit,
Quae nunc Thisbaeas agitat mutata columbas.

294 Gronov. *armisque potens, belloque p.* 297 Nouem, *cura mihi pax eſt.* Sequens vſ. *Coniugiique* etc. abeſt a Mazarino. 300 Quatuor, *Thebeas.* Alii *Thiſtaeas, Tybeas, Thesbeas.*

tentia, cauſſas et rationes graniſſimas commemoras. *Clarum nomen* et de rebus geſtis et de genere nobili capi poteſt. Opp. *ignotum nomen* IX, 668. — *tuaque haec* etc. omnes res meas tecum partiar, adſciſcam te in partem regni. Neglexerat autem regni ſui ſtatum dolore fratris amiſſi.

291 Circumloquitur accipitrem, ſed non ſatis perſpicue; quandoquidem et aliae aues rapto viuunt. Vſ. 293. delendum cenſet Heinſ. quia vix latinus ſit, et quia, eo ſublato, omnia ſint plana. Eſt ſane corruptus, ſed quo minus eum deleamus, impedit hoc, quod nulla oppoſitio eſt in *volucris* et *acer;* namque etiam volucres acres dici poſſunt. *acer* perpetuum bellatoris epithet. Ipſa *militia acris.* Horat. I od. 29, 2. *ferox*, animoſus. Liv. XXVI, 26. *conſules bellicoſos ambo, viros acres nimis et feroces.* Salluſt. Iug. 20, 2. *Ipſe acer, bellicoſus.* Vellei. I, 3, 1. *acer belli. vis* de bello, vt in illo, *vim parare* alicui. v. Corte ad Salluſt. Cat. 35, 5. — *Qui vocat Auroram* eleganter, quem ſequitur Aurora. Tibul I, 9, 62. *rota Luciferi praecedit acta diem.* Virg. Aen II, 802 Lucifer *ducit diem.* Hinc nomen *Luciferi.* Sed quia idem Eglem interdum ſequitur, hinc etiam *Notifer* vr. Catull Carm. 63. *coeloque* etc. v. II, 115.

300 *Thisbe*, vrbs Boeotiae columbis abundans, in primis portus Thisbaeorum columbis plenus. Stephan. in h. v. Homer. Il. β, 502 πολυτρήρων Θίσβην, columbis abundans. Stat. VII, 261. *Dionaeis auibus circumſona Thisbe.* Hinc docte et ornate *Thisbaeas columbas* pro, *columbas* vniuerſe. Sed hos quoque duo verſus delendos cenſet Heinſ. quia Naſoniano nitori non reſpondeant et ſuperflui ſint. In quo mihi ſecus videtur. Solet enim Naſo noſter paſſim aliquid adſpergere de mutato vſu virium et virtutum hominum transformatorum. Manſit fratri ingenium ferox. *agitare* verb. pr. de venatoribus et auibus rapacibus. V, 606. *Vt ſolet accipiter trepidas agitare columbas.*

Nata erat huic Chione, quae dotatiſſima forma
Mille procis placuit, bis ſeptem nubilis annis.
Forte reuertentes Phoebus, Maiaque creatus,
Ille ſuis Delphis, hic vertice Cylleneo,
Videre hanc pariter, pariter traxere calorem.
Spem Veneris differt in tempora noctis Apollo.
Non tulit ille moras; virgaque mouente ſoporem
Virginis os tangit. Tactu iacet illa potenti,
Vimque Dei patitur. Nox coelum ſparſerat aſtris:
Phoebus anum ſimulat, praeceptaque gaudia ſumit.
Vt ſua maturus compleuit tempora venter;

301 Barb. et Moret. *laudatiſſima forma.* 302 *Procis placuit* e duobus Mſſ. et Edd. quibusdam dedit Heinſ. Sic etiam Heroidd. VII, 123. Caeteri, *procos habuit.* 307 *tulit* debemus Heinſ. qui et mox malit, *tetigit*, quorum illud in multis eſt, hoc in Ambroſ. Caeteri, *fert.* 310 Vulg. *praereptaque.* Alterum placuit Heinſ. quatuor Mſſ. auctoritate.

301 Cf. Hygin. fab. 200. qui addit, *Chionen* ab aliis poëtis *Philoniden* vocari. Et ſic eam vocat Pherecyd. ap. Schol. Hom. ad Od. τ, 432. *dotatiſſima.* v. ad IX, 715.

305 *trahere calorem.* vt IV, 679. *trahit inſcius ignes.* v. ad X, 594.

307 De *virga* illa diximus ad I, 671. et 715. *mouere*, arceſſere. Alibi *ducere ſomnos.* II, 735. Senec. Herc. Oet. 645. *tangit. δίλογον* de hac virga dixerunt Graeci, Latini *mulcere* et *permulcere. iacet* ſomno oppreſſa.

309 *Nox ſparſerat* etc. oſtenderat coelum *ſparſum*, variegatum, ſtellis II, 193. *ſparſa miracula in coelo.* Horat. I Sat. 5, 10. *Nox coelo diffundere ſigna parabat.* — *animum ſimulat* more Deorum, cum aliquem decipere vellent. III, 275. VI, 26. XIV, 655. *praecepta gaudia*, iam antea capta vel a Mercurio (Heroidd. XVII, 107. *Ad poſſeſſa venis praeceptaque gaudia ſerus. Spes tua lenta fuit: quod petis, alter habet.*) vel ab ipſo Apolline mente iam praecepta, vt Eleg. ad Liv. 29 *praecepta mente fouebas gaudia.* — *gaudia* v. pr. in hac re. *ſumere*, percipere. A. A. III, 661. *carpere gaudia.*

311 *venter*, onus ventris. *maturus* v. ad IX, 283. *ſtirps Dei*, Deus quatenus erat *ſtirps*, pater, *propaginis*, filii. Vtrumque voc. ab arboribus translatum. De *Autolyco* cf. Hygin. fab. 201. Pherecyd. d. l. De coniuge eius v. ſupra VIII, 738. Is poterat *candida de nigris, et de candentibus atra facere;* artem enim acceperat a patre et colorem et formam rerum raptarum mutandi, ne deprehenderetur in furto rapaciſſimus Autolycus. Secundum Pherecyd. poterat furta ἀλλοίαν εἰς ὃ θέλοι μορφῆς, id quod latius explicat Hygin. *vt quidquid furripuiſſet, in quamcunque effigiem*

Allpedis de ſtirpe Dei, verſuta propago,
Naſcitur Autolycus, furtum ingenioſus ad omne,
Qui facere adſuerat, patriae non degener artis,
Candida de nigris, et de candentibus atra.
Naſcitur e Phoebo (namque eſt enixa gemellos)
Carmine vocali clarus, citharaque Philammon.
Quid peperiſſe duos, et Dis placuiſſe duobus;
Et forti genitore, et progenitore Tonanti
Eſſe ſatam prodeſt? an obeſt quoque gloria multis?
Obfuit huic certe. Quae ſe praeferre Dianae
Suſtinuit, faciemque Deae culpauit. At illi
Ira ferox mota eſt: Factisque placebimus, inquit.
Nec mora; curuauit cornu, neruoque ſagittam
Impulit, et meritam traiecit arundine linguam.
Lingua tacet, nec vox, tentataque verba ſequuntur:

317 Conſtant. Fan. ſcribendum cenſet, *Philoemon*, vt ſit nomen ab arte ductum, a φίλος, amicus, et οἶμη, cantus. 318 Vnus Heinſ. *quid Dis*, 319 *Tonanti* pro *Tonante* e melioribus recepit Heinſ. qui et malit, *ſatae prodeſt*. 325 Schepner. coni. *Expulit*. Sic in vno Baſ. reperit Burm. 326 Vulg. *Lingua iacet*. Mox prior Vatic. *iterataque*, quod non diſplicebat Heinſ. Sed v. Burm.

vellet, *transmutaretur*, *ex albo in nigrum*, *vel ex nigro in album*, *in cornutum ex mutilo*, *in mutilum ex cornuto*. In his artibus non *degener* erat patris. De fraudibus et furtis Mercurii Iani Exc. III ad Horat. lib. I od. ita iudicat: „Quoniam omnia, in quibus ingenii ſollertia cernitur, Mercurio tribuuntur: hinc Deus eſt omnis *doli* ac *fraudis*, in qua callidum acumen eſt, qua imponitur et illuditur aliis, vel prudentia civili ac bellica poſtulante, vel animi tantum oblectandi innocentisque ioci edendi, aut ingenii oſtendendi cauſſa: quo referenda e. g. furta iocoſa, praeſtigiae, illuſiones ſenſuum etc. Quod vniverſum cum Graeci κλοπήν, Latini *furtum* dicant, ipſeque Mercurius inde λῃστήρ, φιλητῶν ὀχαμός, *fur*, *furibus aptus* etc. audiat; fuerunt qui decepti vocabulorum (quorum graecum et latinum vſum neſcirent) ſpeciali et notiori ſignifi atione, eum furum et latronum (malo ſenſu) Deum facerent."

317 *Philammon* inter antiquiſſimos muſicos refertur etiam a Plutarch. de Muſica p. 1132. Choros virginum primus inſtituiſſe traditur a Pherecyde. *carmine vocali*, cantu.

318 Hac generis, amantium prolisque gloria elata Chione perit.

322 *ſuſtinuit*, auſa eſt. *culpauit*, deteriorem ſua pronuntiavit. Hygin. *in venatione in Dianam locuta eſt ſuperbius*.

326 Imitatus eſt Stat. IX, 602. Nec *verba diu tentata ſequuntur*. Eleganter *ſequi* drr. quae parent conanti.

Conantemque loqui cum ſanguine vita reliquit.
Quem, miſera o pietas! ego tum patruoque dolorem
Corde tuli, fratrique pio ſolatia dixi.
Quae pater haud aliter, quam cautes murmura ponti,
Accipit: et natam delamentatur ademtam.
Vt vero ardentem vidit, quater impetus illi
In medios fuit ire rogos: quater inde repulſus
Concita membra fugae mandat, ſimilisque iuuenco,
Spicula crabronum preſſa ceruice gerenti,
Qua via nulla, ruit. Iam tum mihi currere viſus
Plus homine eſt; alasque pedes ſumſiſſe putares.
Effugit ergo omnes; veloxque cupidine leti
Vertice Parnaſi potitur. Miſeratus Apollo,
Cum ſe Daedalion ſaxo miſiſſet ab alto,
Fecit auem, et ſubitis pendentem ſuſtulit alis,

328 Ita loc. conſtituit Heinſ. Olim edebatur, *Quam miſer amplexans ego tunc*. Duo, *quam miſer, o pietas*. Plerique, *quam miſero pietas*. Vnus, *quem miſero o pietas*. Deinde pro vulg. *patrio* nonnulli, *patriumque*. Quidam, *patruique*. Septem, *patruo*. 335 Multi, *laeſa ceruice*. Sec. Palat. *laeua*. Iunian. *paſſa*, nempe *ſpicula*. v. Heinſ. 336 Multi, *fugit*. Cioſan. ex vno, *nulla ſuit*. 337. Voſſian. *aliosque pedes*. Bonon. et Berſm. *ſumſiſſe videres*. 338 Hunc quoque vſ. eſſe adulterinum vix dubitat Heinſ.

328 *o miſera pietas* ſollemnis exclamatio, vbi de malis pio infligtis ſermo. v. Heinſ. Sed an ita ſcripſerit Ouid. certo affirmare non auſim. v. Varr. Lect. *patruo corde* Heinſ. interpretatur, forti et duro corde. Imo, ita vt decet patruum, veni in ſocietatem doloris, et ſolatus ſum fratrem *pium*, i. vnice amantem filiam, ſed ſurdo ſolatia adhibui. *Cautes* vel mentis attonitae. Virg. Aen. VI, 471. vel, vt h. l. ſurditatis ſymbolum. *delamentari* noua compoſ. ad formam τῶν *demirari* et *deamare*, in quibus *de* vim habet inſendendi, vt *e* in *emirari* apud Horat. I od. 5, 8.

334 *concitus*, celer, vt IV Faſt. 461. *concito curſu fertur*. Similiter *incitus*. Cic. N. D. II, 35. *inciti delphini*. *preſſa*, cui impreſſa ſunt ſpicula. *currere plus*, currere velocius. Curſus ille adumbratio volatus. Etiam II, 586. Cranai filia, antaquam in cornicem tranſiret, *currebat*. Et *currere* adeo pro volare VIII, 203.

341 *ſuſtulit alis* eleganter pro, dedit alas, quia aues in ſublime *tolluntur* alarum ope. II, 587 et 708. VIII, 256. Multi Mſſ. *ſuſtinet*, non minus eleganter; aues enim *ſuſtinent ſe alis*. IV, 411. *aura cadentem ſuſtinuiſſe viſa eſt*. VIII, 148. *pendentem*, vt penderet, volaret. VI, 667. *corpora Cecropidum pennis pendere putares*. *Pendebant pennis*. VIII, 145. de Niſo, *iam pendebat in auras*.

Oraque adunca dedit, curuos dedit vnguibus hamos,
Virtutem antiquam; maiores corpore vires.
Et nunc accipiter, nullis satis aequus, in omnes
Saeuit aues: aliisque dolens sit causſa dolendi.
Quae dum Lucifero genitus miracula narrat
De conſorte ſuo; curſu feſtinus anhelo
Aduolat armenti cuſtos Phoceus Anetor.
Heu Peleu, Peleu! magnae tibi nuntius adſum
Cladis, ait. Quodcumque ferat, iubet edere Peleus.
Pendet, et ipſe metu trepidat Trachinius heros.
Ille refert: Feſſos ad litora curua iuuencos
Adpuleram, medio cum Sol altiſſimus orbe
Tantum reſpiceret, quantum ſupereſſe videret.

344 Vulg. *nulli.* 349 Tres, *O Peleu.* Vnus Voſſ. *En.* Quinque, *heu*, quod lacuit Heinſ. qui tamen etiam coni. *Et Peleu*, *hou Peleu.* 351 Vulg. *trepidi Trachinius oris.* Heinſ. coni. *trepidus Trach. haeres.*

343 Aliter originem accipitris narrat Anton. Lib. cp. 3. Hierax, vir iuſtus et nobilis inter Mariandynos, cum Teucris a Neptuno vexatis opem tuliſſet, mutato corpore, mutatisque moribus accipiter factus eſt. Μέγιστα γὰρ ὑπ' ἀνθρώπων φιληθέντα πλεῖστον ἐποίησεν (Ποσειδῶν) ὑπὸ τῶν ὀρνέων μισηθῆναι, καὶ πολλὰς ἀνθρώπους ἀποθανεῖν κωλύσαντα, πλείστους ἐποίησεν αὐτὸν ὀρνίθων ἀποκτεῖναι.

346 Fab. altera de lupo. Secundum Nicandr. ap. Anton. Peleus, interfecto Eurytione, Iri filio, ad Acaſtum fugit, et inde ad Chirona. Hinc collecta et, cum Irus pro redemtione accipere nollet, libera miſſa armenta inuadit lupus. *Conſors*, frater, vt XIII, 663 Tibul. II, 5, 24. *conſors ſanguis*, fraternus ſanguis, VIII, 445. De vxore eſt VI, 94. de ſorore III Pont. 2, 48. *miracula de conſorte*, miram fratris converſionem. *feſtinus*, feſtinans. Voc. hanc ab Ouidio primo vſurpatam eſſe conteudit Schirach male; occurrit enim ap. antiquiores, v. c. Virg. Aen. IX, 488. *curſu feſt. anhelo*, currens tam feſtinanter, vt anhelaret.

349 *Heu Peleu, Peleu* ſatis lugubrem ſonum habet, in primis in ore agreſti. *Phoceus*, e Phocide.

351 Hic quoque amabilem et humanum ſe oſtendit Ceyx. *Pendere* et *ſuſpenſus* eleganter dr. animus, cum verſatur incertus inter ſpem et metum, hinc cum anxius eſt et ſollicitus de euentu rei. Sed Heinſ. qui paratus nimis eſt ad delendos verſus, hunc quoque ſpurium iudicat, improbante Burm. qui e multis Mſſ. recte legi vult, *Pendet et ipſe metu trepidus Tr.*

352 ſqq. Prolixitas et nimia diligentia huius narrationis male conuenit perturbationi et feſtinationi paſtoris. Meridianum tempus tribus modis declarat; varias boum recreationes eleganter quidem, alieno tamen loco, enarrat, neque templi deſcriptio hic locum ſuum habet. *Feſſos* a via et aeſtu ſolis. *Adpuleram*, adegeram. Abſolute ſic *appellere* dixit Cic. I Div. 44. *Tantum* viae aut coeli *reſpiceret*, poſt ſe relictum haberet. Conf. II, 187 ſqq.

Parsque boum fuluis genua inclinarat arenis,
Latarumque iacens campum ſpectabat aquarum.
Pars gradibus tardis illuc errabat et illuc:
Nant alii, celſoque exſtant ſuper aequora collo.
Templa mari ſubſunt, nec marmore clara, nec auro;
Sed trabibus denſis, lucoque vmbroſa vetuſto.
Nereides Nereusque tenent. Hos nauita templi
Edidit eſſe Deos, dum retia litore ſiccat.
Iuncta palus huic eſt, denſis obſeſſa ſalictis,
Quam reſtagnantis fecit maris vnda paludem.
Inde, fragore graui ſtrepitans, loca proxima terret,

355. Vnus Medic. *incuruarat.* 356 Vulg. *campos.* Deinde *illuc et iſtuc* nonnulli. 359 Vnus Gronov. *marmore tecta.* 360 Vnus Heinſ. *lucoque obſcura.* 363 Plurimi ex veteribus, *raris obſeſſa.* v. Heinſ. et Burm. 365 *ſtrepitans* pro *ſtrepitus* dedit Conſt. Fan. approbante Heinſ. Alii, *grauis* vel *graui ſtrepitu.* Exc. Caland. *crepitans.*

355 Bene boum quieſcentium habitum notat; *inclinatis* enim illi *genibus*, capiteque fere immoto eundem ſemper locum ſpectant, vt nunc *lat. camp. aquarum*, latum mare. Cum autem graminá carpunt; et *tardis gradibus* procedunt, et modo in hanc modo in illam partem veſtigia ferunt, quod verbo *errare* exprimitur. Etiam tertium recreationis genus ſuaui imagine exornavit, *celſoque exſtant* etc.

359 *Templa*, pro, *templum. ſubſunt*, prope ſunt, vt vſ. 234. Lenzius vero monet, domum Nerei et Nereidum ſub mari intelligi; etenim et alios poëtas lucos memorare in fundo maris. At ita cuſtos pecoris domum illam non vidiſſet; neque poëta ſic elocutus eſſet illam domum. *clara*, ſplendentia, vt II, 2. *trabibus vmbroſa*, obſcura arborum vmbra. Quia in lucis ſacris arbores caedere non licebat; hinc fere ſemper eorum *vetuſtas*, quae et ipſa aliquid ſanctitatis habet, commemoratur. *Tenent* templum, qui in eo coluntur. *nauita*, piſcator. Pro, in litore verſans, maluit ſpecialem et gratam ideam, *dum retia* (in) *litore ſiccat. Edidit*, ſcil. mihi.

363 *obſeſſa*, cincta, *denſis*, in quibus latere commode et commorari lupus poterat. *quam — paludem.* Solet ita ſubſtantiuum praecedens poſt relatiuum repeti, etiam vbi oratio minime ambigua.

365 In vaſtitate lupi et feritate augenda non nimius eſt, imo praeclare imitatur ſermonem hominum portento aliquo obſtupefactorum. Cf. Horat. I od. 22, 13 ſqq. et Noſter VIII, 282 ſqq. *Inde*, ex iſtis latibulis prodiens.

Belua vaſta, lupus; ſiluisque paluſtribus exit,
Oblitus et ſpumis, et ſpiſſo ſanguine rictus
Fulmineos; rubra ſuffuſus lumina flamma.
Qui, quamquam ſaeuit pariter rabieque fameque,
Acrior eſt rabie. Neque enim ieiunia curat
Caede boum, diramque famem ſatiare, ſed omne
Vulnerat armentum, ſternitque hoſtiliter omne.
Pars quoque de nobis funeſto ſaucia morſu,
Dum defenſamus, leto eſt data. Sanguine litus,
Vndaque prima rubent, demugitaeque paludes.
Sed mora damnoſa eſt, nec res dubitare remittit.
Dum ſupereſt aliquid, cuncti coëamus, et arma,
Arma capeſſamus, coniunctaque tela feramus.

366 *ſiluisque paluſtribus.* Burm. negat, ſalicta nunc ſatis apte *ſiluas* vocari. De ſuo igitur dedit, *vluisque.* Duo. *fuluisque* Alii, *niueisque paludibus.* 367 Ciofan. in ſuis Mſſ. reperit, *Obſitus*, quod placet Heinſio. 371 Olim edeb. *famem finire.* Prim. Regius, *lenire.* Multi, *ſedare.* Cantabr. pro diuerſa lect. *ſaturare.* Octo, *ſatiare*, quod elegit Heinſ. 372 *Omne* habent Florent. S. Marc. et vnus Heinſ. Caeteri, *omnes.* 375 Vulg. *rubet.* 377 Olim, *coëamus ad arma.*

fragore graui ſtrepitans, et plurima et craſſiora ligna frangens, vt ſtrepitus longius audiretur. Audiri poterat, non videri propter ſalictorum denſitatem. *rictus fulmineos*, v. ad X, 550. *ſpiſſo*, concreto. Supra IV, 96. *Venit ecce recenti caede leaena boum ſpumantes oblita rictus.* Oculi ſuffuſi *rubra flamma*, rubore igneo, furoris ſigno. *ſaeuit*, omnia vaſtat et trucidat, incitatus *fame*, quae multum vexat lupum, vnde *improba ventris rabies* Virg. Aen. II, 356. Sed hic, tamquam tigris, *acrior*, ſaeuior et iracundior eſt, *rabie*, propter furorem a Nereidibus ei immiſſum. *ieiunia* i. q. *famem. ſatiare*, ſedare. *caede*, carne boum caeſorum. *non curat ſatiare*, non vult, non id agit, vt famem ſedet, cui rei ſufficeret vel vnus bos caeſus.

374 De *defenſare* v. ad XII, 376. *Demugire*, ſingulariter dictum, mugitu implere.

376 *res*, vaſtatio lupi. *dubitare*, dubium et fluctuantem cunctari, conſilia conferre. *remittit*, ſinit, permittit, vt X, 330. *coëamus*, vt vſ. 24. *Arma* bis ita poni ſolet in illa formula. v. Heinſ. *coniuncta* pro, coniunctim.

379 *nec — ſed*, non tam — quam, vt recte Burm. contra Tanaq. Fabr. *admiſſi*, caedis fraternae perpetratae *Nereis*, Pſamathe, Nerei filia, ex qua Aeacus Phocum genuerat, *colligit*, iudicat, exiſtimat. *ſuo*, filio ſuo Non igitur aſſentior Heinſio *damna ſui*, i. damna ſua, e Mſſ. nonnullis praeferenti. *Inferiae*, ſacra Diis Manibus placandis facta, quae pr. drr. *mitti* et *ferri*. Cum caedes facta morte aut inſigni parricidae clade compenſatur, Dii drr. illum hominem aut illa damna *inferias mittere* interfecto, Horat. II od. I, 27. Iuno *victorum nepotes Retulit inferias Iugurthae.*

Dixerat agreſtis. Nec Pelea damna mouebant:
Sed, memor admiſſi, Nereïda colligit orbam
Damna ſuo inferias exſtincto mittere Phoco.
Induere arma virbs, violentaque ſumere tela
Rex iubet Oetaeus; cum quîs ſimul ipſe parabat
Ire. Sed Halcyone coniux excita tumultu
Proſilit, et, nondum totos ornata capillos,
Diſiicit hos ipſos: colloque infuſa mariti,
Mittat vt auxilium ſine ſe, verbisque precatur,
Et lacrimis; animasque duas vt ſeruet in vna.
Aeacides illi, Pulchros, Regina, piosque

378 Tum. Faber corrig. *et Pelea.* 381 Vetuſtiores, *damna ſua* v. *ſui.* 385 Multi, *tortos.* 386 Libri veteres magna ex parte, *diſiicit*, quod approbarunt nonnulli, idque pro *diſſecat* voluerunt vſu factum. Quinque, *diſcutit*, quatuor, *diſſipat*, tres, *diſcidit.* 386 *Infuſa* ex tribus dedit Ciofan. Caeteri, *infixa.* 388 Opt Thuan. et vnus Voſſ. *conſeruet.*

382 Hic quoque mores ſuos amabiles ſeruat Ceyx. *Oetaeus*, quia Trachinia vicina Oetae monti. Multi Mſſ. *aetherius*, quod explicant, ſidereum, ſplendidum. Imo, qui aetheream ſ. coeleſtem originem habet. v. vſ. 271. Sic etiam vſ. 445. *ſidereus* capi debet. *arma*, galeam, loricam, clypeum, quae veſtimentorum initar, *induuntur*, namque etiam clypeis loro aut anſae inſertatur ſiniſtra. *tela*, gladium, iacula, ſagittas, quibus *vis* inſertur.

384 Apta haec ingenio muliebri. *Exciri* et *excitari* drr. qui aut vocati aut perterrefacti de ſella ſua repente proſiliunt. *tumultu*, ſtrepitu virorum ad arma concurrentium. Proſilit vt Semiramis apud Valer. IX, 12. *Cum ei, circa cultum capitis occupatae, nuntiatum eſſet, Babylona defeciſſe, iam parte crinium adhuc ſoluta protinus ad eam expugnandam cucurrit, nec prius decorem capillorum in ordinem, quam tantam vrbem in poteſtatem ſuam redegit.* De turbatis capillis ſollemne eſſe *diſiicere*, exemplis docent Heinſ. et Burm. *infuſa* de amplexante, etiam Heroidd. II, 93. Similiter *adfuſus* IX, 366. Schirach. vero defendit, *infixa*, vt elegans ſit imago ardenter petentis, et amantis ſeruide. Certe qui diuelli ab aliqua re nolunt, *infixi* et *adfixi* drr. Diſputatur, an recte dicatur, *mittere auxilium.* Hiſtorici ſane dicunt *auxilia*, cum copias auxiliares indicare volunt, ſed poetae licuit Singul. pro Plurali ponere. *animasque* etc. quia, ſi Ceyx in illo certamine periiſſet, amantiſſima eius coniux noluiſſet ipſi ſuperſtes eſſe. III, 473. *Nunc duo concordes anima moriemur in vna.* Tibul. IV, 4, 21. *in vno Corpore ſeruato reſtituiſſe duos.*

389 Breuis et vrbana reſponſio Pelei. Metus *pii* de ſalute coniugis, ſunt *pulchri*, reginae decori ſunt et gloriae. Mox Burm.

Pone metus: plena eſt promiſſi gratia veſtri.
Non placet arma mihi contra noua monſtra moueri.
Numen adorandum pelagi eſt. Erat ardua turris,
Arce patens ſumma; feſſis loca grata carinis.
Adſcendunt illuc, ſtratosque in litore tauros
Cum genitu adſpiciunt, vaſtatoremque cruento
Ore ferum, longos infectum ſanguine villos.
Inde manus tendens in aperti litora ponti,
Caeruleam Peleus Pſamathen, vt ſiniat iram,
Orat, opemque ferat. Nec vocibus illa rogantis

390 Vnus Moreti, *permiſſi*. Vndecim, *gratia noſtri*. Duo, *gloria veſtri*. Heinſ. notauerat, *permiſſi gratia voti*. 391 Plurimi, *mouere*. 393 Heinſ. monet, poſſe et *foci* et *faces* legi. 394 Multi, *deſcendunt*, quod Burm. ex *eſcendunt* ortum putat, quam vocem Liuio ſaepe reddiderit Gronov.

dubitat, an *plena eſt* etc. recte ſit dictum pro, concedo in tuam ſententiam et obſequor. Sane hoc verba minime dicunt. *Plena* eſt plurima, maxima. Promiſſum veſtrum, ſtudium veſtrum me adiuuandi militibus, plurimum gratiae habet. *Plenum* ita dici, docui ad X, 290. *Non placet* e formula ſollemni ſententiam dicentium. *noua monſtra*, lupus et inuſitatae magnitudinis et diri furoris. *Numen pelagi*, Pſamathe. v. vſ. 398.

392 3 Hi verſus valde vexarunt Heinſ. et Burm. Cum antea legeretur. *Arce locus ſumma*, quod ſane ferri nequibat tum propter ſenſum, tum quia mox ſeq. *loca*, Heinſ. ex ingenio emendabat, *focus*, eandemque ſe poſtea lect. in primo Vatic. reperiſſe adfirmat. Coniiciebat et *pharus* ductu alterius Twisdenii, vbi a manu prima erat, *phocus*. Burm. recte dubitat, an *locus* pro pharo poni poſſit, ſed ſine cauſſa durum ei videbatur, *focus*, *loca grata carinis*. Itaque ampliandum hic cenſet, quamquam ipſe ex vno Baſil. egregiam lectionem profert, quam, Schirach. etiam probatam, amplexus ſum, *Arce patens ſumma*. Cacumina montium poëtis *arces* dici, ſupra vidimus. In cacumine montis igitur erat *ardua turris*, pharus, *patens*, quae longe lateque conſpiciebatur, quo ſenſu eleganter *patere*. Eaque turris nautis *feſſis*, diuturnitate itineris tempeſtatumque faeuitia defatigatis, *locus gratus*. Niſi igitur haec lectio profecta eſt ab ipſo Ouidio, certe eo non indigna videtur. Carinae ipſae e longinquis terris redeuntes etiam VI, 519. *feſſae* vrr. vt I, 532. *feſſae erroribus vndae*. Lenzius *focum* explicat aram, in qua nautae vota pro ſalute ſoluerint. Sed non puto, aram in monte recte *focum* dici.

396 Poteſt *ferus* ſubſtantiue capi, vt ap. Virg. et Phaedr. de equo, ceruo, leone etc. Tunc *vaſtator ferus* dictum foret, vt X, 540. *raptores lupi*. *apertus*, cuius conſpectus late patet, vt *apertus campus*, non obſitus arboribus, hinc longe conſpiciendus, *apertum coelum*, non obdu-

Flectitur Aeacidae. Thetis hanc pro coniuge ſupplex
Accepit veniam. Sed enim reuocatus ab acri
Caede lupus perſtat, dulcedine ſanguinis aſper;
Donec inhaerentem lacerae ceruice iuuencae
Marmore mutauit. Corpus, praeterque colorem
Omnia ſeruauit: lapidis color indicat, illum
Iam non eſſe lupum, iam non debere timeri.
Nec tamen hac profugum conſiſtere Pelea terra
Fata ſinunt: Magnetas adit vagus exſul, et illic
Sumit ab Haemonio purgamina caedis Acaſto.

405 Micyllus coni. *Nomina ſeruauit*. Vnus Medic. *ceruice gerenti*. Inde Burm faciebat, *vaccae*, *ceruice gerenti*, ſcil. lupum. Gronov. et Menardi *niueae iuuencae*. Baſ. *lata ceruice*. Tres, *mutauit corpus Pſamateque colorem*. Multi, *corpus pariterque colorem*, *Caetera ſeruauit*, ex quibus varias poſſe emendationes excogitari, Burm. monet. 407 Heinſ. malebat, *conſidere*.

ctum nubibus, hinc oculis longe lateque patens.

400 Sed Thetidis precibus mitigata eſt, vt veniam daret Peleo. Mox auctore Heinſio e vetuſtioribus plerisque Mſſ. praetuli, *reuocatus*. Fruſtra diu reuocabatur a Nereide lupus, donec etc. Ita bene notatur ardor et ſanguinolentia lupi. Qui *irreuocatus* tuentur, explicant irreuocabilem. *acris caedes*, faeua, plurima. *aſper*, ardens, incitatus, vt Virg. G. III, 434. ſerpens *aſper ſiti*. et IX, 62. lupus *aſper et improbus ira Saeuit*. Non modo ira, quamquam ea potiſſimum, cum *aſperitate* comparatur, ſed omnis etiam animi impetus. *inhaerere* de mordente beſtia etiam I, 535. Verbo *haerere* et compoſitis Ablatiuus interdum additur, niſi malis h. l. dictum pro, *haerentem in ceruice*. *lacerae*, quam lacerare parabat. Ingenioſe vaſtatorem in ipſo lacerationis actu fingit mutatum. *Marmore*, in marmor. v. ad IX, 81. Mutatus autem ille non in marmor informe, ſed *corpus*, formam lupi, *omniaque*, omnes eius partes, ſeruauit. Laborare tamen hic ſenſus viſus eſt poſt Micyllum Burm. qui e tribus Mſſ. legit, *inhaerentis — mutauit corpus*, aut, vt concurſus genitiuorum vitetur, *inhaerenti*, vt eſt in vno Mſ. Puteaneo. — Anton. Lib. de hoc ſaxeo lupo, *καὶ ἄχρι πλείστα διέμενε μεταξὺ Λοκρίδος καὶ τῆς Φωκίδος γῆς*. Inde colligas, ſaxum quoddam, illius loci formam lupi vtcunque referens, fab. peperiſſe.

407 Obſeruat Burm. praeeunte Seruio ad Virg. Aen. VIII, 10. *conſiſtere* dici de iis, qui poſt vagos errores in certis ſedibus quieſcant. *purgamina ſumit*, purgatur, luſtratur, *καθαίρεται*. Neque enim ei, qui caede, adulterio ſimilique facinore ſe polluerat, ſacris intereſſe licebat, aut templa adire, niſi luſtratus antea eſſet, quae luſtratio aqua viua aut marina, ſulphure, flamma fiebat. Secundum alios bis Peleus luſtratus eſt, propter fratris caedem ab Eurytione, et, Eurytione interfecto, ab *Acaſto*, Iolci rege. Apollod. 3, 13, 1 ſq.

Ceyx et Halcyone.

Interea fratrisque sui, fratremque secutis
Anxia prodigiis turbatus pectora Ceyx,
Consulat vt sacras, hominum oblectamina, sortes,
Ad Clarium parat ire Deum: nam templa profanus
Inuia cum Phlegyis faciebant Delphica Phorbas.
Consilii tamen ante sui, fidissima, certam

414 *faciebant* Heins. e Vossian. et vno Bas. recepit. Caeteri, *faciebat*. Basil. *profani* et deinde *Phryxi* pro *Phorbas*.

FAB. VIII. vs. 410 — 748. *Ceyx et Halcyone.* Ceyx ad Apollinis Clarii templum proficiscens perit naufragio. Halcyonae de salute mariti sollicitae Morpheus apparet in somnis, indicatque periisse eum. Illa cum ad litus decurrisset, in volucrem vertitur, eandemque transformationem patitur corpus Ceycis exanime. Cf. Hygin. fab. 65. et Lucian. Halc. To. I. p. 129. qui eosdem cum Nostro auctores secuti videntur, quamquam paucis rem attingunt. Alii in multis dissentiunt. V. Apollod. I, 7, 4. Schol. Homeri ad Il. ι, 558. Schol. Aristoph. p. 552. Schol. Theocrit. ad Id. VII, 57. Tzetz. ad Lycophr. p. 69. Serv. ad Virg. G. I, 399. Lutat. ad Stat. IX Theb. 361. Etiam Hesiod. haec forsan tractauerat. Certe Athen. II, p. 49 carmen eius laudat Κήυκος γάμος inscriptum. Noster exornavit hanc fab. copiosissimis tempestatis, Somni, Morphei descriptionibus. Et est in elaboratissimis huius operis partibus, in quibus Auctor vel maxime ingenium ostentauit. Elegit traditionem eam, quae ipsos commendat.

410 — 14 Consilium Ceycis. Mutatio fratris in accipitrem (vs. 291 sqq.) et paulo post lupus Pelei armenta trucidans vim prodigiorum habebant, quibus *turbatus*, perterrefactus, Ceyx Apollinem consultum abit. *Hominum oblectamina*, quibus oblectantur homines in malis, quibus pellunt malorum molestias. V. Trist. XII, 1. *oblectare studio lacrimabile tempus*. Male igitur et Heins. ex vno Ms. Sixiano praefert *homini lactamina*, quia oracula homines spe vana lactauerint (quis enim credat, ridere h. l. Ouid. oracula voluisse?) et Tan. Faber emendat, *solatia*, metuens, vt *oblectamina* satis ex dignitate oraculorum dictum sit. De *Clario Deo* vid. ad I, 515. *Phlegyae*, gens Orchomeniorum, et strenui erant bellatores (Homer. Il. ν, 301.) et homines insolentissimi atque rapacissimi, qui Apollinis adeo Delphici templum diripuerunt. Hinc omnes fulminibus missis, terrae motibus et pestilentia absumti sunt. Pausan. Boeot. p. 782. *Phorbas*, non Argiuus ille, Argi filius, cuius stemma Pausan. Corinth. p. 145. et Schol. Eurip. ad Orest. vs. 930. exhibent, is enim antiquior Ceyce, sed haud dubie Phorbas Olenius, Ceyci aequalis, qui in pugna Lapitharum infra XII, 322. memoratur. *profanus*, contemtor Deorum, qui non modo obuios cogebat, vt pugillatu secum certarent, victosque necabat, sed Deos adeo ipsos prouocando lacessebat. Occisus est ab Apolline. Schol. Hom. ad Il. ψ, 660. *Inuium*, ad quod via non tuta. Dixit *faciebant*, quia praefert Pluralem, vbi de pluribus agitur per *cum* coniunctis. v. I, 320. ibique Burm.

Te facit, Halcyone. Cui protinus intima frigus
Ossa receperunt, buxoque simillimus ora
Pallor obit, lacrimisque genae maduere profusis.
Ter conata loqui, ter fletibus ora rigauit:
Singultuque pias interrumpente querelas,
Quae mea culpa tuam, dixit, carissime, mentem
Vertit? vbi est, quae cura mei prius esse solebat?
Iam potest Halcyone securus abesse relicta:
Iam via longa placet: iam sum tibi carior absens.
At puto per terras iter est, tantumque dolebo;
Non etiam metuam; curaeque timore carebunt.
Aequora me terrent, et ponti tristis imago.
Et laceras nuper tabulas in litore vidi;
Et saepe in tumulis sine corpore nomina legi.

418 Sixi et 3 alii, *Pallor habet*. v. ad IX, 291. Vnus, *adit*. Sed *obit* est occupat, vt I, 552. 420 Moretl, *Singultuque suas*. Gronov. *singultu medias*. Mox Leid. *loquelas*. 422 Heins. suum *Eia* (v. ad VI, 640.) hic quoque inserere volebat. Cum vs. sup. pro *dixit* Florent. haberet, *vertit*, hoc recipiendum putabat, et deinde legendum, *Eia vbi iam quae* etc.

416 *Halcyone*, Aeoli et Aegiales aut Enaretes filia. Hyg. Apollod. Ea iam et dolet, et metuit, et deterret. *buxo simillimus*. V. ad IV, 134. Dolorem exprobrationibus et suspicionibus declarat, verissime quidem e natura amantium. *vertit*, mutauit, abalienauit a me. *securus*, sine cura, quid fiat relictae coniugi. Paullo ante *cura* est amor.

426 *Curae*, desiderium. De *at puto* v. ad II, 566. *Imago*, cogitatio ponti, quem mihi ante oculos pono, in quo saepe, etiam nuper, naufragia facta cognoui. Tacit. Hist. IV, 58. *Horret animus tanti flagitii imagine*. Virg. Aen. VI, 405. *pictatis imago*. Ita et supra VIII, 508. Metus hic muliebri in primis animo conuenit. In *laceris tabulis* non debebat haerere Sasstius, qui vertit, *die verstümmelten Gemählde von Schiffbrüchen*. Quis enim non videt, esse fractas nauis tabulas et in litus eiectas? Naufragis, omninoque mortuis, quorum corpora reperiri non poterant, *tumuli* inanes exstrui solebant. v. VI, 568. Praefert Heins. ex prim. Medic. *in titulis*. Sine caussa. Tumuli habebant titulos, ergo etiam *nomina*. Laudat Burm. e Quinctil. Inst. VII, 3. *Nomen tumulo, quem* (in litore) *exstruxerant, inscripserunt*. Sed Noster quoque exempla suppeditat similia. Mox vs. 706. *In sepulcro — iunget nos litera*. XII, 2, *tumulo quoque nomen habenti*. Accedit, quod additur, *sine corpore*. Heins. malit etiam *sine nomine corpora*, vt intelligantur naufragi post in litus eiecti et in ignota ora terrae mandati. Sed

Neue tuum fallax animum fiducia tangat;
Quod socer Hippotades tibi sit; qui carcere fortes
Contineat ventos, et, cum velit, aequora placet.
Cum semel emissi tenuerunt aequora venti;
Nil illis vetitum est, incommendataque tellus
Omnis, et omne fretum. Coeli quoque nubila vexant;
Excutiuntque feris rutilos concursibus ignes.
Quo magis hos noui, (nam noui, et saepe paterna
Parua domo vidi) magis hos reor esse timendos.
Quod tua si flecti precibus sententia nullis,
Care, potest, coniux, nimiumque es certus eundi:
Me quoque tolle simul. Certe iactabimur vna:

433 Quia *venti* et *aequora* praecesserunt, Heins. suadet, *tenuerunt caerula* aut *aera fratres*, vt alterum ex glossa natum sit. 434 Alii, *incommutataque*. Thuan. *inconseruataque*. 435. Vnus Basil. *nubila verrunt*, vt vs. 499. 436 Regius, *incursibus*. Basil. *occursibus* Duo, *concussibus*. Boxh. *congressibus*. 438 Plures, *magis hoc*, quod probat Burm., quia iam dixit *hos*.

reclamant omnes Codd. et durum foret, *corpora legi* Illud autem nos morari non debet, quod istis temporibus nondum tituli inscribebantur tumulis Centies Noster confundit tempora

430 Accommodate haec de ventis ad personarum rationem dicta. Namque et *fiducia* illa facile tangere poterat *Hippotadae* i. Aeoli generum, nec melius quisquam eam repellere, quam eiusdem Dei filia. Fiducia illa virili animo conuenit, sollicitudo haec muliebri. De *carcere Hippotadae* cf. IV, 662. *fortes*, rapidi aut feroces. Irati, quibuscum comparatur mare turbidum, et *placari* drr. et *placari*. Itaque haec duo verba vbique fere, etiam h. l. in Mss. permutantur. v. Bentlei. ad Horat. A. P. 197.

433 *Tenuerunt*, incubuerunt. *Nil illis vetitum est*, nil pro vetito habent. Grauiter eos hoc nomine increpat Aeolus ap. Virg. Aen. I, 132. Quae *commendata* habemus, eorum curam praecipuam gerere debemus. Hinc *incommendatus*, cui non parcimus, quem impune violare licet, noue dictum. *vexant*, contorquent. Respexit autem h. l. Lucret. I, 279. *Venti — corpora caeca, Quae mare, quae terras, quae denique nubila coeli Verrunt, ac subito vexantia turbine raptant*. Fulgura et tonitrua excitabant e Democriti, Stoicorum aliorumque sententia venti cum nubibus *concurrentes*. v. Lucret. VI, 95 sqq. 172 sqq. Cf. supra VI, 693 sqq.

441 *Tolle*, scil. nauc aut in navem, naui impositam fac comitem itineris. Cic. ad Q. Fr. II, 10. *vt te proficiscens non tollerem* in rhedam. Plenius Horat. II Serm. VI, 42. *quem tollere rheda vellet, iter faciens. Iactari* pr. et de periculis nauigantium, et de corporibus eorum, qui naufragio perierunt. *Nec nisi quae patior* etc. Nempe metus multa mala temere fingit. Senec. Ep. 13. *Nescio, quomodo vana magis perturbant. Vera enim modum habent; quidquid ex incerto venit, conieeturae et licentiae paventis animi traditur.*

Nec, nisi quae patiar, metuam; pariterque feremus
Quidquid erit; pariter super aequora lata feremur.
Talibus Aeolidis dictis lacrimisque mouetur
Sidereus coniux: neque enim minor ignis in ipso est,
Sed neque propositos pelagi dimittere cursus,
Nec vult Halcyonen in partem adhibere pericli.
Multaque respondit, timidum solantia pectus.
Nec tamen idcirco caussam probat. Addidit illis
Hoc quoque lenimen, quo solo flexit amantem:
Longa quidem nobis omnis mora: sed tibi iuro
Per patrios ignes (si me modo fata remittent),
Ante reuersurum, quam Luna bis impleat orbem.
His vbi promissis spes est admota recursus;
Protinus eductam naualibus aequore tingi,
Aptarique suis pinum iubet armamentis.
Qua rursus visa, veluti praesaga futuri,
Horruit Halcyone: lacrimasque emisit obortas;
Amplexusque dedit: tristique miserrima tandem

443 Mallet Heins. *vehemur* vel *trahemur*, quia praecessit idem verb. 444 Vulg. *Aeolidis*. 447 Vnus Medic. iudice Burm. numerosius, *Nec tulit Halc.* v. ad XIII, 460. Tres, *adhibere laboris*. 454 Argent. *addicta recursus*. Iunian. *admissa*. 456 Quidam, *Armarique*. Sed *armari armamentis* Burm. non censet Ouidianum esse. Addit, posse legi, *Ornarique*, quod verb. in hac re proprium sit.

445 *Sidereus* saepe apud poëtas ad praestantiam eximiam referendum, sed nunc ad originem Ceycis. v. vs. 271. *Ignis*, ardor amoris.

449 *Caussam* ei *probat*, facit, vt consilium suum bonum ei videatur. v. Ernesti Clav. Cic. h. v. Phaedr. IV, 24, 11. *Opus adprobauit. flexit*, solatus est.

453 Heroid. II, 3. *Cornua cum Lunae pleno quater orbe coissent, Litoribus nostris ancora pacta tua est.*

454 *Spes est admota recursus*, spes est facta celerioris reditus. Curt. IX, 9, 7. *quo propius spes admouebatur*. Eleganter enim spes dr. *admoueri*, propius adduci, cum fit spes celerioris euentus. Opp. *longa* et *lenta spes* Heroid. II, 9. XVII, 108. *Recursus*, reditus nauigantium. *naualе*, locus in litore, vbi lignis suppositis stabant naues siccae. III, 661. Cum iis opus est, lignis teretibus subiectis retrahuntur in mare, quod pr. *deduci* dr. VI, 445. sed h. l. *educi*, quia additur naualibus. *Armamenta*, vela, remi, rudentes et omne instrumentum nauticum. Iis (casu sexto) *aptatur* nauis, i. instrui-

Ore, Vale, dixit: collapſaque corpore tota eſt.
Aſt iuuenes, quaerente moras Ceyce, reducunt
Ordinibus geminis ad fortia pectora remos:
Aequalique ictu ſcindunt freta. Suſtulit illa
Humentes oculos, ſtantemque in puppe recurua,
Concuſſaque manu dantem ſibi ſigna maritum
Prima videt, redditque notas. Vbi terra receſſit
Longius, atque oculi nequeunt cognoſcere vultus;
Dum licet, inſequitur fugientem lumine pinum.
Haec quoque vt haud poterat, ſpatio ſubmota, videri;
Vela tamen ſpectat ſummo fluitantia malo.

463 Duo, *ſindunt freta.* Thuan. *tundunt.* 464 Multi, vt Flor. S. M. et Cantabr. *in puppe relicta.* Vnus Med. *redicta;* vnde Heinſ. coni. *reducta* vel *redunca.* 465 Vnus Palat. *Compoſa ue.* Ita Gebhard. etiam Crep. III, 2 et ita aliquoties Petron. „Sed cum ex long nquo ſigna dare volumus, magis iactamus et concutimus, quam. complod mus manus.“ Burm. 469 Nonnulli, *ſomota.* 470 Cantabr. *volitantia*, vt Valer. Flac. I, 620.

tur, ornatur. Virg. Aen. III, 472. *claſſem velis aptare iubebat*, das Schiff ausrheden. Caeterum Quinctil. Inſt. IX, 4, 65. placet, ſi clauditur verſus quadriſyllabo, quale *armamentis.*

460 *Collapſa.* v. ad X, 186. Heroid. II, 130. *Linquor, et auſillis excipienda cado.*

461 *Iuuenes*, remiges. Etiam Homer. ſic νέρτε, *quaerente moras*, vt ſolent, qui aegre ab aliquo diſcelluntur. Cf. Heroid. II, 93 Tibul. I, 3, 15. *reducunt — freta* graphice deſcribit laborem remigum Lucan III, 543. *Tum caerula verrunt, Atque in tranſtra cadunt, et remis pectora pulſant. Ordinibus geminis*, quia naue biremi vtuntur; nam triremes ſerius inuentae. v Heinſ. et Burm. Similiter Virg. Aen. V, 119. triremem deſcribit, *triplici pubes quam Dardana verſu Impellunt, terno conſurgunt ordine remi. — aequali*, ad numerum. Modum iis dabat muſicus nauticus, de quo Silius VI, 212.

465 *Concuſſa manu*, iactatis manibus. Herotd. X, 438 Ariadne Theſeo, *Iactatae late ſigna dedere manus, Candidaque impoſui longae velamina virgae.* Supra V, 596. *Excuſſa brachia tuſto. Notas reddit*, ſigna viciſſim dat, ſignis reſpondet. *Recedere* loca ſuauiter drr. a quibus ipſi celeri curſu abimus. Virg. Aen. III. 72. Silius II, 157. Caeter. cf. Heroid. XIII, 1 — 25. vbi idem Laodamiae ſenſus.

470 *Fluitantia*, in aëre moto, tamquam in fluctibus. Hoc elegantius, quam, volitantia. Etiam Plin. pan. cp. 81. *Non ille fluitantia vela oculis ſequitur*, et Propert. III, 17. de velis theatrorum, *Pleno fluitantia vela theatro.* A. A. III, 148. capillis motis tribuuntur *ſimiles fluctibus ſinus.* Praeiuerat Lucret. IV, 75. vela *trementia flutant.*

Vt nec vela videt; vacuum petit anxia lectum;
Seque toro ponit. Renouat lectusque locusque
Halcyonae lacrimas: et quae pars, admonet, abſit.
Portubus exierant; et mouerat aura rudentes.
Obuertit lateri pendentes nauita remos:
Cornuaque in ſumma locat arbore, totaque malo
Carbaſa deducit, venientesque excipit auras.
Aut minus, aut certe medium non amplius aequor
Puppe ſecabatur; longeque erat vtraque tellus;
Cum mare ſub noctem tumidis albeſcere coepit
Fluctibus, et praeceps ſpirare valentius Eurus.
Ardua, iamdudum, demittite cornua, rector

472 Baſil. et Heinſ. vnus, *torusque*, quae repetitio Ouidio familiari, non diſplicet Burm. quamquam nihil mutare audet propter IV Triſt. 3, 23. 473 Multi, *abſtit*, quod etiam Priſcian. in ſuo reperit, qui interpretatur *abſtitit.* Priſcian. ſecuti ſunt recentiores quidam. Ridicule. v. Heinſ. 477 Notat Heinſ. meliores omnes habere, *Accipit.* Sed Burm. tuetur *excipit* propter Quinctil. Decl. XII, 16. *omnes excipe auras.*

471 *Vacuum.* v. ad X, 438. *Lectus* et *torus* differunt. *Lectus* curarum nutritor. Vid. VIII, 655. et infra vſ. 608. *ſe ponit toro*, recumbit in toro, cubitum it. *Pars*, alter coniugum. I Triſt, II, 44. de coniuge ſua, *Si peream, Dimidia certe parte ſuperſtes ero.*

474 *Mouerat aura rud.* id quod admonebat nautas, vt velorum ope vterentur. *Obuertunt* ergo *lateri* etc. h. remigare deſiſtunt. Tunc enim remos antea *pendentes* transuerſos ponunt, ne frangantur ab vndis, idque *inkibere remos* dr. *Cornua* etiam vſ. 482. antennae, ad graec. κέρατα et κεραίαι, quarum extremitates ἀκροκέρια. Antennas funibus, quos anginas dicebant, *locabant*, alligabant, *in ſuprema arbore*, in ſuprema mali parte. De *deducit* v. ad III, 663. *venientes*, orientes, flare incipientes.

478. Sequitur horrendae tempeſtatis deſcriptio, quae ſingula diligenter, apteque ad horrorem iniiciendum recenſet, ſed etiam luxuriantis ingenii ineptos luſus nonnullos habet, nec modum ſeruat. Praeiuit Noſtro Virg. Aen. I, 81 ſqq III, 193. Cf. I Triſt. II, 14 ſqq. IV, 5 — 16. Silius XVII, 250 ſqq — *Longe erat*, longe aberat, remota erat, (v. Schwarz. ad Plin pan. cp. 25.) *vtraque tellus*, et Trachinia et Aſia, vt adeo ne tabulis quidem inſidentes vnus et alter ſalutem petere poſſent. *Sub noctem* aut *ſub nocte*, ingruente nocte, vt *ſub ſole*, oriente ſole. Noctu tanto atrocior talis tempeſtas. *Albitudo*, ſpuma alba aquarum, quam efficit primus ventus, futurae tempeſtatis indicium. Virg Aen VII, 528. *Eurus* aduerſus eſt e Graecia in Aſiam nauigantibus.

482 — 89 Studia nautarum ſumma cum concurſatione ſibi nauique conſulentium. Conf. Claudian. B. Get. vſ. 274. *Nunc inſtare manu, toto nunc robore*

Clamat, et antennis totum ſubnectite velum.
Hic iubet: impediunt aduerſae iuſſa procellae:
Nec ſinit audiri vocem fragor aequoris vllam.
Sponte tamen properant alii ſubducere remos;
Pars munire latus; pars ventis vela negare.
Egerit hic fluctus, aequorque refundit in aequor:
Hic rapit antennas. Quae dum ſine lege geruntur,
Aſpera creſcit hiems, omnique e parte feroces
Bella gerunt venti, fretaque indignantia miſcent.
Ipſe pauet, nec ſe, qui ſit ſtatus, ipſe fatetur
Scire ratis rector, nec quid iubeatue, vetetue:
Tanta mali moles, totaque potentior arte eſt!

483 Heinſ. malebat, *tortum ſubnectite.* 493 Vulg. *iubeatue volitue.* 494 Vulg. *tantaque potentior.* Heinſ. coni. *cautaque.*

niti Communi pro luce decet; ſuccurrere velis, Exhaurire fretum, varios aptare rudentes, Omnibus et doctis iuſſis parere magiſtri. — *Iamdudum*, continuo, vt XIII, 457. et Virg. Aen. II, 103. *iamdudum ſumite poenas*, vbi v. Burm. *ſubnectite velum*, velum involutum alligate antennis. Id quo pacto factum ſit, oſtendit tab. 20. in Potteri Archaeol. To. II. *ſubducere*, retrahere remos, ne frangantur fluctibus. *munire latus*, obſtruere foramina, ne aqua intrare poſſit. *aequor*, aqua aequorea, vt *mare* III, 686. et *fretum* ap. Claud. d. l. Sed iocus ille et luſus verborum, *aequor refundit in aequor*, et in ſe puerilis eſt, et ab hac tempeſtatis notatione alieniſſimus. *rapit*, raptim detrahit.

489 Augetur interea tempeſtas. *Sine lege*, ſine ordine (vt I, 477. II, 204.), cum nec rectoris vox audiri poſſet, nec metus conſilium admitteret. *Lex* omnino modus et ratio certa aliquid efficiendi. *hiems*, χειμών, tempeſtas. *aſpera*, vehemens. *creſcunt*, validiora fiunt. Plin. pan. 82. *creſcentia laboribus membra. omni ex parte*, omnibus e coeli regionibus. Sic *pars* etiam II, 160. *feroces* (v. ad vſ. 291) et ſupra *fortes*, quia cum bellatoribus comparantur. *Miſcent*, commouent freta, quibus tunc *indignatio* tribuitur.

492 *Ipſe* periculi augendi cauſſa repetitum videtur. Hinc etiam epiphonema additur, *Tanta mali moles* etc. Hoc certe malim, quam ex Heinſii emendat. *Ecce pauet* legere; *ecce* enim hic non habet ſuum locum. *Pauor* autem ipſius rectoris cum ſit ſummi periculi indicium, commemorari ſere ſolet in tali deſcriptione. Homer. Od. ε, 297. Virg. Aen. I, d. l. I Triſt. II, 31. *Rector in incerto eſt: nec quid fugiatue petatue Inuenit. Ambiguis ars ſtupet ipſa malis. — qui ſit ſtatus.* Saſſtius, daſs er nicht wiſſe, wo das Schiff ſey. Sed *ſtatus* latius patet, omnemque exprimit nauis atque navigantium conditionem. Mox docta quidem eſt Burm. emendatio, *doctaque potentior arte* (Claudian. d. l. *doctus magiſter.* v. ad IX, 742.), ſed minime neceſſaria.

Quippe ſonant clamore viri, ſtridore rudentes,
Vndarum incurſu grauis vnda, tonitribus aether.
Fluctibus erigitur, coelumque aequare videtur
Pontus, et inductas adſpergine tinguere nubes:
Et modo, cum fuluas ex imo verrit arenas,
Concolor eſt illis, Stygia modo nigrior vnda:
Sternitur interdum, ſpumisque ſonantibus albet.
Ipſa quoque his agitur vicibus Trachinia puppis.
Et modo ſublimis, veluti de vertice montis,
Deſpicere in valles, imumque Acheronta videtur.
Nunc, vbi demiſſam curuum circumſtetit aequor,
Suſpicere inferno ſummum de gurgite coelum.
Saepe dat ingentem fluctu latus icta fragorem:
Nec leuius pulſata ſonat, quam ferreus olim
Cum laceras aries baliſtaue concutit arces:

496 Gronov. *impulſu.* 498 *tangere* reuocauit Mitſch. 499 Vulg. *ex imo vertit.* 501 Palat. *ſpumisque tumentibus*, quod Heinſ. ex VII, 263 repetitum iudicat. Moreti. *ſtridentibus.* Gronov. etiam *ardet.* 505 Menard. *demiſſam pinum.*

495 Sonus varius et mixtus obtundebat auditum, perturbabatque animum rectoris. Virg. d. l. *Inſequitur clamorque virum, ſtridorque rudentum. Vndarum — vnda*, fluctuum collisione ſonabat vnda. *aequare*, nempe altitudine. Copioſius haec exornata ſunt I Triſt. II, 19. *Quanti montes voluuntur aquarum! Iam iam tacturos ſidera ſumma putes* etc. *Adſpergine tinguere*, adſpergere, etiam III, 86. Recte igitur Burm. ex vno Moreti *tinguere* praetulit τῷ *tangere*. Supra I, 572. *adſpergine ſiluas impluit. Verrere* paſſim de ventis arenas tollentibus, vt VI, 706. Hinc etiam de fluctibus commotis. I Triſt. IV, 6. *Erutaque ex imis feruet arena vadis.* Virg. Aen. III, 557. *aeſtu miſcentur arenae.* Sed talia debentur ingenio poëtarum. Motus enim ille aquarum, quem faciunt venti, non pertinet, niſi forte in litore aut in locis vadoſis, ad fundum maris. *ſterni*, στορέσθαι, ſollemne de mari tumido, cum ſedatur et fluctus quieſcunt.

503 Cf. Virg. Aen. I, 105. et III, 564. *curuum aequor*, in altum ſublatum, montis inſtar. Virg. G. IV, 361. *Curuata in montis faciem circumſtetit vnda.* v. et infra XV, 507. et ita vbique *curuum* et *curuatum* mare ap. poëtas. Homer. Κυρτὸν aut κυρτωθὲν κῦμα. v. Od. λ, 242.

508 Oppugnatur nauis a fluctibus non aliter ac vrbs a militibus, quam ſimilitudinem ſeruat vsque ad vſ. 535. *olim*, ſere. v. ad IX, 170. *arces*, turres murorum. *laceras*, vt eas lacerent, perfringant. Eadem ſimilitudo I Triſt. II, 47. *Nec leuius tabulae laterum feriuntur ab vndis, Quam graue baliſtae moenia pulſat onus.*

Vtque ſolent, ſumtis in curſu viribus, ire
Pectore in arma feri, praetentaque tela leones.
Sic vbi ſe ventis admiſerat vnda coortis,
Ibat in arma ratis, multoque erat altior illis.
Iamque labant cunei, ſpoliataque tegmine cerae
Rima patet, praebetque viam letalibus vndis.
Ecce cadunt largi reſolutis nubibus imbres:
Inque fretum credas totum deſcendere coelum,
Inque plagas coeli tumefactum adſcendere pontum.
Vela madent nimbis; et cum coeleſtibus vndis

510 Quatuor, *in curſus.* Vnus, *cum curſu.* Mox vulg. *protentaque.* 517 Duo veteres, *diſcedere coelum*, vnde Heinſ. coni. *deſidere*, vt Virg. III, 564. *ad manes imos deſidimus vnda.* 518 Plurimi, *ſcandere pontum.* Quidam, *ſurgere.* Gebhard. Crep. III, 23. vult, *eſcendere.*

510 Non vim vndarum illuſtrare vult, ſed cauſſam auctae violentiae. *ſumtis viribus.* v. ad X, 373. Mox coniunge, *feri leones*, qui *eunt*, ruunt, feruntur, *in arma*, nempe in *praetenta tela*, venabula, quae pr. dr. *praetendi*, cum iis excipitur beſtia irruens. III, 83. VIII, 341. *Ire in aliquem* de hoſtili impetu. v. ad VIII, 403. *ſe admiſerat*, concitato curſu ferebatur. *Admiſſae aquae*, Amorr. I, 8, 50. vt *admiſſus equus* paſſim. Virg. Aen. XI, 272. *admiſſis petierunt aethera pennis.* Vulg. *ſe ventis commiſerat*, quam lectionem non movendam cenſet Schirach. At nunc de auctis viribus ſermo eſt; itaque praeſtat vtique *admiſerat. Ventis coortis*, concurſibus ventorum interruptis interdum et deinde maiore vi redintegratis, vt ſolet fieri in tempeſtate. Cf. I Triſt. II, 27. Fruſtra hic haeſit Burm. „Licet hoc verbo, inquit, tamquam proprio vtantur Lucret. et alii de ventis, tamen huic loco parum conuenire mihi videtur. Nam iamdudum *coorti* erant venti; quare cum ſecundo Palat. et Francof. praeferrem *coactis;* ingruente enim procella, vt in turbine fieri ſolet, coibant venti, et ab omni parte impugnabant navem.“ *In arma*, in armamenta.

514 *Cunei*, σχιδνήματα, ligna quaedam craſſiora, quae inſerebantur nauibus, quo minus, ſi in ſaxa incurrerent, atterererentur rimasue contraherent. v. Scheſſer. de Milit. nau. cp. 6. *Ceram* pro pice poſitam putant Regius et Glarean. Certe pice oblini naues ſolebant, vt eſſent munitae contra vim aquarum. Hinc μέλαιναι vrr. ab Homero. Sed picis loco *cera* interdum adhibebatur. Heroidd. V, 42. *caerula ceratas accipit vnda rates.* Vtraque materia coniungitur infra XIV, 532. *Rima patet* etc. Virg. vſ. 122. *Laxis laterum compagibus omnes Accipiunt inimicum imbrem, rimisque fatiſcunt.* — *totum deſcendere coelum.* Virg. vſ. 129. *coeli ruinam* vocat. G. I, 318. *ruit aether. plagae coeli*, regio coeleſtis, coelum.

519 Poſt tam horribilia phaenomena male additur, *vela* etiam

Aequoreae miſcentur aquae. Caret ignibus aether;
Caecaque nox premitur tenebris hiemisque ſuisque.
Diſcutiunt tamen has, praebentque micantia lumen
Fulmina: fulmineis ardeſcunt ignibus vndae.
Dat quoque iam ſaltus intra cava texta carinae
Fluctus: et, vt miles, numero praeſtantior omni,
Cum ſaepe adſiluit defenſae moenibus vrbis,
Spe potitur tandem; laudisque accenſus amore
Inter mille viros, murum tamen occupat vnus.
Sic vbi pulſarunt acres latera ardua fluctus;
Vaſtius inſurgens decimae ruit impetus vndae:
Nec prius abſiſtit feſſam oppugnare carinam,
Quam velut in captae deſcendat moenia nauis.
Pars igitur tentabat adhuc inuadere pinum,

522 Multi, *minantia*, Pr. Palat. ſec. Med. Vrbin. Berneg. Spir. et alii *minacia*. Hinc Heinſ. coni. *micacia*. 523 Pr. Erford. *Candeſcunt ignibus*, quod impenſius arridet Heinſ. 524 Duodecim, *inter cava*. 526 *Adſiliit* deterior ſcriptura eſt. 529 Pro *acres* vulg. *celſi*. 530 Pincierus *Valdius inſurgens* volebat. Palat. ſec. *altius*. 533 Duo veteres, *tendebat adhuc*, vt p. Virg Aen. II. *tendit diuellere nodos*, et X. *Locum tendunt ſuperare*. v. Heinſ. ad Claudian. in Eutrop. I, 13.

maduiſſe, male etiam poſt ſuperiora, *cum coeleſtibus vndis Aequoreae miſcentur. Caeca*, obſcura. *premitur*, quia tenebrae onus quaſi, incubans terrae et ponto. *Ardeſcunt*, igneo colore eſſe et ipſae videntur. Ingenioſe quidem et hoc obſeruatum, ſed in tam horribili tempeſtatis deſcriptione inepte commemoratum.

524 *Texere* tropo facili de viminibus nexis, hinc porro de trabibus innectis, maxime nauium, dici coeptum. Iam Pacuv. ap. Cic. I de Div. 31. *Iamque mari magno claſſis cita texitur.* Itaque *texta* pro naue ponuntur. XIV, 531. I Triſt. IV, 9. Similiter πλέκειν de curribus. v. Graeuii lect. Heſiod. cp. XVII. *cava*, adeoque recipiendis fluctibus apta. *numero praeſt. omni*, fortior caeteris commilitonibus omnibus. *defenſae*, quae defenditur. *ſpe potitur*, potitur eo, perficit id, quod ſperauerat. v. ad vſ. 454.

529 *Acres*, vehementes, impetuoſi. *decima vnda*, fluctus decumanus, i. maximus, qui aliis minoribus ipſe maior ſuccedit. I Triſt. II, 49. *Qui venit hic fluctus, fluctus ſuperemines omnes. Poſterior nono eſt, vndecimoque prior.* Lucan. V, 672. *decimus fluctus.* Ap. Silium XIV, 121. Boreas *decimo volumine pontum expellit in terras.* Graeci autem talem fluctum maluerunt τριτυμαίαν dicere. *Ruit impetus vndae* pro, vnda ruit cum impetu. *vaſtius*, vehementius, terribilius. Crebro cum *impetu* coniungitur h. v. v. Burm. ad VIII, 359. *moenia*, latera nauis, quibus muniti ſunt nauigantes contra vim aquarum. Nota ſunt *moenia li-*

Pars maris intus erat. Trepidant haud secius omnes,
Quam solet vrbs, aliis murum fodientibus extra,
Atque aliis murum, trepidare, tenentibus intus.
Deficit ars, animique cadunt: totidemque videntur,
Quot veniant fluctus, ruere atque irrumpere mortes.
Non tenet hic lacrimas: stupet hic: vocat ille beatos,
Funera quos maneant: hic votis numen adorat,
Brachiaque ad coelum, quod non videt, irrita tollens
Poscit opem: subeunt illi fratresque parensque;
Huic cum pignoribus domus, et quod cuique relictum
Halcyone Ceyca mouet: Ceycis in ore (est.
Nulla nisi Halcyone est: et, cum desideret vnam,
Gaudet abesse tamen. Patriae quoque vellet ad oras
Respicere, inque domum supremos vertere vultus:
Verum vbi sit nescit. Tanta vertigine pontus
Feruet, et, inducta piceis e nubibus vmbra,

534 *secius* debemus Heins. pro *segnius*. 538 Vulg. *veniunt*. Multi, *irrumpere montes*, male. 542 Vulg. *materque parensque*. 546 Malit Heins. *patrias*.

gnea e Corn. Nep. II, 2. Et commode h. l. tam *moenia*, quam *capta* nauis (quibus etiam emolliendi voculam *velut* addidit) dicta, quia nauis cum vrbe expugnata comparatur.

534 *Pars igitur — — intus erat*. Haec quoque melius resecuisset poëta. *trepidare*, discurrere, huc illuc se vertere prae pavore.

538 *Mortes*, mortis pericula. Sic *mortes* et θάνατοι saepe. v. Burm.

539 Angor nauigantium varie se prodens. *Non tenet* etc. Bentlei. ad illud Horat. I od. 3, 18. *Qui siccis oculis* etc. putat, in magno pauore, praesentique consternatione nullum *lacrimis* locum esse, ne in puella quidem infante, sed stuporem et pauorem. Bene; sed vbi animus e prima consternatione se colligit, vtique sequuntur lacrimae, vt vs. 418. Heroidd. X, 43. Propert. III, 5, 9. Curt. IX, 2. *Vocat ille beatos* etc. vt Vlysses Od. ε, 299. Aeneas Virg. I, 93 sqq. et Ouidius ipse I Trist. II, 53 — 56. *funera quos maneant*, qui in terra moriantur, vbi rite sepeliri possint, cum naufragi aut inhumati in litore iaceant, aut piscibus esca natent, quae tristissima fors antiquis visa. v. I Trist. d. l. *funus* nunc exsequiae, pompa funeralis, vt I Trist. 3, 89 Cic. Or. II, 55. *subeunt*, in memoriam redeunt. *pignora*, liberi.

544 Cf. Propert. III, 5. vbi similis affectus Paeti, deprensi in Aegaeo, describitur. Ibi Bronckh. alia loca comparauit. Caeterum hic quoque ingeniosus esse Ouid. voluit, *cum desideret vnam, Gaudet abesse tamen*.

Omne latet coelum, duplicataque noctis imago est.
Frangitur incursu nimbosi turbinis arbos:
Frangitur et regimen: spoliisque animosa superstans
Vnda, velut victrix, sinuatas despicit vndas.
Nec leuius, quam si quis Athon, Pindumue, reuulsos
Sede sua, totos in apertum euerterit aequor,
Praecipitata ruit: pariterque et pondere et ictu,
Mergit in ima ratem: cum qua pars magna virorum
Gurgite pressa graui, neque in aëra reddita, fato
Functa suo est. Alii partes et membra carinae
Trunca tenent. Tenet ipse manu, qua sceptra solebat,
Fragmina nauigii Ceyx: socerumque patremque
Inuocat, heu! frustra. Sed plurima nantis in ore

550 Multi, *mortis imago*. 552 Vulg. *superstes*. Quidam, *superstat*. Mox Burm. malit, *despicit alas*, vt de antennis iam vi venti curuatis agat, super quas vnda surgebat. 554 Heins. non placet *reuulsos* et *totos*. Suadet, *Pindumue vel Ossan*, *Sede sua motos*. Burm. auctoritatibus confirmat et *sede motos* et *reuulsos*. 556 Vulg. *praecipitata cadit*. 561 Gronov. *fragmina remigii*, vt Virg. X, 306. *fragmina remorum*.

550 Idem iam dixerat vers. 520 s. *noctis imago*, nox.

552 *Vnda*, quae malum et regimen frogerat, *spoliis*, armis istis detractis, *animosa*, (alibi *superbus* de victore) elata erat, et, vt victores occisis hostibus aut ferae deiectae praedae *superstare* drr. sic illa *superstans* victae naui, ex altitudine sua *despicit vndas sinuatas*, flexas, curuatas circa nauem. Fluere haec non potuerunt nisi ex ingenio foecundissimo. Sine caussa Burm. displicet *Vnda despicit vndas*, nec multum interest, vtrum *superstans* legas, an *superstes* cum aliis, cum haec duo promiscue vsurpentur. *Nec leuius*, non minore pondere, *praecipitata ruit*, praecipitat se, *quam si quis Athon* etc. quae comparatio inde fluxit, quia fluctus maximi *montes aquarum* dici solent. v. Heins. ad vs. 538. Ridiculus est Iac. a Cruce, qui alludi hic existimat ad facinora Xerxis et Herculis, quorum ille Athon a continente abscidit, hic Thessaliam stagnantem aperuit. Imo *Athon* et *Pindum* posuit pro montibus quibuscunque altissimis.

558 *In aëra reddi*, iterum emergere, prodire. *Se reddere* Virg. Aen. IX, 122. *membra, carinae*, vt *membra aedificii*. Plin. II Epist. 17. *dormitorium membrum*. Cic. ad Q. Fr. III, 1 *cubicula et eiusmodi membra*.

560 Nec regia dignitas ei profuit, nec affinitas consanguinitasque Deorum, quin aeque ac caeteri iactaretur. *fragmina*. Etiam Senec. Herc. Oet. 115. *puppis lacerae fragmina. refert* i. q. meminit. Sic etiam XV, 450. v. Heins. ad Heroidd. V, 113. *tumuletur*, sepeliatur, vt VII, 361. VIII, 610. *Intumulatus* II Heroidd. 136.

Halcyone coniux. Illam meminitque refertque:
Illius ante oculos vt agant ſua corpora fluctus,
Optat; et exanimis manibus tumuletur amicis.
Dum natat; abſentem, quoties ſinit hiſcere fluctus,
Nominat Halcyonen, ipſisque immurmurat vndis.
Ecce ſuper medios fluctus niger arcus aquarum
Frangitur; et rupta merſum caput obruit vnda.
Lucifer obſcurus, nec quem cognoſcere poſſes,
Illa nocte fuit: quoniamque excedere Olympo
Non licuit, denſis texit ſua nubibus ora.
Aeolis interea tantorum ignara malorum
Dinumerat noctes: et iam, quas induat ille,
Feſtinat veſtes: iam quas, vbi venerit ille,
Ipſa gerat: reditusque ſibi promittit inanes.
Omnibus illa quidem Superis pia tura ferebat:
Ante tamen cunctos Iunonis templa colebat;
Proque viro, qui nullus erat, veniebat ad aras;
Vtque foret ſoſpes coniux ſuus, vtque rediret,
Optabat, nullamque ſibi praeferret. At illi

567 Schepper. coni. *ipſamque immurmurat vndis.* 578 Heinſ. malebat, *Iunonia.*

566 Hoc iam vſ. 544. et rurſus inde a vſ. 561 dixerat. *Immurmurat* v. ad vſ. 53.

569 *Merſum obruit*, obruit et deinde merſit. v. ad I, 32. *Lucifer obſcurus* etc. v. ad X, 448. Lenzius monet, *Luciferum* iam ſupra vſ. 520 aut 550 nominandum fuiſſe. Immo, *Lucifer* hic non commemoratur vt ſidus, ſed vt pater Ceycis. Ergo recte h. l. eius fit mentio, et a luctu eius iam tranſitur ad coniugis ſenſus. Luctum tamen non bene notauit verbis *denſis texit* etc. quandoquidem totum coelum duplicata nocte obſcurum erat. *excedere Olympo*, ſtatione in coelo relicta, in ſolitudinem, more moerentium, ſecedere.

573 — 81 Non male ſenſus et ſtudia mulieris piae reditumque mariti exſpectantis hic notata habes. *Dinumerat noctes.* Heroidd. II, 7. *Tempora ſi numeres, bene quae numeramus amantes. Dinumerare* i. q. numerare. *Feſtinat*, feſtinanter texit. v. ad IX, 586. *inanis reditus*, quem falſo nobis promittimus, ſperamus. *pia tura*, quae animo pio adolentur, quorum oblatio pietatem declarat. Sic *blanda tura* Tibul. III, 3, 2. *far pium* III, 4, 10. Ea, ne quid ſua ipſius culpa marito accideret, mulier ſollicita dabat *omnibus Superis*, ſed inprimis *Iunoni*, quae praeerat matrimonio, (*toris quae praeſidet alma maritis* Heroidd. II, 41.) *colere templa*, adire templa ibique et preces et ſacra facere. *Venerari templa* dixit Virg. Aen. III, 84. *Qui nullus erat*, qui mortuus erat. Sic

Hoc de tot votis poterat contingere ſolum.
At Dea non vltra pro functo morte rogari
Suſtinet: vtque manus funeſtas arceat aris;
Iri, meae, dixit fidiſſima nuntia vocis,
Viſe ſoporiferam Somni velociter aulam;
Exſtinctique iube Ceycis imagine mittat
Somnia ad Halcyonen, veros imitantia caſus.
Dixerat. Induitur velamina mille colorum
Iris, et arquato coelum curuamine ſignans
Tecta petit iuſſi ſub rupe latentia regis.
Eſt prope Cimmerios longo ſpelunca receſſu,

583 Plurimi, *pro functi morte.* 591 Vnus Heinſ. *Tecta ſubit.* 592 Vnus Gronov. *longi ſp. receſſus*, quod Heinſ. rectius iudicat.

ſupra, *Quam vellem nulla forem!* et mox vſ. 684.

582 *At illi hoc — ſolum.* Maximopere improbandus talis iocus in re tam triſti.

583 Iuno ſomnium mittit Halcyonae. Sed hoc commode ita tractauit, vt Somni Somniorumque mythologiam intexeret, totamque narrationem mirifice animaret. In longiore autem hac Somni deſcriptione ſuum ingenium ſecutus eſſe videtur Ouidius, eumque expreſſit Statius Theb. X, 79 ſqq. Ab aliis notatur vt inuenis aut Genius vel alatus, vel ſine alis, e pleno cornu ſomnum in hominum oculos demittens. V. Leſſingius in libro, Wie die Alten den Tod gemahlt, et Winkelm. Mon. ined. p. 147. Cf. Lucian. Ver. Hiſt. To. IV p. 291 — 94. vbi Somni inſula obſcura et vrbs copioſe, ſed aliter ac h. l. deſcribitur. *At Dea — aris.* Duabus cauſſis mouebatur Dea, vt certiorem faceret Halcyonen de morte mariti, primum ne diutius falleretur pia coniux, deinde ne aras ſuae polluerentur *manibus funeſtis*, h. coniugis eius, cuius maritus mortuus erat. Quod poſterius iuſto argutius dictum eſt.

588 Miror, nec ab Heinſ. nec a Burm. *narrantia* mutatum eſſe in *imitantia*, quod nouem Mſſ. auctoritate ſe tuetur, vbique fere de ſomnis adhibetur (IX, 480. Infra verſ. 613 et 626. 1 Pont. II, 45. *Somnia me terrent, veros imitantia caſus*), atque etiam melius conuenit *τῷ veros*. VIII, 195. *vt veras imitentur aues.* II ex P. I, 37. *veros imitantia muros.*

590 Nonius inter *arcum* et *arquum* diſtinguit, quod alter fornicem deſignet, alter iridem. Hac auctoritate ductus Heinſ. *arquato* recepit, cum caeteri Mſſ. habeant *arcato*, *arcuato* aut aliter. Sed illud diſcrimen finxerunt Grammatici, veterum enim alii *arcus* ſcribebant, alii *arquus*. Sic *Arquitenentes Diana et Apollo* ap. Arnob. adv. Gent. I. p. 20. *Arquatus* igitur ſ. *arcuatus* eſt in formam arcus flexus. Virg. Aen. V, 609. *Illa viam celerans per mille coloribus arcum, Nulli viſa, cito decurrit tramite virgo.*

592 — 612 Aula Somni loco caliginoſo ſita erat, carebat om

Mons cauus, ignaui domus et penetralia Somni:
Quo numquam radiis oriens, mediusue, cadensue
Phoebus adire potest. Nebulae caligine mixtae
Exhalantur humo, dubiaeque crepuscula lucis.
Non vigil ales ibi cristati cantibus oris
Euocat Auroram: nec voce silentia rumpunt
Sollicitiue canes, canibusue sagacior anser.
Non fera, non pecudes, non moti flamine rami,
Humanaeue sonum reddunt conuicia linguae.
Muta quies habitat. Saxo tamen exit ab imo
Riuus aquae Lethes: per quem cum murmure labens

596 Multi, *crep. noctis.* 600 Post h. vs. plures subiungunt istum, *Garrula nec Progne siertentia pectora* (aut *corpora*) *mulcet.* Pessime. Recte Heins. si mulcet, inquit, Progne stertentia pectora, nihil caussae est, cur hinc ablegetur. 603 Barth. ad Stat. Theb.

nibus, quae strepitum facerent, habebat ea, quae somnum conciliarent. *Cimmerii*, populus fabulosus, quem aeternis tenebris et nebulis inuolutum ad fines Oceani habitare canit Homer. Od. λ, 13 sqq. qui est fons huius fabulae. Cf. Tibul. IV, 1, 64. Valer. Flac. III, 398. Hinc *Cimmeriae tenebrae* drr. Specus subterraneos inter Baias et Cumas, prisca aetate ab hominibus habitatos, originem fabulae dedisse, monuerat Ephorus Cumanus. v. Strabo lib. V. p. 374. Quidquid sit, commode in tam caliginosa loca translata Somni aula.

594 Expressit Homer. d. l. ἀλλ' οὐ ποτ' αὐτὸν Ἠέλιος φαέθων ἐπιδέρκεται ἀκτίνεσσιν, Οὔθ' ὁπότ' ἂν εἰς οὐρανὸν ἀστερόεντα βαίνῃσι, Οὔθ' ὅταν αὖ ἐπὶ γαῖαν ἀπ' οὐρανόθεν προτράπηται. Cf. Virg. G. III, 357. Etiam Hesiod. Th. 755. qui Somnum et Mortem, Noctis liberos, in Erebo ponit, iisdem fere, quibus Homerus, verbis vsus est. *Crepuscula* non *exhalantur.* Itaque rursus, more poëtarum, de quo saepe iam vidimus, duo diuersa vocc. vni verbo addidit. *dubiae lucis* v. IV, 400 s.

597 *Ales*, gallus gallinaceus, qui saepe simpliciter ὄρνις et *ales* dr. Pro *cristatus ales* dixit *cristati cantibus oris*, quia *ales* iam ornatus est suo epitheto. Lucian. ibi ponit galli gallinacei templum, et in silua magnam vespertilionum vim. Apud Statium atraboum armenta in gramine quiescunt. *Euocat* e mari *Auroram*, quae sequitur eius cantum. Virg. G. I, 388. *vocat pluuiam cornix.* — *Solliciti*, vigilaces. Etiam Liv. V, 47. *Canes sollicitum ad nocturnos strepitus animal.* Eodem nunc redit *sagax*, qui facile animadvertit strepitus. Neque vero hic respexit ad solos Capitolii anseres tempore Manlii, tunc enim importune hoc esset additum, sed omnino ad naturam anserum. V. ad VIII, 684. *conuicia*, voces. Notat Burm. Paulinum Epist. I. ad Aus. expressisse h. l. *Dum leuia humanae metuit conuicia linguae.*

603 Quia dormientes obliui-

Inuitat somnos crepitantibus vnda lapillis.
Ante fores antri fecunda papauera florent,
Innumeraeque herbae, quarum de lacte soporem
Nox legit, et spargit per opacas humida terras.
Ianua, quae verso stridorem cardine reddat,
Nulla domo tota; custos in limine nullus.
At medio torus est, hebeno sublimis in atra,
Plumeus, vnicolor, pullo velamine tectus;
Quo cubat ipse Deus, membris languore solutis.

X. 06. legit, *Querulo cum murmure labens.* Burm. mallet, *querulo quae murmure*, vel *riuus aquae Lethes, leni quae murmure labens.* in vno Moret, *riuus aquae lenis.* 608 Ante Heins. edebatur, *Ianua ne verso.* Sed *quae* app obauit etiam Burm. „nam si *fores*, inquit, sunt ante antrum, intus ianuas fuisse verisimile est, sed minime sonoras.“ 610 *in atra* dedit Heins. pro, *in antro.* Idem pro *vnicolor* malit *atricolor*, aut *aequicolor*, aequi cum ebeno atra coloris, ebeno concolor. Sine caussa.

scuntur curarum, propterea *riuus Lethes* ante Somni aulam. A Callim. h. Del. vers. 234. ληθαῖον πτερὸν ei tribuitur. Ap. Virg. Aen. V, 854. *Lethaeam aquam* inspergit in oculos Palinuri. Ipse *somnus lethaeus* G. I, 87. Apud Orph. H. 84, 8 Somnus est frater Lethes. Noli cum Barthio et Burm. offendi *vnda per riuum labente*, nam fert hoc sermo Roman. poëticus, qui saepe *riuum aquae* dicit, vbi *ripas* exspectasses, vt Tibul. I, 1, 23. Licuit etiam Virg. G. II, 460 dicere, *Tellus fundit humo victum*, vbi vid. Heyn. Idem G. IV, 457. *fugere per flumina* pro, in ripa fluminis. *Riuus* saepe est alueus. Horat. II od. 3, 11. *laborat lympha fugax trepidare riuo.* I Ep. 10, 21 aqua *per pronum trepidat cum murmure riuum. crepitantes lapilli*, quorum obiectu vndae crepitum, murmur faciunt. Huiusmodi autem murmur facillime somnum conciliat, III Fast. 17. Horat. Epod. II, 15, 27. Hinc *somnifera lympha* apud Silium. Ap. Statium contra fluuius taciturnus labitur.

605 *Papauera*, nigra inprimis, vim habent soporificam. Virg. G. I, 78. *lethaeo perfusa papauera somno*, vbi v. Martin. Fast. IV, 547. *somnique papauera caussas Dat tibi cum tepido lacte bibenda puer.* Hinc Somnus pingebatur cum papauere. Circa *antra* feliciter et sua sponte proueniunt virgulta. Lucian. in Somni insula siluam ponit procera papavera habentem. — *Custodes* Statius facit Quietem, Obliuionem, Silentium.

610 Frustra hic haesserunt interpretes. In *medio* erat *torus plumeus*, puluinus plumis confertus, (cum pauperiores haberent torum de vluis.) impositus spondae sublimi ex hebeno, adeoque *sublimis* et ipse magnificentiae caussa, tectus praeterea *pullo velamine*, stragulo atro, vt adeo totus lectus esset *vnicolor*, quod ita compositum est vt *bicolor*, *versicolor*, *atricolor* etc. quae laudat Heins. Cf. VIII, 655—59. *Vni-*

Hunc circa paſſim, varias imitantia formas,
Somnia vana iacent totidem, quot meſſis ariſtas,
Silua gerit frondes, eiectas litus arenas.
Quo ſimul intrauit, manibusque obſtantia virgo
Somnia dimouit, veſtis fulgore reluxit
Sacra domus: tardaque Deus grauitate iacentes
Vix oculos tollens, iterumque, iterumque relabens,
Summaque percutiens nutanti pectora mento,
Excuſſit tandem ſibi ſe: cubitoque leuatus,
Quid veniat, cognorat enim, ſcitatur. At illa:
Somne, quies rerum, placidiſſime, Somne, Deorum,
Pax animi, quem cura fugit, qui corda diurnis
Feſſa miniſteriis mulces, reparasque labori;
Somnia, quae veras aequent imitamine formas,

618 Heinſ. coni. *Atra domus*, male, monente etiam Burm. 624 Pro *corpora duris* Heinſ. ex pr. Baſil. recepit, *corda diurnis*, vt IV, 214. VIII, 83. Alii quatuor, *membra diurnis*.

colorem et quidem atrum habebat totum, vt omnia eſſent triſtia, aulamque Somni oſtentarent, cum ditiores Romani verſicoloribus lectis, ſpondis ex terebintho, auroque ornatis, ſtragulis purpureis, pictis delectarentur. Propert. III, 5, 63. Virg. Aen. I, 697. Cic. Tuſc. V, 21. v. Salmaſ. ad Solin. p. 417. *Pullo velamine* autem non debebat verti, *mit dunkeln Vorhängen umgeben. membris ſolutis.* v. ad VII, 186.

613 *paſſim*, diſperſa ſine ordine. *quot meſſis* etc. vulgaris comparatio. Selectiora habet Senec. Oed. vſ. 600 ſqq. A Luciano memorantur procera et humilia, formoſa et informia, iucunda, aurea, alata, ornata ſomnia *gerit*, fert, habet. Tibul. II, 4, 56. *Quidquid et herbarum Theſſala terra gerit.*

616 *manibusque — dimouit*, vt qui per denſa virgulta incedunt. Sed ſi *iacebant* ſomnia, non commode poterant manibus dimoveri. *Sacra*, quia Somnus Deus. *Oculi*, quibus obrepit ſomnus, vt aperti retineri nequeant, *graues* drr. et victi tandem *grauitate iacent*. Si Deus iacebat in toro, non poterat *percutere nutanti pectora mento*, id quod non niſi iis euenit, qui ſedentes dormiunt. Niſi fingas, eum cum oculis et ſuperiorem corporis partem tollere identidem voluiſſe. Atque ita cepit Rode: ſinkt, indem er ſich aufrichten will, zu wiederholten Mahlen wieder zurück. Quoniam expergiſcentes *ſomnum excutere* ſibi drr. non potuit Noſter ab ingenio ſuo impetrare, quin adderet, *excuſſit ſibi ſe*, fere vt VIII, 819. de Fame, *Segne viro inſpirat*. Neque vero ſurgit, ſed *cubito* tantum *leuatur* Deus ſomno tardus, hinc vſ. 649. *caput* ſolum *deponit*.

623 Cf. cum hac compellatione Orph. Argon. vſ. 1002 ſeqq. et hymn. 84. Senec. Herc. Fur. 1065. Sed h. l. paucioribus verbis defungi potuiſſet feſtinans Iris. Cf. Silius X, 342 ſqq. *Qui*

Herculea Trachine iube, ſub imagine regis
Halcyonen adeant, ſimulacraque naufraga fingant.
Imperat hoc Iuno. Poſtquam mandata peregit
Iris, abit: neque enim vlterius tolerare vaporis
Vim poterat. Labique vt Somnum ſenſit in artus,
Effugit, et remeat per quos modo venerat arcus.
At pater e populo natorum mille ſuorum
Excitat artificem, ſimulatoremque figurae,
Morphea. Non illo iuſſos ſollertius alter
Exprimit inceſſus, vultumque ſonumque loquendi,
Adiicit et veſtes, et conſuetiſſima cuique
Verba. Sed hic ſolos homines imitatur. At alter
Fit fera, fit volucris, fit longo corpore ſerpens.
Hunc Icelon Superi, mortale Phobetora vulgus
Nominat. Eſt etiam diuerſae tertius artis (bemque,
Phantaſos. Ille in humum, ſaxumque, vndamque, tra-
Quaeque vacant anima, feliciter omnia tranſit.
Regibus hi, ducibusque ſuos oſtendere vultus

627 Vulg. *Herculeam Trachina.* 630 Vulg. *ſoporis Vim.* Florent. S. M. et Spir. *vaporem vi*, vnde Heinſ. coni. *vaporam vim*, vt *vaporus ardor* ap. Prudent. recepit tamen ex vno, *vaporis vim.* 632 Duodecim, *per quas — auras.* 636 Heinſ. malit, *Exprimat.* Mox Pal. ſec. et vnus Heinſ. *modumque loquendi*, quod impugnat Burm. 640 Admodum variant Mſſ in his nominibus. 643 *Feliciter* non habent niſi vnus Palat. vnus Heinſ. vnus Moreti. Reliqui, *fallaciter.* Vnus, *velociter.*

corda etc. Eandem vim iisdem verbis ſupra alimentis tribuit IV, 215.

627 Monet Burm. accidiſſe hanc rem ante Herculis obitum, a quo Trachin demum *Herculea* dicta ſit. Itaque licentia poetarum eſſe Noſtrum vſum, qui epitheta etiam imponunt a perſonis vel rebus poſterioris aeui.

630 *Vaporis*, qualis ſolet eſſe in dormitoriis, Somni in primis. Stat. Theb. X, 203. in Somni deſcriptione, *corpore pigra ſtrata calentque torum niger adflat anhelo Ore vapor. Sentit* ſomnum, vt VIII, 812 Nympha famem.

633 Loc. claſſicus de Somniis. *populus natorum*, vt VI, 198. de quatuordecim Niobes liberis. Virg. G. I, 382. *exercitus coruorum.* Plin. pan. 23. *populus occurſantium.* Infra XII, 499. *populus ſuperamur ab vno. excitat*, iacebat enim, vſ. 614. *artificem* in ſimulandis figuris. A figura, *μορφή*, dictus *Morpheus*.

640 Etiam apud Homer. iisdem perſonis et rebus aliud nomen a Diis tribuitur, aliud ab hominibus. Sic quem Dii Briareum vocant, eum homines Aegaeona dicunt. Il. α, 403. Idem fluuius Diis Xanthus, hominibus Scamander dicitur. Il. ν, 74.

Nocte ſolent: populos alii plebemque pererrant.
Praeterit hos ſenior: cunctisque e fratribus vnum
Morphea, qui peragat Thaumantidos edita, Somnus
Eligit: et rurſus molli languore ſolutus,
Depoſuitque caput, ſtratoque recondidit alto.
Ille volat, nullos ſtrepitus facientibus alis,
Per tenebras, intraque morae breue tempus in vrbem
Peruenit Haemoniam: poſitisque e corpore pennis
In faciem Ceycis abit: formaque ſub illa
Luridus, exſangui ſimilis, ſine veſtibus vllis,

647 Hunc vſ. ſpurium indicabat Barth. ad Stat. X Theb. 131. quia *edita* pro mandatis parum latine dici putat. v. not. 648 Duo ver. *ſolutum*, quod Heinſ. rectius iudicabat. Recepit Mitſch. Sed v. Burm. 649 Heinſ. coni. *recondidit atro.* 652 Scaliger malebat, *Peruenit Oeteam.*

Quid hoc ſibi velit, quaeritur. Schol. ad priorem loc. docet, diuinum nomen de antiquiore, humanum de recentiore eſſe intelligendum. Clarkius malit, Diis tributa nomina, quae Eruditioribus vſitata fuerint; quae vulgo magis trita, hominibus. *Icelos*, ἶκελος et εἴκελος, ſimilis, quia ſimulat figuras. *Phobetor*, Φοβήτωρ, quia perterrefacit homines. Lucian. *Taraxion*, quod eodem redit. Etiam *Phantaſion* ab eo memoratur.

645 *Populos*, inprimisque eorum partem eam, quae *plebs* dr. Caeterum ita etiam Amorum munera diuiſa ſunt. Claudian. X, 75. *Ille Deos coelumque regit ſidera cornu Temperat, et ſummos dignatur figere reges. Hi plebem feriunt.* Aliter autem Somniorum mythologiam exponit Homer. Od. τ, 562 ſqq. quem ſecutus eſt Virg. Aen. VI, 893. et vnde pendent multi alii ſcriptores.

647 Cf. Homer. Il. β init. vbi Iupiter pernicioſum ſomnium Agamemnoni mittit. *Edita*, mandata. Curt. X, 8. *edere mandata.* Et frequens huius verbi vſus de reſponſis Deorum, quae proferuntur. Pluribus exemplis id docet Burm. contra Barth. qui negauerat, *edita* pro mandatis eſſe ſatis latinum. *Peragere edita* vt *peragere iuſſa*, mandata. *molli l.* Rode, in ſüſser Müdigkeit. Sic ſane *mollis* ſomnus ap. poëtas, ſed eo ſenſu non conuenit *languori.* Immo *mollis*, quatenus reſoluit corpus, agilitatem eius frangit. *Deponere caput* etiam III Amorr. 5, 20. recumbere capite. *alto* additum dignitatis cauſſa, quia Somnus Deus. Aen. II, 2.

650 Non modo Somnus, ſed etiam Somnia *alas* habebant. Eurip. Hec. 71. Πότνια χθὼν μελανπτερύγων μᾶτερ Ὀνείρων. Sec. Lucian. d. l. in Somniis erant etiam πτερωτοί τινες. *nullos ſtrep.* ne excitaret dormientem. Apud Silium vſ. 354. *per tacitum allabitur* ſomnus. *morae breue tempus* pro, breuis temporis mora, i. breue tempus. v. ad IX, 134.

653 Cf. Virg. Aen. II, 268 ſqq. vbi etiam Hector tam foedo habitu apparet, quo e vita exceſſerat.

Coniugis ante torum miſerae ſtetit. Vda videtur
Barba viri, madidisque grauis fluere vnda capillis.
Tum lecto incumbens, fletu ſuper ora refuſo,
Haec ait: Agnoſcis Ceyca, miſerrima coniux?
An mea mutata eſt facies nece? Reſpice; noſces;
Inueniesque tuo pro coniuge coniugis vmbram.
Nil opis, Halcyone, nobis tua vota tulerunt.
Occidimus: falſae tibi me promittere noli.
Nubilus Aegaeo deprendit in aequore nauim
Auſter, et ingenti iactatam flamine ſoluit:
Oraque noſtra, tuum fruſtra clamantia nomen,
Implerunt fluctus. Non haec tibi nuntiat auctor
Ambiguus; non iſta vagis rumoribus audis:
Ipſe ego fata tibi praeſens mea naufragus edo.
Surge, age, da lacrimas, lugubriaque indue: nec me
Indeploratum ſub inania Tartara mitte.
Adiicit his vocem Morpheus, quam coniugis illa
Crederet eſſe ſui. Fletus quoque fundere veros
Viſus erat: geſtumque manus Ceycis habebant.
Ingemit Halcyone lacrimans, motatque lacertos
Per ſomnum; corpusque petens amplectitur auras:
Exclamatque, Mane. Quo te rapis? ibimus vna.
Voce ſua, ſpecieque viri turbata ſoporem

655 *Vda*. Mitſch. *Vnda*. 658 Heinſ. malebat, *Huncne, ait, agnoſcis*, vt VI, 273. *haec Niobe.* Paullo ante plurimi, *profuſo.* 660 Arund. *toto pro corpore.* Heinſ. *noto pro corpore*, Burm. autem, *toto pro corpore corporis vmbram.* 662 *fulſae* emendauit Heinſ. pro, *falſo.* 673 Planudes, *ſceptrumque manus C. h.* et ſic etiam Mſſ. nonnulli.

v. ad X, 49. adde Tibul. 2, 6, 39. *abire* de transformatione, vt I, 236. Pr. capilli *graues*, reſerti, *vnda*; hinc aqua ipſa inde defluens *grauis*, copioſa.

662 Tu, quae falleris votis tuis, noli ſperare me tibi reditu-rum. *deprendere* pr. de ſubita tempeſtate, quae nauigantes opprimit.

666 *auctor ambiguus*, nuntius incertus. Propert. I, 13, 13. *Haec ego non rumore malo, non augure doctus; Vidi ego: me quaeſo teſte negare potes?*

670 *Sub*, in, *tartara mittere* drr. qui alios trucidant. Sed nunc *mitte* eſt, ſine deſcendere. *inania*, quia vmbrae ibi inanes. Horat. I od. 4, 17 *domus exilis Plutonia.*

677 *Sui* e ſex Mſſ. recepit Heinſ. quia verſus tres proxime antecedentes ſpurios iudicabat. Sin eos tuemur, vtique legendum erit *Voce ſua.* Atque hoc

Excutit: et primo si sit circumspicit illic,
Qua modo visus erat. (nam moti voce ministri
Intulerant lumen.) Postquam non inuenit vsquam,
Percutit ora manu, laniatque a pectore vestes,
Pectoraque ipsa ferit. Nec crinem soluere curat;
Scindit: et altrici, quae luctus causa, roganti,
Nulla est Halcyone, nulla est, ait: occidit vna
Cum Ceyce suo. Solantia tollite verba.
Naufragus interiit. Vidi, agnouique, manusque
Ad discedentem, cupiens retinere, tetendi.
Vmbra fuit: sed et vmbra tamen manifesta, virique
Vera mei. Non ille quidem, si quaeris, habebat
Adsuetos vultus: nec, quo prius, ore nitebat.
Pallentem, nudumque, et adhuc humente capillo
Infelix vidi: stetit hoc miserabilis ipso
Ecce loco: et quaerit, vestigia si qua supersint.
Hoc erat, hoc animo quod diuinante timebam;
Et ne, me fugiens, ventos sequerere rogabam.

683 Quinque *Saeuit* pro, *Scindit*. Vnus *sedit*, vnde Heinf. coni. *caedit*. 685 Schepper. putabat, verba magis pathetica fore, si legas, *solamina tollite vestra*. 688 Multi, *Vmbra fugit*. 690 Heinf. coni. *cultus*, ne bis idem dicat, et vt haec respondeant sqq. *pallentem nudumque*.

ego malui, nam mox ministri traduntur moti esse *voce*, nempe Halcyones. Somniis territi saepe solent membra mouere, clamoresque tollere, quibus excutitur somnus, idque se feciisse, Halcyone ipsa mox narrat vs. 687. Quidni ergo Noster id notauerit, qui nihil fere supprimit, quod inexhausta eius phantasia ipsi suppeditat? *motat*. Rode, verzuckt die Arme. Immo, iactat, agitat. *corpus petens*, incumbebat enim lecto, vs. 657.

678 *Illic* praestat τῷ *ille*, quod habent multi. Itaque vs. sq. *qui* mut. in *Qua*, quod monuit etiam Burm. In primo Med. erat, *Quo*. *Ministri*, serui, qui ad fores cubiculi dominici excubare, et si quid accideret, praesto esse, lumen inferre etc, solebat. v. Drakenb. ad Silium I, 66. vbi *famuli ad limina* vrr.

681 *A pectore* βεχχυλόγως, *laniat vestes* et detrahit *a pectore*, vt IX, 58. *solui duros a pectore nexus*. — *nec soluere curat*, non tantum temporis et operae impendit, vt soluat, sed *scindit*. III Trist. 3, 51. *Parce tamen lacerare genas, nec scinde capillos*. *solantia verba*. v. ad IX, 159. *tollite*, intermittite. Horat. I od. 27. *tollite barbarum morem*. Vetus poeta ap. Cic. Or. II, 46. *Auferte istam enim superbiam*.

690 *Nitet*. Cf. 271. *vestigia*, scil. aquae destillantis ex humentibus capillis vdaque barba. *Hoc*

At certe vellem, quoniam periturus abibas,
Me quoque duxisses. Tecum fuit vtile, tecum
Ire mihi. Neque enim de vitae tempore quidquam
Non simul egissem, nec mors discreta fuisset.
Nunc absens pereo, iactor nunc fluctibus absens:
Et sine me me Pontus habet. Crudelior ipso
Sit mihi mens pelago, si vitam ducere nitar
Longius, et tanto pugnem superesse dolori.
Sed neque pugnabo; nec te, miserande, relinquam:
Et tibi nunc saltem veniam comes: inque sepulcro
Si non vrna, tamen iunget nos litera: si non
Ossibus ossa meis, at nomen nomine tangam.
Plura dolor prohibet: verboque interuenit omni
Plangor, et attonito gemitus e corde trahuntur.

701 Plurimi, *sine me te p. habet*. 702 Vnus Ciofan. *ducere queueram*. v. ad vs. 734. 707 Iunian. et vnus Heinf. *nomine nomina*.

erat etc. Verissimus sermo hominum superstitioforum post perpessam calamitatem conquerentium, *diuinans*, suspicans ea, quibus euentus respondet. *fugit* et is, qui alterum proficiscens relinquit. Virg. Ecl. I, 4. Nos *dulcia linquimus arua*, *Nos patriam fugimus*. Pro nauigare maluit, *ventos sequi*, vt melior oppositio esset. *duxisses* per mare impositam nau

700 Hactenus bene. Sed nunc ani argutos Nasonis lusus: *Nunc absens* etc. Quoniam tristis mors amati coniugis eam ita afficiebat, vt ipsa terrores eius sentiret, propterea dicit, se absentem iactari, et sine se se in ponto natare. Comparat Heinf. similem lusum Ausonii Epigr. 103. *Vado, sed sine me, quia te sine. Me pontus habet*, vt I, 360 s. Lenzius putat, legi posse *sine te me*, et *fluctus* intel. calamitates. Mitscherl. interpungit: *Et, sine me, me p.*

702 *Vitam ducere*, vitam producere, prolongare, vt *ducere bellum* ap. historicos. *Pugnant* et *nituntur* vitam prolongare, qui omnia auertunt a se, quae mortem accelerent, omniaque faciunt, quibus recta valetudo conseruetur. Hunc sensum omnibus animantibus insitum exstinguere vult, atque adeo ipsa sibi mortem adscisere, ne morte diuellatur a coniuge. Quod ni faceret, *crudelior esset ipso pelago*. Has voces autem non modo summus dolor expressit, sed opinio etiam Veterum suggessit. *Crudeles* enim et *impii* habebantur, atque adeo in monumentis vocantur, qui liberis et coniugibus superstites esse sustinebant. *Impiam vivacitatem* vocat Quinctil. Inst. Or. VI. prooem. 3. vbi v. Gesner. et Gruter. Inscrippt. p. 762, 2.

706 v. ad vs. 428. *Verboque* etc. ad singula verba percussit pectus.

Mane erat: egreditur tectis ad litus, et illum
Moesta locum repetit, de quo spectarat euntem.
Dumque, Moratus ibi, dumque, Hic retinacula soluit,
Hoc mihi discedens dedit oscula litore, dicit,
Dumque notata oculis reminiscitur acta, fretumque
Prospicit: iu liquida, spatio distante, tuetur
Nescio quid, quasi corpus, aqua: primoque, quid illud
Esset, erat dubium. Postquam paullo appulit vnda,
Et, quamuis aberat, corpus tamen esse liquebat:
Qui foret, ignorans, quia naufragus, omine mota est:
Et, tamquam ignoto lacrimas daret, Heu! miser, inquit,
Quisquis es, et si qua est coniux tibi! Fluctibus actum
Fit propius corpus. Quod quo magis illa tuetur,
Hoc minus et minus est amens sua. Iamque propinquae
Admotum terrae, iam quod cognoscere posset,
Cernit. Erat coniux. Ille est, exclamat, et vna
Ora, comas, vestem lacerat: tendensque trementes
Ad Ceyca manus, Sic, o carissime coniux,
Sic ad me, miserande, redis? ait. Adiacet vndis

712 *moratus* dedit e coniect. Heins. vt Halcyones sint verba. Mss. *moratur.* 723 Ita vs. constituit Heins. de suo. Vulg. *est mentis, iam, iamque propinquae.* Multi, *mentis sua. iamque pr.* Octo, *mentis suae.* Oxon. *iam mens sua.*

710 Sequitur figmentum ad commiserationem faciendam aptum, quo feliciter etiam vsi sunt Gesnerus in Idyll. et Gellertus in fabb. *Egreditur ad litus* licuit poetae fingere, licet Trachin non sita fuerit in litore. *Retinacula, πείσματα.* V. ad VIII, 102. *Moratus* Heins. forte sine caussa induxit. V. Varr. lect. *notare oculis,* vt XV, 660. *visu notare.* Sed *alta* vix ferri potest; neque tamen propterea cum Heins. totum vers. deleam, adhibeam potius lenem Burm. medelam, *reminiscitur ante.* Lenzius dubitans, an *ante* facile mutari in *alta* potuerit, suadet *acten*, i. litus. Verum non apparet, cur Ouid. graeco h. v. vsus sit.

719 Oblitus sui esse videtur Ouidius. Iam edocta erat Halcyone certissimo somnio mortem mariti, cur ergo nunc demum *omine* mouetur? Melius statim de marito suo cogitasset. Ap. Lucian. oberratis terris omnibus, non potuit maritum reperire; quare etiam mutata circumuolat maria.

723 *Est sua.* v. ad III, 687. *amens* posset abesse.

Facta manu moles, quae primas aequoris iras
Frangit, et incursus quae praedelassat aquarum.
Insilit huc: mirumque fuit potuisse; volabat:
Percutiensque leuem modo natis aëra pennis,
Stringebat summas ales miserabilis vndas.
Dumque volat; moesto similem, plenumque querelae
Ora dedere sonum, tenui crepitantia rostro.
Vt vero tetigit mutum, et sine sanguine corpus;
Dilectos artus amplexa recentibus alis,
Frigida nequicquam duro dedit oscula rostro.
Senserit hoc Ceyx, an vultum motibus vndae
Tollere sit visus, populus dubitabat: at ille
Senserat. Et tandem, Superis miserantibus, ambo
Alite mutantur. Fatis obnoxius isdem
Tunc quoque mansit amor: nec coniugiale solutum
Foedus in alitibus. Coëunt, fiuntque parentes:

729 Vulg. *aequoris vndas.* 731 Nonnulli, *huic.* Duo Leidenses *hunc.* Heins. putat *hanc.* v. eum ad VIII, 142. 743 Vulg. *coniugale.* v. ad V, init.

730 *Praedelassare*, vt VII, 489. *praeconsumere vires*, et VIII, 7. *praetentare vires.* Haec moles vndarum impactarum impetum debilitat, quem litora penitus frangunt. Lucan. VI, 265. *mare lassatur, cum se tollentibus Euris Frangentem fluctus scopulum ferit.* Similiter *cautes maria fatigant* apud Silium I, 208.

733 *Stringebat*, leuiter contingebat, more auium super aquam volitantium. IV, 561. Mutatur nempe *Halcyone* in auem sui nominis. *Halcyon* (Nostris Europaeischer Eisvogel, Linneo Alcedo Ispida) auis marina, paullo amplior passere, *rostro* longo et *tenui.* Quoniam mas cum vna femella viuit, eaque exstincta coelebs manere credebatur, propterea a poëtis in amoris perpetui, coniugiique honesti exemplis numeratur. Eum autem instinctum Noster rursus e fabulis repetit vs. 743. Pariunt illae aues *tempore hiberno* (Recentiores tradunt ineunte Aprili) per *septem*, aut secundum alios quatuordecim *dies.* Plin. X, 32. *Faciunt autem septem ante brumam diebus nidos, et totidem sequentibus pariunt*, qui dies halcyonides dicebantur aut halcyonia, iisque mare erat *placidum.* Theocrit. Id. 7, 57. Hygin. fab. 65. Senec. Agam 670. Tunc Aeolus *praestat* iis *aequor*, concedit iis, permittit, vt ibi nidos faciant. Phaedr. II, 8, 16. *praestare hospitium*, vbi v. Scheffer. Etiam *praebere* sic vsurpatur. *nepotibus*, vt VI, 138. Nidos faciunt in cauernis vel scopulorum (Propert. III, 5, 15.) vel litorum. Inde cum saepe a fluctibus auferantur, aues ipsae eos imponere aquae (*pendentibus aequore nidis*) credebantur. — Caeter. etiam vss. 736 — 38. deletos malebat Heins. medium cer-

Perque dies placidos, hiberno tempore, ſeptem
Incubat Halcyone pendentibus aequore nidis.
Tum via tuta maris: ventos cuſtodit, et arcet
Aeolus egreſſu praeſtatque nepotibus aequor.
Aeſacus. Hos aliquis ſenior circum freta lata volantes
Spectat, et ad finem ſeruatos laudat amores.
Proximus, aut idem, ſi fors tulit. Hic quoque, dixit,
Quem mare carpentem, ſubſtrictaque crura gerentem,
Adſpicis (oſtendens ſpatioſum guttura mergum)
Regia progenies: et ſi deſcendere ad ipſum
Ordine perpetuo quaeris, ſunt huius origo

747 Heinſ malit, *mari eſt.* At Flor. et duo alii, *Tunc iacet vnda maris.* 752 Duo, *ſubtractaque.* Quidam, *ſuccinctaque.* 753 Vulg. *in guttura.* Plerique, *in gutture* vel *gurgite. guttura* dedit Heinſ.

te otioſum iudicabat, cum praeceſſerit *modo natis pennis.* Recte tamen conſtuetur Burm. ex luxuria Naſonis, qua ſibi toties indulget in variandis narrationibus et ſaepe vltra modum extendendis. Addit, ſi eiiciantur hi verſus, non apparere, quo ſequentia illa, *ſenſerit hoc Ceyx*, referri poſſint; nam ad ſonum haec non pertinere, ſed ad oſcula. Si quem *το recentibus* offendat, illum poſſe cum vno Mediceo legere, *trementibus.*

FAB. XI. vſ. 749 — fin. *Aeſacus*, Priami filius, amat *Heſperien* nympham, eamque fugientem inſequitur. Vulnerata latentis ſerpentis veneno cum periiſſet, Aeſacus vitae peroſus in mare ſe mittit, ſed a Thetide mutatur in *mergum.* Adiecta videtur haec fab. ſuperiori maxime propterea, vt tranſitus facilis eſſet ad res Troianas; et commode adiecta, quia et mergi aues marinae. Cf. Apollod. 3, 12, 5. vnde apparet, haec quoque varie olim eſſe tradita.

749 Mihi quoque ſatis placet Mſ. Florent. S. Marci lectio, *iunctim freta lata volantes*, quo *ſeruati* eorum etiam poſt transformationem *amores* bene, et ita vt Noſter ſolet, notantur. Sic IV, 599. Cadmus et Harmonia in ſerpentes mutati *iuncto volumine ſerpunt.* Sic etiam XI, 64. Orpheus et Eurydice apud inferos *coniunctis ſpatiantur paſſibus ambo.* Elegantior etiam eſt illa lectio, quam vt a librario profecta videatur. Ea recepta *volare freta* dictum erit, monente Burm. vt *ire, currere maria* et ſimilia.

751 *Si fors tulit*, forte, fortaſſe, nil aliud. v. ad I, 297. *mare carpere*, vt *carpere campum, aera.* Et celeriter admodum ſuper ſuperficiem maris volare traditur *mergus*, Linneo *Mergus Merganſer*, Nobis Seerabe et Tauchergans. *ſubſtricta crura gerere*, vt III, 216. *ſubſtricta ilia gerere.* v. ad IV, 135. Neſcio, an Heinſ. vulg. *ſpatioſum in guttura* iure mutarit. Nam etiam X, 538. *celſus in cornua.*

755 *Quaeris*, cupis, vis deſcendere. *perpetuo*, non interrupto. *Sunt huius origo* pro vulgari, ori-

Ilus, et Aſſaracus, raptusque Ioui Ganymedes,
Laomedonque ſenex, Priamusque nouiſſima Troiae
Tempora ſortitus. Frater fuit Hectoris iſte:
Qui niſi ſenſiſſet prima noua fata iuuenta,
Forſitan inferius non Hectore nomen haberet:
Quamuis eſt illum proles enixa Dymantis.

759 Florent. S. Marc. *Cui niſi ceſſiſſet.* Heinſ. coni. *ceſſiſſent*, obtigiſſent.

ginem ducit ab his. *origo* etiam auctor eſt, auctor generis. Ab hoc tamen ordine perpetuo abeſſe poſſent *Aſſaracus* et *Ganymedes*, fratres Ili, filii Trois. *Ilus* autem *Laomedontem* genuit, cuius filius *Priamus*. *Tempora* etiam hic de calamitatibus accipienda, de excidio. Sed melius hoc additamentum omiſiſſet, quia ſeq. demum libro tranſitur ad bellum Troianum.

759 *Senſiſſet* non mutandum eſt. *Sentire* dr. quis ea, quae experitur, quibus adficitur et adfligitur. *illum*, Hectorem, cuius mater Hecuba vel *Dymantis*, vel Ciſſei filia. Illud ſequitur Homerus, hoc Euripides. Apud Apollod. d. l. Priamus ex Arisba, Meropis filia, gignit hunc Aeſacum, mox, ſpreta illa, ducit Hecubam. *Vmbroſa* commune montium epitheton, ὄρεα σκιόεντα ſaepe apud Homer. Accedit, quod Ida magnas ſiluas habuiſſe traditur. v. Burm. cf. not. ad XIII, 324. Mox negotium faceſſunt verba *Granico nata bicorni.* Mſſ. plerique, *Gracili conata bicorni.* Raph. Regius monet, *bicorne* eſſe inſtrumentum ruſticum. Audio; ſaepe enim *furcae bicornes* in ſupellectile ruſtica commemorantur, vt VIII, 650. Hinc potuit Noſter *bicorne* ſubſtantiue dicere, vt *crinale* V, 53. Addit Glarean. parturientes ſolere, ſi nemo iis adſit, ad aliquid fulciri. Id quoque poteſt credi. Et *furtim* in ſolitudine pariebat Alexirhoë, vt olim Latona, in cuius partu truncus palmae vices ſellae obſtetricariae praeſtabat. Callim. h. Del. vſ. 210. Ita deſcriberetur hic actus mulieris parientis, quae furcae bicornis miniſterio leuata ſit. Atque hoc vult etiam Schirach. Sed de verbo *conata* ſilent omnes. Quid enim hoc eſt, Mulier pariens *conatur gracili bicorni?* Facilius forte expediri poſſet, *connixa bicorni.* Sed praecedit *enixa;* et *leuata*, quod proprie de parientibus vſurpatur, verſus reſpuit. Heinſ. igitur recepit, quod et Pierius Valer. lib. III Hierogl. cp. 9. ſuaſerat, *Granico nata bicorni.* Quod cur merum verſus complementum a Schirachio dicatur, non video. Saepe enim ita additur nomen patris. Neque negari poteſt, *Granicum*, nobilem Phrygiae fluuium, etiam in mythologia occurrere. *Cornua* vero fluuiis tribui ipſi docuimus ad IX, 1. Sed hoc me offendit, quod pro arbitrio, nulla probabili cauſſa allata, locus ita mutatus eſt. Eodem enim iure alius alius fluuii nomen hic intrudere poſſit. Certe Burm. ſuadet, *Sagari cognata bicorni.* *Sagarium* aut *Sagarim* fluuium dictum eſſe a Sagari, Myndonis et Alexirhoës filio, qui potuerit filiam habuiſſe ex matris ſuae nomine Alexirhoën dictam. Sagarim porro dici *bicornem*, forte

Aeſacon vmbroſa furtim peperiſſe ſub Ida
Fertur Alexirhoë, Granico nata bicorni.
Oderat hic vrbes; nitadaque remotus ab aula
Secretos montes, et inambitioſa colebat
Rura: nec Iliacos coetus, niſi rarus, adibat.
Non agreſte tamen, nec inexpugnabile Amori
Pectus habens, ſiluas captatam ſaepe per omnes
Adſpicit Heſperien patria Cebrenida ripa,
Iniectos humeris ſiccantem ſole capillos.
Viſa fugit Nymphe, veluti perterrita fuluum
Cerua lupum, longeque lacu deprenſa relicto
Accipitrem fluuialis anas. Quam Troïus heros
Inſequitur, celeremque metu celer vrget amore.
Ecce latens herba coluber fugientis adunco
Dente pedem ſtrinxit, virusque in corpore liquit.
Cum vita ſuppreſſa fuga eſt. Amplectitur amens
Exanimem, clamatque, Piget, piget eſſe ſecutum:
Sed non hoc timui: nec erat mihi vincere tanti.

762 Heinſ. coni. *vndoſa*; fontibus enim Idam fuiſſe celebrem, notum eſt. v. II, 219. Etiam XIII, 324. pro *ſine frondibus Ide* alii, *fontibus*. 769 Vulg. *Heſperien*. Planudes, Ἡπερίην. 772 Quidam, *Agna lupum*. v. not. 776 Multi *ſtringit* et *linquit*, quod Burm. librariis imputat, qui rhythmum amarint. 777 Duo Med. *ſuſpenſa fuga*.

quia duobus oſtiis in mare exierit.

764 Cf. vſ. 146. *Colebat* h. l. ita ſumſiſſe videtur Lactant. vt ibi monui; nam in Argum. haec habet: *vrbanum apparatum cultumque cum ſiluis et labori poſtpoſuiſſet*. Erat idem interpres ſomniorum, qui Paridem fratrem exponi iuſſit. Apollod. *Nitorem* aularum poſt Lucret. II, 24 ſqq. praeclare deſcribit Virg. G. II, 463. et Cul. 61. *Nitere* paſſim de ornatu aedium et de diuitiis. Tibul. IV, 1, 183. *cum magnis opibus domus alta niteret. inambitioſa*, vbi nemo ambit honores gratiasque potentum, quo voc. quod ab ipſo Ouid. factum obſervant, bene natura et ſimplicitas agricolarum notatur. Horat. II Serm. 6, 16. *Ergo vbi me in montes et in arcem ex vrbe remoui, Non mala me ambitio perdit.*

767 *Agreſte*, durum et inuenuſtum. *captare* puellam, eam vbique quaerere, omnem operam dare, vt eam videre, et cum ea colloqui poſſis. v. VI Faſt. 334 ſqq. *Cebrenia*, pars Troianae terrae, vbi fluuius *Cebrenis*. Secundum Apollod. duxit Aſteropen aut, vt alii exhibent, Steropen, Cebrenis filiam.

772 *Cerua* recte ſe habet, nam et *cerui, luporum praeda rapacium* Horat. IV od. 4, 50. I od. 15, 30. vbi eadem ſimilitudo. *celeremque* etc. I, 539 ſq. Seqq. aliter habet Apollod. Duxit enim eam vxorem, et πενθῶν ἀπεθανοῦσαν ἀπωρνεώθη, lugens mortuam in auem mutatus eſt.

781 V. ad 702. *Mittere ſolatia*, vt *mittere inferias, munera vmbris*.

783 *Rauca*, raucum ſonum faciens, vt *raucum aes*. *Se dedit*, ſe praecipitauit. Plenius Virg. G. IV, 528. *ſe iactu dedit aequor in altum*.

788 *Sedes*, corpus. Cic. Tuſc. I, 24. *domicilium*. Lactant. II, 3. *receptaculum*. Aeſchin. Socr. 3, 5. ἔχηνος, *adſumere alas* etiam XII, 1 pro ſimplici *ſumere*. A. A. III, 142. *adſumta lyra*. Vellei. I, 11, 1. *adſumtis regni inſignibus*. Mox ingenioſe explicatur natura mergi. *furere* de motibus et luſibus mergi in aqua capiendum. *pronus*, quia primum capite et collo mergitur.

795 *Tenet* e multis Mſſ. recepit Burm. quod ego non improbo, quia *manet*, quod eſt in reliquis, praeceſſit, et quia *nomen tenere* phraſis perquam vſitata. Sed tunc etiam *illi* tantandum erat cum interpunctione. Mſſ. habent *illo* et *illic*. Prius praetuli, praeſertim cum etiam Lactant. in Arg. vbi h. vſ. inſeruit, ita legit.

Perdidimus miſeram nos te duo. Vulnus ab angue,
A me cauſa data eſt. Ego ſim ſceleratior illo,
Ni tibi morte mea mortis ſolatia mittam.
Dixit; et e ſcopulo, quem rauca ſubederat vnda,
Se dedit in pontum. Tethys miſerata cadentem
Molliter excepit, nantemque per aequora pennis
Texit: et optatae non eſt data copia mortis.
Indignatur amans inuitum viuere cogi,
Obſtarique animae, miſera de ſede volenti
Exire. Vtque nouas humeris adſumſerat alas,
Subuolat, atque iterum corpus ſuper aequora mittit.
Pluma leuat caſus. Furit Aeſacos, inque profundum
Pronus abit, letique viam ſine fine retentat.
Fecit amor maciem: longa internodia crurum,
Longa manet ceruix; caput eſt a corpore longe.
Aequor amat, nomenque tenet, quia mergitur illo.

784 Vulg. *decidit in pontum*. Multi, *deſilit*. 786 Alter Strozzae, *Vexit*, Heinſ. malebat, *veſtit*. Mox idem emendat, *vt optatae*. 790 Cantabr. *Euolat*. Vtrumque verb. ſignificat, in altum volare. 794 Heinſ. coni. *caput exſtat pectore longum*.

P. OVIDII NASONIS METAMORPHOSEON

LIBER DVODECIMVS.

Nescius adsumtis Priamus pater Aesacon alis
Viuere, lugebat: tumulo quoque nomen habenti
Inferias dederat cum fratribus Hector inanes.
Defuit officio Paridis praesentia tristi,
Postmodo qui rapta longum cum coniuge bellum
Attulit in patriam: coniurataeque sequuntur

1 Heins. coni. *at sumtis.* 3 Flor. S. M. et vnus Med. *inani.* 5 Basil. *durum*, quod eleganter dictum putat Burm. Heins. tamen coni. *dirum.*

FAB. I. vs. 1 — 38. *Graeci* in *Aulide*, vbi congregata eorum classis diu detinebatur, et *ostento*, belli moram portendente, obstupescunt, et Dianam *Iphigenia* mactata placare volunt.

2 *Tumulus nomen habet*, vt XI, 429. vbi v. not. Mox Heins. male suadebat, *inane*, scil. *nomen*. Proprie sepulcrum *inane*, in quo nullum corpus conditum. Sed poëtae licet etiam *inferias inanes* dicere, sacrificia, quae Diis Manibus ad sepulcrum inane offeruntur. v. ad VI, 568. Cf. Virg. Aen. III, 301 sqq. Alio sensu supra II, 340. *inania munera*. Burm. etiam cum Cod. Leid. tertio mallet, *Inferias tulerat*, vt ad *inferias* alludatur, quae ab *inferendo* dictae sunt. Sine causa. *Dare* et *ferre* promiscue vsurpantur de sacris. Serv. ad Virg. VIII, 106. *tura dabant*, haec notat, *Verbo sacrorum vsus est; nam dici solebat in sacris: Da quod debes de manu dextera aris.* v. et Briss. de Form. I. p. 25. *Inferias mittere* legimus XI, 381.

5 *Longum* minime mutandum, quia longitudine s. diuturnitate memorabile inprimis hoc bellum. v. vs. 20. *spatiosum bellum* XIII, 206. *Coniuratae*, quarum duces coniurauerant. Horat. I od. 15, 5. Nereus vaticinatur Paridi, *Mala ducis aue domum, Quam multo repetet Graecia milite, Coniurata tuas rumpere nuptias.* In numero nauium definiendo non erimus cum Ciofano anxii. Noster, more poëtarum, et hic et infra numerum indefinitum posuit, *mille*, atque ita et alii poëtae, etiam Liv. 45, 27. v. Drakenb. ad Silium III, 229. Barnes. ad Eurip. Androm. 106. Homer. habet CIↃCLXXXVI. Vulgo CIↃCC numerantur. *gentis commune Pelasgae*, vniuersa gens graeca, coniunctae Graecorum

Mille rates, gentisque simul commune Pelasgae.
Nec dilata foret vindicta, nisi aequora saeui
Inuia fecissent venti, Boeotaque tellus
Aulide piscosa puppes tenuisset ituras.
Hic patrio de more Ioui cum sacra parassent;
Vt vetus accensis incanduit ignibus ara;
Serpere caeruleum Danaï videre draconem
In platanum, coeptis qua stabat proxima sacris.
Nidus erat volucrum bis quatuor arbore summa:
Quas simul, et matrem circum sua damna volantem,
Corripuit serpens, auidaque recondidit aluo.
Obstupuere omnes. At veri prouidus augur

17 Nouem, in quibus Francos. *auidoque recondidit ore.* Florent. S. M. *vdo quas condidit ore.*

opes, quam formam loquendi bene illustrat Heins. qui laudat ex Herodot. τὸ κοινὸν τῶν Σαμίων, e Dionys. Halic. τὸ κοινὸν τῶν Λατίνων, e Cic. *Commune Meliadum*, *Commune Siciliae* etc. Infra XIII, 199. *communis Graecia. Pelasgi* Achiui post Homerum dici coeperunt a serioribus poëtis.

8 Fuere et aliae caussae vindictae dilatae, eaeque grauiores, apparatus nempe classis etc. sed illae nihil ad consilium poëtae. *tenuisset* pro compos. *detinuisset. piscosus* commune epitheton insularum vrbiumque maritimarum. De hac mora Aulide cf. Eurip. Iph. Aul. princ.

11 — 23 Sumtum hoc ex Homer. Il. β, 229 sqq. vbi ab Vlysse facunda cum simplicitate narratur. Comparatione institutа superior Homerus reperitur Ouidio. Namque 1) scena ibi suauius descripta. In medio vmbrifera platanus, vnde limpida aqua profluit. Sub platano est ara, quam Graeci sacris intenti circumstant. 2) ostentum ipsum et ad stuporem iniiciendum et ad commiserationem faciendam aptius narratum. Erat horribilis draco, ab ipso Ioue signi loco missus, qui prosiliens ab ara ad arborem tendebat. Passeris pulli, νήπια τέκνα, sub foliis latebant. Hos draco stridentes miserabiliter deuorabat, cum mater quiritans circumuolaret, donec ipsam implicans ala prehenderet draco. Etiam Stasinus, poëta antiquus, in Cypriis carminibus haec tractauerat. *patrius*, gentilis, vt πατρώιος. Lenzius coniungit *patrio* Ioui. Immo *patrii maris* sacra passim, vt VI, 648. *incandescere*, valde incalescere, inflammari, vt II, 729. et *recandescere* I, 435. *Platani* illius partem Pausaniae adhuc aetate in templo ostendebant, et iuxta fontem. Boeot. p. 748.

16 *Circum sua damna* eleganter, circum pullos suos, quibus cummaxime priuabatur. *damnum* interdum res amissa, aut quae amittitur. XI, 381. *damna*, pecora trucidata. Laudat Burm. Phaedr. I, 28. vbi vulpes aquilae dolorem miscet *damno sanguinis*, sed ibi *damnum* est iactura ipsa. *Recondi* et *condi aluo*, tam-

Theſtorides. Vincemus, ait: gaudete, Pelasgi.
Troia cadet: ſed erit noſtri mora longa laboris.
Atque nouem volucres in belli digerit annos.
Ille, vt erat, virides amplexus in arbore ramos,
Fit lapis, et ſeruat ſerpentis imagine ſaxum.
Iphigenia. Permanet Aoniis Nereus violentus in vndis:
Bellaque non transfert: et ſunt, qui parcere Troiae
Neptunum credant, quia moenia fecerat vrbi.
At non Theſtorides. Nec enim neſcitue, tacetue
Sanguine virgineo placandam virginis iram

20 In Balliol. erat, *fuerit nobis mora longa lab.* quod nec venere ſua caret, Burm. iudice. Heinſ. malebat etiam, *noſtro labori.* 23 Vnus Leid. *ſignat.* Exc. Calandr. *formiat.* 25 Heinſ. inuitis omnibus libris malebat, *Velaque*, idque poſtea in Voſſ. reperit Burm. recepit Mitſch. 28 Ambroſ. *pacandam.* Cantabr. *numinis iram Eſſe docet.*

quam ſepulcro, drr. deuorati cibi. XIV, 176. XV, 88. Et *aluus* cum *buſto* comparatur VI, 665.

19 De Calchante, *Theſtoris* filio, augure longe excellentiſſimo, qui monitis ſuis Graecos ad Troiam adiuuabat, v. Homer. Il. a, 68 ſqq. *veri prouidus*, vt *laeti prouidus augur* I Sab. 93. Mox Burm. placet Leid. Mſ. lectio, *Troia iacet*, quia vates futura vident tamquam praeſentia. Sed ſi hoc voluiſſet Noſter, dixiſſet etiam, *Vicimus* et *fuit*. De *mora belli* v. ad IX, 134. *Digerere*, cuique rei ſuum locum aſſignare. Hinc *volucres nouem in belli annos digerere*, cuique anno vnam auem aſſignare, atque ita docere, nouem annos duraturum bellum pro numero auium. Hinc *digerere* omnino, interpretari. Virg. Aen. II, 182. *Ita digerit omina Calchas.* Clarius haec elocutus eſt Homer. d. l. Exagitat Theſtoridae interpretationem Cic. de Div. II, 30. — *ſaxum*, ſaxeam naturam ſeruat, manet ſaxum. Lenzius putat, vim fontis ſaxificam formam ſerpentis ſaxeam addidiſſe cortici platani; inde fab. enatam.

24 — 38 *Iphigeniae* mactatae fabula, poſt Homer. demum adſcita, varie narratur. Mactatam eſſe virginem volunt Lucret. I, 85 ſqq. Cic. Offic. III, 25. Virg. Aen. II, 116. Horat. II Sat. 3. Propert. III, 5, 64. Et ſolitos interdum eſſe Graecos ſacrificare homines oſtendit Potterus Archaeol. To. I. p. 520. ed. Ramb. Ceruam eſſe ſuppoſitam, virginem autem a Diana in Tauros, Scythiae vrbem, translatam, vt ibi ſacra ſibi faceret, praeeunte Eurip. Iph. Aul. et in Taur. tradunt Pauſan. Boeot. p. 748. vbi et aliae traditiones, Anton. Lib. cp. 27. Hygin. fab. 98. et 261. Serv. ad Virg. d. l. Nihil hic transformationis.

25 *Bella non transfert*, belligerantes tranſire non patitur. Plin. Pan. 12, 3. *duratus glacie tergo bella transportat.* Cic. pro l. Man. 12. *belli impetus nauigavit.* Flor. II, 2, 17. *bellum in Africam nauigabat.* — De *moenibus* Troianis v. XI, 202 ſqq.

28 Dianae iram irritauerat

Eſſe Deae. Poſtquam pietatem publica cauſſa,
Rexque patrem vicit, caſtumque datura cruorem
Flentibus ante aram ſtetit Iphigenia miniſtris:
Victa Dea eſt, nubemque oculis obiecit; et inter
Officium turbamque ſacri, vocesque precantum,
Suppoſita fertur mutaſſe Mycenida cerua.
Ergo vbi, qua decuit, lenita eſt caede Diana,
Et pariter Phoebes, pariter maris ira receſſit:
Accipiunt ventos a tergo mille carinae:

30 Ciofan. inepte coniiciebat, *Resque patrem.* Nouem, *vincit.* 33 Menard. *coeptumque ſacri*, vnde Heinſ. coni. *coetumque.* 34 Thuan. *ſuppoſitam ceruam.* Sed tum *Mycenide* dicendum foret, monente etiam Burm. v. ad VII, 60. 35 Quidam, *qua licuit.* τὸ *vbi* abeſt a Zulichem. τὸ *eſt* a fragm. Boxh. Vnus Leid. *lenitaque.* Hinc Heinſ. ſcribendum exiſtimat, *Ergo, qua decuit, lenita caede Diana, Vt pariter.*

Agamemnon. interfecta cerua ipſi ſacra. Aliter tamen Cic. Offic. III, 25. *Agamemnon cum deuouiſſet Dianae, quod in ſuo regno pulcherrimum natum eſſet illo anno, immolauit Iphigeniam* (adeoque vix anniculam), *qua nihil erat eo quidem anno natum pulchrius. Promiſſum potius non faciendum, quam tam taetrum facinus admittendum fuit.* Hinc etiam a declamatoribus olim haec fab. tractari ſolebat.

29 *Publica cauſſa*, commodum, vtilitas gentis, vt *cauſſa imperii, reipublicae* apud Cic. *Rex*, officium regis, *patrem*, animum paternum, per metonymiam ſubiecti pro adiuncto. XIII, 187. *in rege tamen pater eſt.* Valer. Max. V, 8, 1. de Bruto, *exuit patrem, vt conſulem ageret.* Supra VI, 629. *ex nimia matrem pietate labare ſenſit*, vbi v. Heinſ. Perſuaſus precibus Menelai arceſſiuit Iphigeniam.

30 *Dare*, effundere. Sequentia pulcherrime tractauit Lucret. d. l. qui locus dignus eſt, qui cum noſtro comparetur. *Cui ſimul infula virgineos circumdata comptus Ex vtraque pari malarum parte profuſa eſt, Et moeſtum ſimul ante aras adſtare parentem Senſit, et kunc propter ferrum celare miniſtros, Adſpectuque ſuo lacrymas effundere ciues: Muta metu terram genibus ſummiſſa petebat: Nec miſerae prodeſſe in tali tempore quibat, Quod patrio princeps donarat nomine regem* etc. Pinxerat illam immolationem Timanthes, de quo Quintilian. Inſt. Or. II, 13, 13. *Cum in Iphigeniae immolatione pinxiſſet triſtem Calchantem, triſtiorem Vlixem, addidiſſet Menelao, quem ſummum poterat ars efficere moerorem: conſumtis adfectibus non reperiens, quo digne modo patris vultum poſſet exprimere, velauit eius caput, et ſuo cuique animo dedit aeſtimandum.* Cf. Cic. or. 22. Plin. 35, 10.

33 Res diligenter narratur ap Eurip. vſ. 1581 ſqq. *turba ſacri* ſtrepitus eorum, qui ſacro intererant. *mutaſſe*, permutaſſe. Ipſam virginem rapuit, eius loco ſuppoſuit vel *ceruam*, vt plurimi

Multaque perpeſſae Phrygia potiuntur arena.
Cygnus inuulnerabilis. Orbe locus medio eſt inter terrasque fretumque,
Cocleſtesque plagas, triplicis confinia mundi:
Vnde, quod eſt vsquam, quamuis regionibus abſit,
Inſpicitur, penetratque cauas vox omnis ad aures.
Fama tenet, ſummaque domum ſibi legit in arce:
Innumerosque aditus, ac mille foramina tectis
Addidit, et nullis incluſit limina portis.
Nocte dieque patet. Tota eſt ex aere ſonanti:

41 Barthius ad Stat. I Theb. 200. corrigit, *quantis regionibus.*

tradunt vel taurum, vt vult Nicander ap. Anton. Lib.

38 *Potiri* dictum, vt XI, 55.

FAB II. vſ 39—145 Troiani cum *fama* aduentum Graecorum cognouiſſent, armati hoſtem exſpectant. Primo ſtatim congreſſu cum Achilles Cygnum, qui nullo telo interimi poterat, impulſum ſuper lapidem necaſſet, hic a Neptuno mutatur in auem ſui nominis. Cf. Q. Calab. IV, 467 ſqq. Tractauerat et Staſinus in Cypriis.

39—63 Loc. claſſic. de Fama et de eius domicilio. Neque Noſter concertaſſe videtur cum Virg. Aen. IV, 173—88. ſed ſuum ipſius ingenium ſecutus: eique ex more indulſit loquacitate. Cf. de Fama Valer. Flacc. II, 116 ſqq. Statius Theb. III, 426 ſqq. Noſter ſupra IX, 137 ſqq. *Fama* Dea iam ap. Heſiod. Ἔργ. ſin. Ingenioſe autem domicilium Famae excogitatum. *coeleſtes plagae*, coelum in certas plagas diuiſum. *Triplex mundus*, mundus conſtans tribus partibus ſ. elementis, e diſciplina quidem Lucret. V, 94 ſqq. *Principio maria ac terras coelumque tuere: Horum naturam tripticem, tria corpora, Memmi, Tres ſpecies tam diſſimiles, tria talia texta* etc. quem loc. diſertis verbis Noſter reſpicit II Triſt. 426. et ad Liv. 362. vbi mundus *triplex opus* vocatur. Male Lenzius monet, *fretum* non eſſe ſeparatim capiendum, ſed *terras fretumque* eſſe omnino terram. Aduerſatur huic interpret. quod ſubiicitur, *triplex mundus*. In confiniis *terrae* et *freti* mons eminebat verſus *coelum*. Inde proſpectat Fama, etiam quod in *freto* geritur, vſ. 62. Altitudinem loci, quae cauſſa lati proſpectus, mox diſerte exprimit, *ſumma in arce*, in vertice montis. *Inſpicitur*, vt ap. Plin. VI epiſt. 31. *Quid iucundius, quam Principis iuſtitiam* etc. *inſpicere?* et Paneg. cp. 83.

43 *Domum* multum praeſtat τῷ *locum*, quia Fama Dea eſt, cui, vt XI, 593. Somno, recte *domus* tribuitur, quae *foramina* et *atria* etiam habet, vſ. 53. *Locum* huc translatum ex I, 27. vbi idem verſus de igne. Ea domus erat *ſumma in arce*, in cacumine montis e terra ſurgentis in confiniis iſtis. *et nullis* pro, *nec*, *ſed non* addidit portas. *incluſit* pro ſimplice, clauſit.

46 *Eſt ex ore ſonanti* pro, eſt os ſonans, tota indefinenter blaterat, habent non niſi duo Mſſ. vnde, poſtquam Gruterus ad Plaut. Aul. III, 6, 18. probauerat, recepit Burm. partim quia rectius dicatur *os ſonans*, quam

Tota fremit, vocesque refert, iteratque quod audit.
Nulla quies intus, nullaque ſilentia parte.
Nec tamen eſt clamor, ſed paruae murmura vocis:
Qualia de pelagi, ſi quis procul audiat, vndis
Eſſe ſolent: qualemue ſonum, cum Iuppiter atras
Increpuit nubes, extrema tonitrua reddunt.
Atria turba tenent: veniunt leue vulgus, euntque:
Mixtaque cum veris paſſim commenta vagantur

51 Multi, *altas*. Leid. tert. a manu prima, *actas*, non improbante Burm. 54 Strozzae liber, *cum veris pariter.*

auris, partim quia Virg. d. l. habet de Fama, *totidem ora ſonant*. Exquiſitiorem hanc lect. eſſe vulgata *aere*, etiam Lenzius iudicat. Sed quinque Mſſ. habent *ex aure*, quod equidem non ſpreuerim prae illo altero. Namque 1) etiam auris plena ſonoribus, vt loquitur Lucret. VI, 1183. recte dici poteſt *ſonans*. 2) Iam ſupra admonui, Noſtrum h. l. parum expreſſiſſe Virgil. multoque minus credendus eſt tam puerili ter veſtigia illius ſecutus eſſe, vt, quoniam ille dixerat, *totidem ora ſonant*, et ipſe *oris ſonantis* mentionem faceret. Idem Virgil. etiam *totidem aures* Famae tribuit. *Cui quot ſunt corpore plumae, Tot vigiles oculi ſubter, mirabile dictu, Tot linguae, totidem ora ſonant, tot ſubrigit aures.* 3) In notanda hac Famae loquacitate Noſter ipſe, etiam ſine verbis illis, de quibus quaeritur, in loquacitatis ineptiſſimae vitium incidit; eandem enim rem ad taedium vsque lectoribus inculcat. *Tota fremit, voces refert, iterat quod audit.* Nondum ſatis. *Nulla quies intus.* Nec hoc ſatis. *nullaque ſilentia parte.* Et ne hic quidem deſinere poterat, *Nec tamen* etc. Multo igitur intolerabiliorem eum reddunt, qui etiam *ore ſonanti* deſendunt et de auditu nihil relinquunt. Sed fateor, nec hanc lect. mihi ſatisfacere. Durum enim videtur, *tota eſt ex aure* aut *ore ſonanti*. Deinde tota loci ſeries oſtendit, hic non de Fama ipſa, ſed de domo eius ſermonem eſſe: Tamen et Rode haec ad Deam retulit. Sed inepta foret Dea indefinenter fremens. Quid ipſa agat, potius vſ. 62 ſq. memoratur. Sequitur *nulla quies intus;* quorſum τὸ *intus* referes, ſi haec verba de ipſa Dea agunt? Proxime praecedit, *Nocte dieque patent*, ſcil. limina. Igitur praeſtat vulg. lectio, *patet*, ſcil. domus. *Tota eſt ex aere ſonanti.* Ita *audit* dictum erit pro, perfertur ad eius foramina. *fremit*, audiuntur promiſcue multorum voces.

49 *parnae*, ſubmiſſae, vt III ex P. 3, 10. *paruus ſonus*. Paruam autem vocem finxit, quia rumuſculi ab initio clam propagantur. *Extrema tonitrua* egregie, quorum ſonus iam fractus eſt atque debilitatus, et mox deſinet. Sic II, 117. *extrema lunae*, quae mox euaneſcet e conſpectu. Plin. II epiſt. 17. *ſonus maris deſinens*, et ibid. *fracti et nouiſſimi fluctus. Increpuit*, concuſſit. Verba enim orationis ſaepe tri insferuntur ad rem.

53 *Vulgus*, quod delectatur et ducitur rumoribus, eamque ob

Millia rumorum: confuſaque verba volutant.
E quibus hi vacuas implent ſermonibus aures:
Hi narrata ferunt alio, menſuraque ficti
Creſcit, et auditis aliquid nouus adiicit auctor.
Illic Credulitas, illic temerarius Error,
Vanaque Laetitia eſt, conſternatique Timores,
Seditioque repens, dubioque auctore Suſurri.
Ipſa quid in coelo rerum, pelagoque geratur,
Et tellure, videt, totumque inquirit in orbem.
Fecerat haec notum, Graias cum milite forti
Aduentare rates: neque inexſpectatus in armis
Hoſtis adeſt. Prohibent aditu, litusque tuentur
Troës: et Hectorea primus fataliter haſta,

56 Quidam, *auras*. 57 Permulti, *aliis*. 61 *repens* de ſuo dedit Heinſ. pro, *recens*. Neap. *Suſurra*.

cauſſam *leue* eſt, frequentant *atria*, et rumorum cognoſcendorum, et Deae colendae cauſſa. Ibi et *commenta rumorum*, commentitii rumores, *vagantur*, tamquam perſonae, *confuſaque verba volutant*, quod praeclare de magna et ſimul loquente turba dictum, vt Virg. Aen. I, 725. de conuiuis loquacibus, *vocemque per ampla volutant Atria*. *Volvere verba*, pronuntiare, dixit Cic. Or. III, 47. Brut. 70. *vacuas*, non occupatas audiendis rebus grauioribus, ſed vacantes rumoribus, vt IV, 41. et *vacua limo* III, 319. *ferunt alio*, relata. referunt aliis. *menſura*, magnitudo. Virg. *Mobilitate viget, viresque adquirit eundo, Parua metu primo, mox ſeſe attollit in auras, Ingrediturque ſolo, et caput inter nubila condit*. Cf. ſupra IX, 137 ſqq. *nouus auctor*, qui aliis reſert relata.

59 Προσωποποιΐται ea, quae vel rumores gignunt aluntque, vel ab iis gignuntur. Quinct. Inſt. V, 3. de Fama, eſſe *ſermonem, ſine vllo certo auctore diſperſum, cui malignitas initium dederit, incrementum credulitas. Seditio repens* Saſſtius, der herumſchleichende Aufruhr, quaſi eſſet a verbo *repere*. Sic etiam Rode et Lenzius. Imo *repens* eſt repentina, vt paſſim *repens tumultus, diſcordia* etc. v. Heinſ. Coniuratio clam ſerpere poteſt; ſed quando illa in *ſeditionem* erumpit, manifeſta eſt. Et omnis ſeditio erumpit repente.

63 *inquirit in orbem*. Eadem ſyntaxis I, 148. *patrios inquirit in annos*. Et Lactant. Inſt. III, 15, 8. Mſſ. habent, *ſi quis in mores eorum inquirat*.

65 Auxiliares arceſſiuerat, et cum potentiſſimis Aſiae regibus ſocietatem inierat Priamus. Graeci appulerunt ad Litus Sigaeum, vbi Troiani eos *aditu prohibebant* (phraſes ſollemnes *aditu, litore, portu prohibere*. v. Heinſ.), ſed cruento praelio repulſi ſunt. Thucyd. I, 11. *in* aut *ſub armis*, vt ap. Graec. ἐφ' aut ὑφ' ὅπλοις, armatus, ſaepiſſime.

67 *fataliter*, ex decreto fati.

Proteſilae, cadis: commiſſaque proelia magno
Stant Danais, fortisque animae nece cognitus Hector.
Nec Phryges exiguo, quid Achaïa dextera poſſet,
Sanguine ſenſerunt. Et iam Sigaea rubebant
Litora: iam leto, proles Neptunia, Cygnus
Mille viros dederat: iam curru inſtabat Achilles,
Troaque Peliacae ſternebat cuſpidis ictu
Agmina, perque acies, aut Cygnum aut Hectora quae-
Congreditur Cygno: decimum dilatus in annum (rens,
Hector erat. Tum colla iugo candentia preſſos

68 Leid. tert. *praemiſſaque*. 69 *fortisque animae* e correctione Zulichemii receperunt Heinſ. et Burm. pro *fortesque*. Vulg. *Achaica*. Sed *Achaïa* vt *Troïa, Panchaïa*. v. Heinſ. Plurimi, *et iam ſignata rubebant*. 74 Pro *totaque* ex Medic. Heinſ. recepit *Troaque*, quia Τρως et Τρωος et Τρωϊος et Τρωϊκος dicitur. 77 Plurimi, *canentia*. Sed *canus* color non commenda-

Graecis reſponſum erat, qui primus Troiana litora attigiſſet, periturum. Caeteris cunctantibus, proſilit fraude Vlyſſis *Proteſilaus* Theſſalus, quem fata iam olim deſignauerant, impoſito ei Proteſilai nomine. Homer. Il. β, 697. Noſter Heroidd. XIII, 93. Hygin. fab. 103. Auſon. Epigr. XII. vbi inter alia, *Fatale adſcriptum nomen mihi Proteſilao — Hoc letum iam tum mea fata canebant, Tale mihi nomen cum pater impoſuit*.

68 Recte *commiſſa proelia*, proelium, quo initium belli et proeliorum factum. v. Burm. *magno ſtant*. v. ad X, 547. *cognitus* interdum in laudem dr. vt *ſpectatus* alibi, qui virtutis ſuae ſpeciminibus inclaruit. *fortis animae*, Proteſilai. *ſentire* drr. qui damno ſuo diſcunt, quid alter valeat. Infra XIII, 864. Cic. Catil. II, 12. *Sentiet in hac vrbe eſſe conſules vigilantes. — exiguo ſanguine* profuſo. Repetitio τῶ *iam* feſtinationi declarandae inſeruit, vt X, 523 ſeq. *rubebant litora*. Ita ſolent poëtae proelia acerrima deſcribere. Lucan. II. 713. *Tum primum rubuit ciuili ſanguine Nereus*.

72 Supra II, 367. alium *Cygnum* habuimus. Hunc Noſtrum, Neptuni filium, Colonarum in Troade regem (vid. Pauſan. Phoc. p. 831.), quidam confundunt cum tertio Cygno, Martis filio, ab Hercule occiſo, de quo Apollod. II, 5, 11. *mille viros*. Q. Cal. d. l. πολλῶν ἀνδρῶν ἐλόντα. Et erat Cygnus πρῶτος ἀριστήων. *Curru* vectus *inſtabat*, irrumpebat aut perſequebatur Troianos. *Peliaca cuſpis*, mobilis Achillis haſta, tanta magnitudine et pondere, vt nemo reliquorum Graecorum eam vibrare poſſet. *Peliaca* et *Pelias* vr. quia ex Pelii montis vertice eam reſecuerat Chiron. Homer. Il. π, 140. Q. Calab. V, 118.

76 *dilatus Hector*. Hectoris nex demum ſecuta decimo anno ſ. Hector fato aut Deorum voluntate reſeruatus in dec. a. Rarius homines drr. *differri*, quam res. v. Schwarz. ad Plin. pan. cp. 26.

Exhortatus equos, currum direxit in hoſtem:
Concutiensque ſuis vibrantia tela lacertis,
Quisquis es, o iuuenis, ſolatia mortis habeto,
Dixit, ab Haemonio quod ſis iugulatus Achille.
Hactenus Aeacides. Vocem grauis haſta ſecuta eſt.
Sed quamquam certa nullus fuit error in haſta;
Nil tamen emiſſi profecit acumine ferri:
Vtque hebeti pectus tantummodo contudit ictu:
Nate Dea, nam te fama praenouimus, inquit
Ille, quid a nobis vulnus miraris abeſſe?
(Mirabatur enim,) non haec, quam cernis, equinis
Fulua iubis caſſis, nec onus caua parma ſiniſtrae
Auxilio mihi ſunt: decor eſt quaeſitus ab iſtis.
Mars quoque ob hoc capere arma ſolet. Remouebitur
Tegminis officium: tamen indeſtrictus abibo. (omne

tur in equis. 79 Vnus Voſſian. *Vulcania tela*, quae Vulcanus fabricauerat. Sed Pelias haſta donum erat Chironis, quamquam a Vulcano armata ferro credebatur. v. Burm. 80 Vulg. *Dixit ſolamen habeto Mortis.* Alterum rotundius viſum Heinſio. 81 Heinſ. ſuadet, *qui ſis iugulandus.* Sine cauſſa. 84 Quinque *admiſſi*, quod elegantius Burm. videtur, vt *admiſſae aquae*, *admiſſi ictus*. 90 Gronov. prim. *Auxilium*, vt Remed. Amor. 528. vbi v. Burm. 91 Francius malebat, *ob hunc.* Septem, *remouebitur ecce.*

78 *Exhortari*, incitare, vt V, 421. et alibi *hortari* et *monere canes. collo — equos* pro vulg. candentes et currui iunctos. *Candens* color paſſim laudatur in equis. v. Heinſ. Non modo qui haſtam mouet, ſed haſta etiam ipſa, quae mouetur, *vibrare* dr. Saepe linguae *vibrantes* ſerpentum. Igitur pro *vibrans tela* e copia poëtica maluit *concutiens vibrantia tela.* — *Solatia* etc. v. ad IX, 7.

83. *Error*, vt V, 90. et *errare* mox vſ. 122. *certa* v. ad I, 519. *hebes ictus* paullo audacius, ictus, qui tamquam cuſpis haſtae *hebes* eſſet, nullum infligit vulnus.

89 *Equinis — caſſis*, κόρυς ἱπποδασείη, λόφος ἱπποχαίτης, galea, cuius cono ſetae inbarum equinarum inſerebantur, quae ornamenta variis coloribus imbuebantur. *caua*, quia curuata. *onus ſiniſtrae* vt II, 681. *onus* vt *geſtamen* et φόρημα, quidquid geſtatur. Sic *onus inguinis* pro inguine IV Faſt. 241. *decor — iſtis*, vt decorem mihi adderem, compararem, iſta ſumſi. *ab iſtis* elegantius, quam, *iſtis*. Lucret. V, 1039. *a pennis tremulum petere auxiliatum.* — *Tegminis officium*, arma, quae aliis id officii praeſtant, vt corpus tegant. I, 744. *pedum officium. Deſtringitur* corpus, cum haſta miſſa leuiter cutem percutit, exiguamque notam relinquit. Pro *ero* melius, *abibo*. Salluſt. Cat. 61, 7. *grauiter vulneratus diſceſſerat.* Ex eodem genere ſunt, *impunitum dimittere*, *ruptum iacere*, quibus verbis actio aut ſtatus ſequens exprimitur.

Eſt aliquid, non eſſe ſatum Nereide, ſed qui
Nereaque, et natas, et totum temperet aequor.
Dixit: et haeſurum clypei curuamine telum
Miſit in Aeaciden, quod et aes, et proxima rupit
Terga nouena boum, decimo tamen orbe moratum.
Excutit hoc heros, rurſusque trementia forti,
Tela manu torſit: rurſus ſine vulnere corpus,
Sincerumque fuit, nec tertia cuſpis apertum,
Et ſe praebentem valuit deſtringere Cygnum.
Haud ſecus exarſit, quam Circo taurus aperto,
Cum ſua terribili petit irritamina cornu,
Poeniceas veſtes, eluſaque vulnera ſentit.

94 Vulg. *temperat.* 97 Cantabr. et vnus Heinſ. *aere moratum.* Voſſ. et Menard. *orbe reſiſtit.* 98 Ante Heinſ. edeb. *Excipit hoc.*

93 *Eſt aliquid*, maximus honor eſt, es iſt nichts geringes. v. Schwebel ad L. Bos Ellipſes p. 190. *Nereide*, Thetide, cuius filius Achilles. Non erat, cur tam contemtim de Achille loqueretur; nam nec ille, niſi in calce, vulnerari potorat.

95 *clypei curuamine*, in clypeo curuo. Clypeus Achillis ſecundum Homer. Il., υ, 269 ſqq. quinque conſtabat laminis, quarum duae exteriores aereae, duae interiores ſtanneae, media aurea. Sed Ouidio placuit ei clypeum dare lamina aerea et decem boum coriis obductum, forte quia Aiax ſeptem coria habebat, v. ad XIII, 2. Praeeunte Homero Il. η, 247. υ, 269. etiam latini poëtae, vt Virg. Aen X, 783. commemorare ſolent, quot laminas et coria (πτύχας Homer. vocat) telum miſſum penetrauerit. *Tergum* amant poëtae pro vulg. *corium. decimo orbe*, decimo corio. Saepe *clypei orbis*, hinc etiam coria circa clypeum ducta *orbes*. Expreſſit autem Noſtrum Stat. IX. Theb. 104. *Intorquet iaculum*, *duro quod in aere moratum*, *Transmiſſumque tamen clypei ſtetit orbe ſecundo.*

98 *Excutere* drr. homines et ferae haſtas, tela, venabula infixa. v. Heinſ. et Burm. *Sincerum* Burm. interpretatur non tinctum, ſoedatum ſanguine. Malim, illaeſum, vt I, 191. *pars ſincera.* Lucret. III, 717. *membra ſincera. Sincerum* enim omne id, quod vitio caret. *apertum*, inermem, nudatum caſſide et parma. *ſe praebet* qui ſe attrectari, h. l. qui ſe feriri ſinit.

102 Apta et Romanis grata comparatio. Taurorum genus quoddam, cum puniceum rubrumque colorem ferro non poſſet, veſtibus et pilis huius coloris in Circo expoſitis irritari ſolebat. Martial. Spectac. 19 et 22. *circo*, clauſtris Circi, cauea, in quam concluſa animalia. Vt gladiatores ictus aduerſarii et *vulnera eludunt* declinatione corporis, ita etiam ab iſtis incitamentis, dum cedunt

Num tamen exciderit ferrum, conſiderat, haſtae.
Haerebat ligno. Manus eſt mea debilis ergo;
Quasque, ait, ante habuit vires, effudit in vno.
Nam certe valuit, vel cum Lyrneſia primus
Moenia disieci; vel cum Tenedonque, ſuoque
Eëtioneas impleui ſanguine Thebas;
Vel cum purpureus populari caede Caycus
Fluxit, opusque meae bis ſenſit Telephus haſtae.
Hic quoque tot caeſis, quorum per litus aceruos
Et feci, et video, valuit mea dextra, valetque.
Dixit: et, ante actis veluti male crederet, haſtam
Miſit in aduerſum Lycia de plebe Menoeten,
Loricamque ſimul, ſubiectaque pectora rupit.
Quo plangente grauem moribundo vertice terram,

110 Ex *Eëtioneas* male fecerant *Echionias*. v. Regius. 115 Flor. et Francf. *haſtae;* vnde Heinſ. coni. *et ante actae veluti male crederet haſtae*, vt *agere fulmina, tela* etc. 116 *Menoeten* e duobus Regiis dedit Heinſ. pro *Nemeten*. Sprotii Cod. *media de plebe*, quod repetitum ex lib V, 207. putat Burm. Plures *Lycia de gente*. 118 Medic. *foedante*. Sed *plangere* vſitatum in hac re. v. Heinſ. ad III, 125. *Vertice* Heinſ. e tribus repoſuit, cum ante *pectore* legeretur. 121 Olim edeb. *Vtar in hoc idem*. Poſtremum emendauit Conſt. Fanenſ. *in hunc* autem e melioribus recepit Heinſ. qui et *fatur* mutauit in *fatus* auctoritate quatuor Mſſ. Palat. ſec. *vertar in hunc*, vt I, 236. *Vertitur in pecudes*. 123 Leid. vnus et alius Heinſ. *deuitata*, vt II, 605. 127 Vulg. *ſanguis fuit*. Sed Burm. e Cantabr. et vno Heinſ. *erat*, vt ſit venuſta et neceſſaria repetitio. 128 Francf. et duo alii *furibundus*. 129 Vnus Heinſ. et Baſ. *et nudo ſecurum*. 131 Gifanius Ind. Lucret. in *inualidus* legit *et induro*. Faber coni. *in nudo*. 132 Olim, *gladioque*, et pro *reducto* multi, *retecto*, *reiecto*, *recepto*, *relicto*, *remoto*.

irruenti tauro, *vulnera eludunt*, non infliguntur vuln.

105 Admirationem Achillis bene exprimit. Simul rerum ab eo geſtarum indiculus additur, vt IX, 182 ſqq. Cf. XIII, 171 ſqq. et Quint. Cal. IV, 150 ſqq. Ap. Homer. Il. ε, 328 ipſe gloriatur, ſe duodecim vrbes inter nauigandum, et vndecim in continente exſcidiſſe. Sed has vrbes ſerius expugnauit. *Lyrneſus* aut *Lyrneſſus*, et *Thebae* ſ. *Thebe*, vrbes Myſiae, quae regio poſtea Aeolis dicta eſt. v. Burm. *Eëtioneae*, *ab Eëtione* rege, cui Thebe paruit, et quem cum multis ciuibus interfecit Achilles. Homer. Il. α, 364. ζ, 395. Cum *disiicere* pr. ſit ita deſtruere, vt fragmina ſparſa iaceant, de excifis moenibus, vrbibus, arcibus adhibetur. v. Heinſ. et Burm. *Caycus*, Myſiae fluuius, *populari caede*, caede popularium. Fluuii enim *populares* habentur accolarum. v. IX, 20. Ad eum fluuium Achilles haſta ſua vulnerauit *Telephum*, Herculis et Augeș filium, cum Graecos prohibere litore auderet. Quo ex vulnere cum ſummis doloribus cruciaretur, et oraculum ei reſpondiſſet, ὁ τρώσας σε ἰάσεται, Achilles robigine haſtae derafa eum ſanauit. Atque ita bis *ſenſit*, expertus eſt, *opus*, vim et vulnificam et ſalutarem iſtius haſtae. Hygin. fab. 101. Plin. XXV. S. XXXIV, 15.

113 *per litus*, diſperſos in litore.

116 Centies, et in hac ipſa fab. ſaepius homines, et membra, quae alter petiit telis, *aduerſi* et *aduerſa* vocantur. Similiter *loca aduerſa*, ad quae quis tendit.

118 *grauem*, duram. *calidum vulnus*, ex quo calidus ſanguis profluit. *feruens vulnus* IV, 121.

Extrahit illud idem calido de vulnere telum, (haſta:
Atque ait: Haec manus eſt, haec, qua modo vicimus,
Vtar in hunc iisdem: ſit in hoc precor exitus idem.
Sic fatus, Cygnumque petit, nec fraxinus errat,
Inque humero ſonuit non euitata ſiniſtro.
Inde, velut muro, ſolidaue a caute, repulſa eſt.
Qua tamen ictus erat, ſignatum ſanguine Cygnum
Viderat, et fruſtra fuerat gauiſus, Achilles.
Vulnus erat nullum: ſanguis erat ille Menoetae.
Tum vero praeceps, curru fremebundus ab alto,
Deſilit, et nitido ſecurum cominus hoſtem
Enſe petens, parmam gladio, galeamque cauari
Cernit, et in duro laedi quoque corpore ferrum.
Haud tulit vlterius: clypeoque aduerſa reducto
Ter, quater ora viri, capulo caua tempora pulſat:

122 Placet coni. Burm. *Cygnum repetit*, iterum petit, quem antea fruſtra petierat. *fraxinus*, quia fraxinea haſta ab Homero ei data, vnde ipſe *ἐυμίλιος. a caute*. Praepoſit. ſolet interdum, etiam ap. Graecos, poſteriori nomini addi. v. Fiſcher. ad Anacr. od. 9, 22.

126 Plusquamperfecta *viderat* et *gauiſus fuerat* cum dilectu poſita.

128 *Praeceps*, celeriter, rapide. III, 694. *praecipitem rapere*. *laedi*, hebetari aut crenas ducere. *et in duro* etc. paullo obſcurius expreſſum. Arma quidem aduerſarii laedere enſis potuit, ſed non ipſum. Lenzii frater corrigit, *at in duro*. Non male.

132 Clypeum identidem impingit in Cygni os aduerſum, et poſt ſingulos ictus reducit ad ſe, ſimulque capulo faeuit in eius tempora. Ita recte loc. reſtituiſſe arbitror Heinſ. Prior enim ſententia bene conuenit ingenio Naſonis, qui ſolet ita exprimere geſtus pugnantium (Virg. Aen. XI, 605. *haſtasque reductis Praetendunt longe dextris*), ſicut poſterior furori Achillis. De v. *reducere* v. Heyne ad Aen. IX, 423 in Varr. lect. *Inſtare* verb. militare, quod opp. τῷ *cedere*.

Cedentique ſequens inſtat, turbatque, ruitque,
Attonitoque negat requiem. Pauor occupat illum,
Ante oculosque natant tenebrae, retroque ferenti
Auerſos paſſus, medio lapis obſtitit aruo.
Quem ſuper impulſum reſupino pectore Cygnum
Vi multa vertit, terraeque adfixit Achilles.
Tum, clypeo, genibusque premens praecordia duris,
Vincla trahit galeae: quae preſſo ſubdita mento
Elidunt fauces, et reſpiramen, iterque
Eripiunt animae. Victum ſpoliare parabat:
Arma relicta videt: corpus Deus aequoris album
Contulit in volucrem, cuius modo nomen habebat.
Pugna Centaurorum. Hic labor, haec requiem multorum pugna dierum
Attulit, et poſitis pars vtraque ſubſtitit armis.
Dumque vigil Phrygios ſeruat cuſtodia muros,

134 *Cedenti* pro *cedentem* dedit Heinſ. e multis. v. eum ad Claudian. I in Ruf. 35. 137 Meurſius legit *armo*. 139 Quidam, *infixit Achilles*. v. Heinſ. 142 Heinſ. vel inuitis Mſſ. ſcribendum cenſet, *elidant* et *eripiant*. 144 Langerm. *relicta loco*, vt *reſtare loco* XIII, 946. *loco manere* XIV, 70. *loco ponere* Faſt. II, 207.

136 Ap. Homer. ſimplicius nox tegit oculos morientium. Hoc exornarunt Latini poëtae, praeeunte Lucret. III, 479. *natant* propter fluctuantem motum. Supra V, 71. ipſi *oculi ſub nocte natant*, vt Virg. G. IV, 496. *conditque natantia lumina ſomnus*. Silius II, 122. *parmaque oculos iam luce natantes*. Sed nunc tenebrae, quas pauor obiicit.

141 *vincla*, ὀχεύς, lorum, quo galea ligabatur ſub mento. Haec *trahi*, conſtringi interdum ſolebat a victoribus. Homer. Il. γ, 371. — *ſpoliare*, σκυλεύειν, iacenti arma detrahere, ex noto more Veterum.

145 *contulit*, transformauit. Cic. Offic. III, 20. *ex homine ſe conferre in beluam*. Supra IX, 347. *Lotis in hanc contulerat verſos vultus. album in volucrem*, vt ſuperior Cygnus II, 367.

FAB. III. vſ. 146 — 535 *Pugna Centaurorum*, cuius narrandi occaſio hic perquam commoda offertur. Ei enim interfuerat *Caeneus*, Cygno et natura et fatis ſimillimus. Namque non modo e femina in marem conuerſus, ſed etiam inuulnerabilis factus erat Neptuni munere, et, cum necaretur, in auem transformatus. Apollon. I, 57 ibique Schol. Anton. 17. Schol. Hom. ad Il. α, 264. Hygin. fab. 14 p. 34. Serv. ad Aen. VI. De *Caeneo* ipſo agitur 171 — 219 et 459 — 534. quibus pugna Centaurorum interiecta. Sed his omnibus praemittitur conuiuii deſcriptio, quod occaſionem dedit antiquiorem hanc fab. repetendi. De *Centauris* v. ad vſ. 210.

146 *Labor* notanter de proeliorum moleſtiis. *ſubſtitit*, quieuit. *ſeruat* pro obſeruat, vt V, 631. *Foſſas* non monendum, quia bene reſpondet τῷ *muros*. *vigil cuſtodia*, cuſtodia vigilum. De repetitione hac verborum v. Diſp. de Ouidio p. XXVI. *Pallos* fautrix Achillis. Homer. Il. α, 194 ſqq. *Placat* Deos quicunque iis ſacra facit. *Vittis* velata omnia, quae Diis conſecrabantur. v. Heinſ.

Et vigil Argolicas ſeruat cuſtodia foſſas,
Feſta dies aderat, qua Cygni victor Achilles
Pallada vittatae placabat ſanguine vaccae.
Cuius vt impoſuit profecta calentibus aris,
Et Dîs acceptus penetrauit in aethera nidor;
Sacra tulere ſuam, pars eſt data cetera menſis.
Diſcubuere toris proceres, et corpora toſta
Carne replent, vinoque leuant curasque, ſitimque.
Non illos citharae, non illos carmina vocum,
Longaue multifori delectat tibia buxi:
Sed noctem ſermone trahunt: virtusque loquendi
Materia eſt. Pugnam referunt hoſtisque, ſuamque;

149 Septem, in quibus Vatic. Med. Gronov. pr. *cuſtodia flammas*, quod de ignibus (Horat. I od. 10, 15.) poſſe capi Burm. monet. Vnus Baſ. *portas*. Vnus Heinſii, *valles*, vnde Heinſ coni. *vallos*. 151 Ante Heinſ. *mactatae vaccae*. 153 Regius, *Dis exceptus*, quo bene auiditatem Deorum notari putat Burm. nidore enim paſci Deos creditum eſſe. 154 Leid. et Sprot. *maxima menſis*. 156 Oxon. et vnus Heinſ. *animumque ſitimque*. Alius Leid. et Sprotii, *curasque*. 158 Alii, *multiſoni*,

152 Sacrificia cauſſa praecipua apud priſcos Graecos conuiuiorum, quibus admodum delectabantur heroës, et quae ſubinde ex more a proceribus inſtituebantur. *Profecari* verbo ſacris proprio dicebantur exta cocta. Tempore heroum coxae (μηροί) adopertae adipe (κνίσῃ) adolebantur. Addebantur particulae ex omnibus membris deciſae, quod Homer. vocat ἀμοβήτειν. Pars reliqua in vſum epularum adhibebatur. Il. α, 459 ſqq. Vt h. l. carnes, ita alibi, v. c. VII, 662. tempus dr. *dari menſis*.

155. Ornate, hilariter admodum coenam illam produxerunt. *Diſcubuere*. VIII, 565 *torreri* ſ. aſſari carnes, non elixari ſolebant heroica aetate. *Leuant*, pellunt. Virg. *eximere fumem, ſitim*. Homer. ἔξεντο πόσιος ἠδὲ βρώσιος ἵεσαν. Ap. Homer. non *diſcumbentes*, ſed ſedentes epulantur.

157 Citharae vocisque cantus alias perpetuus conuiuiorum comes. Homer. Il. α, 603. et Od. α, 152. vbi Clark. plura collegit. Sed nunc conſilium Poëtae illum non admittebat. *De tibia multifori buxi* v. ad IV, 30 Heinſ. putat, eam *longam* dici, quia graecanica fuerit, cum Phrygia eſſet incurua. III, 533. Sed tunc dixiſſet haud dubie *recta*. Igitur *longa*, quia habet multa foramina, cum priſca Romanorum tibia paucis foraminibus eſſet breuis.

159 *Noctem ſermone trahunt* dixit cum Virg. Aen. I, 748. poëtice pro vulg. ſermonem trahunt

Inque vices adita, atque exhauſta pericula ſaepe
Commemorare iuuat. Quid enim loqueretur Achilles?
Aut quid apud magnum potius loquerentur Achillem?
Proxima praecipue domito victoria Cygno
In ſermone fuit. Viſum mirabile cunctis,
Quod iuueni corpus nullo penetrabile telo,
Inuictumque ad vulnera erat, ferrumque terebat.
Hoc ipſum Aeacides, hoc mirabantur Achiui:
Cum ſic Neſtor ait: Veſtro fuit vnicus aeuo
Contemtor ferri, nulloque forabilis ictu
Cygnus. At ipſe olim patientem vulnera mille
Corpore non laeſo, Perrhaebum Caenea vidi:
Caenea Perrhaebum, qui factis inclytus, Othryn
Incoluit. Quoque id mirum magis eſſet in illo,
Femina natus erat. Monſtri nouitate mouentur,
Quisquis adest, narretque rogant. Quos inter Achilles
Dic age, nam cunctis eadem est audire voluntas,

161 Gron. pr et duo alii, *exacta pericula.* 164 Plurimi, *domiti Cygni.* 160 Vulg. *iuuenis.* Medic. quoque, *nulli.*

in noctem. Sequentia ex moribus heroum atque in laudem Achillis dicta. *Virtus*, fortitudo bellica. *magnus* et ſupra XI, 265. *ingens* Achilles. Ei ſe accommodant caeteri, eique placere ſtudent, praeſertim cum eius ſumtibus hoc conuiuium inſtitutum eſſet. Itaque etiam in ſeqq. Achillis potiſſimum ſubinde fit mentio, vt vſ. 168. 176.

161 *exhauſta*, fortiter ſuperata, ad finem tolerata.

167 *Inuictum ad vulnera*, invulnerabile. Perinde eſt, vtrum cum Vulg. *a vulnere* legas, an cum Mſſ. quibusdam, quos Heinſ. ſequi maluit, *ad vulnera;* nam vtraque praepoſitio eleganter pro *quoad* adiectiuis iungitur. Vtriusque generis exempla habet Clav. Cic. *Ferrum terebat* pro, ferrum repellebat, non licet dicere. Cum igitur Francof. Mſ. *mirumque*, multi *ferebat*, Cantab. Oxon. et tres alii, *tenebat* habeant, Burm. coni. *mirumque tenebat Hoc ipſum Aeacidem*, hoc miraculum tenebat defixum Achillem.

169 Bene Neſtorem haec narrantem inducit, qui ipſe Caenea viderat et facundia excellebat. Et vide, quomodo totus loc. ſeq. ſermonem vitae communis aemuletur. *aeuum* pro aetate. *vnicus*, vnus. *contemtor ferri*, non metuens arma ferrea, quippe *nullo forabilis ictu*, inulnerabilis, noue dictum. *pati*, ſuſtinere. *Perrhaebus* vrbs Theſſaliae, cuius incolae et ipſi *Perrhaebi* dicti ſunt, vicini Lapithis. Strabo lib IX. p. 439. *Othrys* ſedes Lapitharum vr. a Plin. IV, 8 ſ. 15. ſedes Centaurorum a Virg. Aen. VII, 675. Etiam infra vſ. 513. commemoratur.

177 *voluntas*, cupiditas, ſtudium. Librariis ergo debetur, quod habent nouem Mſſ. *volup-*

O facunde ſenex, aeui prudentia noſtri,
Quis fuerit Caeneus: cur in contraria verſus:
Qua tibi militia, cuius certamine pugnae
Cognitus: a quo ſit victus, ſi victus ab vllo eſt.
Tum ſenior: Quamuis obſtet mini tarda vetuſtas,
Multaque me fugiant, primis ſpectata ſub annis:
Plura tamen memini, nec, quae magis haereat illa,
Pectore res noſtro eſt inter bellique, domique
Acta tot. Ac ſi quem potuit ſpatioſa ſenectus
Spectatorem operum multorum reddere: vixi
Annos bis centum: nunc tertia viuitur aetas.

181 Multi, *longa vetuſtas.* Tres, *longa ſenectus;* quatuor, *tarda ſenectus.*

tas. prudentia, prudentiſſime. Abſtracta ponuntur pro concretis, atque virtutes, vitia, affectiones animi pro ipſo homine. Tibul. IV, 1, 112. *Pylia fama* pro Neſtore celeberrimo. De *facundia* Neſtoris v. Hom. Il. α, 248 ſq. quo ipſo loco pugnam cum Centauris memorat. *Certamen pugnae*, labor in pugna, Plin. VI Ep. 13, 6. *quantum nos in ipſa pugna certaminis maneat.*

182 *vetuſtas*, ſenectus. Tibul. I, 8, 50. *veteres ſenes.* IV, 1, 111. *vetus aetas.* Plin. paneg. 14. *vetuſtior*, *miles*, ſenior, vbi v. Schwarz. *antiquus Neſtor* Heroidd. I, 63. *tarda*, quia reddit homines tardos, vel quoad corpus, vel quoad ingenium, vt h. l. Supra VII, 478. *tardus grauitate ſenili.* — *primis ſub annis*, prima aetate. *ſub* ſaepe pro *in*. v. Burm. ad. I, 639. Similiter *in* et *ſub armis* promiſcue vſurpantur. Atque etiam h. l. tres Mſſ. *armis*, vt VIII, 313. *primus etiamnum Neſtor in armis*, vbi vulg. *annis*. Locutionem *domi bellique* comprobauit Heinſ. Cic. Off. II, 24. *res belli et domi. Belli*, apud hoſtes, *domi*, in ſua ciuitate. Alibi *domi militiaeque*, *domi foriſque*. Haerebat autem illa res tam firmiter propter fortitudinem virorum, qui ei interfuerant. Homer. d. l.

186 *Spatioſa*, vt XIII, 206. *ſpatioſum bellum.* Mox male ſuſpicantur, excidiſſe poſt *reddere* apodoſin, atque haec inculcant, *certe Me potuit*, *vidi qui tot iam ſecula.* Talis enim ſententia facile cogitando ſuppleri poteſt, inepteque a poëta eſſet addita. *aetas*, ſeculum, eo ſenſu, quo hodie ſumitur. Sed apud veteres Romanos *ſeculum* non habebat notionem tam definitam. Cum igitur Neſtor a Naeuio apud Gellium IX, 7. vr. *trifeclifenex*, eique a Tibullo IV, 1, 50. et 112. atque a Propert. II, 10, 46. tribuuntur tria *ſecula*, nihil illi definiunt, ſed exprimere haud dubie voluerunt tres γενεὰς, quas Neſtori aſſignat Homer. Il. α, 247 ſqq. vbi Schol. obſeruat, γενεὰν apud veteres fuiſſe triginta annorum; quem multi ſecuti Neſtora fecerunt nonagenarium ſenem. Sed neque de γενεᾶς ſpatio quidquam decernere licet. Ouidius autem male interpretatus eſt ſe-

Clara decore fuit proles Elateïa Caenis,
Theſſalidum virgo pulcherrima, perque propinquas,
Perque tuas vrbes (tibi enim popularis, Achille)
Multorum fruſtra votis optata procorum.
Tentaſſet Peleus thalamos quoque forſitan illos.
Sed iam aut contigerant illi connubia matris,
Aut fuerant promiſſa, tuae. Nec Caenis in vllos
Denupſit thalamos: ſecretaque litora carpens
Aequorei vim paſſa Dei eſt: ita fama ferebat.
Vtque nouae Veneris Neptunus gaudia cepit,
Sint tua vota licet, dixit, ſecura repulſae:
Elige quid voueas: eadem hoc quoque fama ferebat.

192 Bersm. et Menard. *Multorumque fuit votis opt. proc.* Nonnulli, in quibus Florent. Neap. Thuan. Moret. *Multorumque fuit ſpes inuidioſa procorum*, qui vſ. lib. IX init. occurrit.

cultum, quamquam Schirach. fatetur, ſe in ſententiam Ouidii ire; quippe non indignum Homero, immo laudabile fuerit, ſi intelligamus, Homerum Neſtora finxiſſe 300 annorum ſenem. Tales enim ſenes adhuc exiſtere. Vbi tandem exiſtunt? *Viuitur* pro, *viuo*. Terent. Eun. II, 1, 18. *Quid agitur?* Pa. *Statur. Viuere aetatem* agere, vt *viuere annos* XV, 401. et *viuere ter ſenas Olympiadas* Martial. VII, 39. quae loca laudauit Burm.

189 *Elati* filiam faciunt Lucian. in Gallo et Hygin. fab. 14 et 242. *Atracis* filia eſt Anton. Lib. cp. 17. quem Noſter vſ. 209. ſequitur, quae inconſtantia non poteſt non improbari; eiusdem negligentiae reum ſe fecit interdum etiam Hygin. v. c. fab. 10. vbi Neleum Hippocoontis, et paullo poſt cum aliis Neptuni filium facit. Niſi ad excuſandum poëtam dicas, vſ. 209. patronymicum *Atracides* poſitum pro gentilitio *Atracius*, i. Theſſalus. *Atracis Hippodamia* eſt Heroidd. XVII, 247. Similem difficultatem habuimus ſupra X, 162. *Caeneus* et ap. Hom. et Heſiod. prae reliquis nominatur. Plures *Caenei* memorantur. Sed Elatides in primis nobilis. V. Heyne ad Apollod. 1, 9, 16. Infra vſ. 479 a patria *Phylleius* vr. Heſiodo dr. rex.

191 Apoſtrophe haec memorabiliorem facit narrationem, et iucundiorem Achilli, praeſertim cum ſequatur, *Tentaſſet Peleus thalamos* etc. Similis apoſtrophe eſt vſ. 363.

196 Etiam Tacit. IV Ann. 27. *denubere in domum.* Supra VII, 856. *innubere thalamis.* Liv. X, 23. *enubere patribus.*

202 Plerique, *Tale pati iam poſſe nihil.* Non male. Etenim *iam*, i. ab hoc inde tempore, bene h. l. conuenit. Si *mihi* retinemus, poſt *poſſe* interpungendum eſt, vt referatur ad *facit*. Lenzii frater coniungit cum ſqq. *Mihi da* etc. Sed Burm. valde adblanditur duorum Codd. Regii tert. et Vrbin. lectio, *Tale pati da poſſe nihil, da femina ne ſim;* venuſtam enim eſſe illam re-

Magnum, Caenis ait, facit haec iniuria votum,
Tale pati nil poſſe, mihi: da, femina ne ſim,
Omnia praeſtiteris. Grauiore nouiſſima dixit
Verba ſono, poteratque viri vox illa videri,
Sicut erat. Nam iam voto Deus aequoris alti
Adnuerat: dederatque ſuper, ne faucius vllis
Vulneribus fieri, ferroue occumbere poſſet.
Munere laetus abit, ſtudiisque virilibus aeuum
Exigit Atracides, Peneïaque arua pererrat.
Duxerat Hippodamen audaci Ixione natus,
Nubigenasque feros, poſitis ex ordine menſis,

203 Cantabr. *duxit.* v. Heinſ. ad Amor. I, 4, 19. 209 Vnus Heinſ. *Peneaque rura frequentat.* Quinque, *tenebat.* Vnus, *colebat.*

petitionem, qua opus fuerit in tanta voti magnitudine. *Dare* pro, concedere aliquod munus, vt I, 485.

203 Ingenioſe et inexſpectato celeritatem mutationis exprimit. Cf. IX, 785 ſqq. *grauiore*, humiliore. Lenzius putat, etymologicam nominis interpretat. a καινὸς, *nouus*, traditionem peperiſſe de transformatione in nouum ſexum. Mirum!

208 *Exigere aeuum, aetatem* pro agere dixerunt etiam Terent. Cic. Virg. *ſtudiis virilibus.* Sic v. c. interfuit venationi apri Calydonii VIII, 305. et expeditioni Argonautarum. Hygin. fab. 14. p. 34. *Atracides.* V. ad vſ. 189. *Atrax* Theſſaliae vrbs, *Peneo* vicina. Strabo IX p. 440.

210 *Ixion*, rex Theſſaliae, *audax*, quia cum Iunone concumbere voluerat. Ex nube ei obiecta Iunonis loco nati ſunt Centauri, *Nubigenae* inde dicti. Sed antiquitas genti huic *ferae* nomen illud tribuiſſe videtur propterea, quia altiſſimos Theſſaliae montes habitabat. Forma autem, quae eis tribuitur, ex antiquo quodam ſymbolo fluxiſſe videtur Heynio in Antiqu. Aufſätzen. P. I. p. 33. Alii eam repetunt e traditione, quae equitandi artem ad Centauros referebat. v. Voſs in Mythol. Briefen II p. 269. Apud Homerum feri et montani homines ſunt. Biformes primum reperiuntur apud Pindar. Pyth. 2, 85. Atque ita eos primus pinxit Zeuxis. Pugnas vero amabat illa gens, quibus exprimendis ſibi placebant artifices veteres. Sed inprimis memorabilis pugna eorum cum Lapithis, alio Theſſaliae populo, Centauris vicino, cuius mentio fit iam ab Homero Od. φ, 295. ſecundum quem Eurytion Centaurus ad Lapithas profectus in aedibus Pirithoi, poſtquam animus vino incaluerat, male ſe gerit, eamque ob cauſſam non modo e domo eiicitur, ſed auribus quoque naſoque priuatur, vnde magna contentio inter Centauros et Lapithas. Caeteri addunt in nuptiis Pirithoi hoc factum, vbi Centauri et ſponſam et alias feminas rapuerint. Cf. Plutarch. Theſ. cp. 30. Hygin. fab. 33. Schol. Hom. d. l. Valer. Fl. I, 142 ſqq. Serv. ad Virg. Aen. VII, 304. Luctat. ad Stat. Theb. II,

Arboribus tecto discumbere iusserat antro.
Haemonii proceres aderant; aderamus et ipsi:
Festaque confusa resonabat regia turba.
Ecce canunt Hymenaeon, et ignibus atria fumant:
Cinctaque adest virgo matrum, nurumque caterua,
Praesignis facie. Felicem dicimus illa
Coniuge Pirithoum: quod paene fefellimus omen.
Nam tibi, saeuorum saeuissime Centaurorum
Euryte, quam vino pectus, tam virgine visa
Ardet, et ebrietas geminata libidine regnat.
Protinus euersae turbant conuiuia mensae:

214 Medic. *resonabant atria*, vt V, 2. 216 Quidam, *matrumque virumque*. Medic. et vnus Heinf. etiam, *corona*. 217 Vnus Medic. *faciem*, quod valde placet Heinf. 218 Burm. mallet, *quam paene fefellimus omen!* et includere parentheſi. 219 Medic. *semiuirum saeuissime*. Heinſ. putabat aliquando, *semihominum*, vt vſ. 536. 220 Plurimi, *tam vino pectus, tam*. Et ſaepe transponi has partic. monet Burm.

563. Expreſſa res erat in ſcuto Herculis, v. Heſiod. vſ. 178 ſqq. et in lacunari templi Iouis Olympii. In medio erat Pirithous, iuxta eum Eurytion Pirithoi ſponſam rapiens, quam defendebat Caeneus; altera ex parte Theſeus ſecuri Centauros obtruncans. Centaurorum alii pueros rapiebant, alii virgines. v. Pauſan. Eliac. prior. p. 400. Memorantur a Vett. et alii huius pugnae auctores, ab Aeliano V. H. II, 2 Meliſandri Mileſii carmen epicum, a Plutarcho Hermodorus. Et credibile eſt, Ouidium ſecutum eſſe carmen graecum. Memorat 53 Centauros, 18 Lapithas, quorum nomina non ipſe finxit. Plura etiam ap. Graecos leguntur. Pro Lapithis pugnabant Theſeus, Peleus, Neſtor, quorum virtus in luce poſita eſt. *Hippodamen* Plutarch. Deidamiam vocat. Scribitur etiam *Hippodamia*. Fuit filia Adraſti.

212 Proceribus conuiuium in *atriis* ex more, Centauris in *antro*, regiae proximo, cuius introitus *arboribus tectus* (v. ad XI, 605.), paratum. Lenzius obſervat, ipſum *antrum* dici *regium*, in eoque fuiſſe et *atrium* et vſ. 246. *aedem*. Immo *antrum* hic diſerte diſtingui videtur a *regia*.

214 *Feſta*. v. ad III, 111. *confuſa turba*, ſtrepitu promiſcuo hominum loquentium, incedentium etc. *Haemonii proceres*, duces Lapitharum. *et ipſi*. Euocatum ſe ab illis Pylo, ipſe Neſtor narrat Homer. Il. α, 270. Etiam Theſea inuitatum eſſe ad illas nuptias, e Plutarch. d. l. apparet.

217 *Praeſignis*, inſignis, VII, 150. *felicem coniuge*. v. ad XI, 266. *fefellimus omen*, falſum diximus omen.

220 Solet fere haec pugna commemorari a poëtis, cum a vinolentiae turpitudine deterrent. Sic Homer. d. l. Virg. G. II, 455. Horat. I od. 18, 7. Sed apud Virg. Aen. VII, 304. Mars indigne ferens, ſe in Pirithoi ſacris ſolum eſſe praeteritum, furorem

Raptaturque comis per vim noua nupta prehensis.
Eurytus Hippodamen, alii, quam quisque probarant,
Aut poterant, rapiunt: captaeque erat vrbis imago.
Femineo clamore sonat domus. Ocius omnes
Surgimus, et primus, Quae te vecordia, Theseus,
Euryte, pulsat, ait; qui, me viuente, lacessas
Pirithoum, violesque duos ignarus in vno?
Neue ea magnanimus frustra memorauerit heros,
Submouet instantes, raptamque furentibus aufert.
Ille nihil contra: neque enim defendere verbis
Talia facta potest: sed vindicis ora proteruis
Insequitur manibus, generosaque pectora pulsat.
Forte fuit iuxta signis exstantibus asper
Antiquus crater: quem vastum vastior ipse
Sustulit Aegides, aduersaque misit in ora.
Sanguinis ille globos pariter, cerebrumque merumque
Vulnere et ore vomens, madidâ resupinus arena,

224 *probarant* emendauit Heinſ. Vulg. *probabat*. Multi, *probabant*. Arond. et vnus Patav. *probarat*. 236 Vulg. *ipso*. 239 Multi, *madidam arenam*, quod improbat Burm. quia *calcitrare* vix cum accuſatiuo ponitur. Eidem diſplicet *germana*, quod Heinſ. ex vno ſuo pro *germani* recepit, quia dubium ſenſum facit; poſſet enim etiam ſignificare veram caedem. Cum in vno Thuan. ſit, *germania*, id ſeparandum iudicat, *germani a* (propter) *caede*, idque praefert vulgatae.

Lapithis immiſit, quo illi cum Centauris congreſſi ſunt. *Eurytus* ab Homero, Pauſan. Diog. Laërt. VI, 59. atque etiam a Noſtro A. A. I, 593. *Eurytion* vr. Et Homero ἀγαπήνωρ dr. *regnat*, impellit eum ad facinora, vt I, 241.

228 *Pulſat*, impellit, inuadit. De *Pirithoi* et *Theſei* inſigni amicitia v. ad VIII, 303. et Plutarch. Theſ. cp. 30. *duos in vno*. v. ad XI, 388.

230 *Magnanimus* non eſt generoſo animo praeditus, ſed fortis, vt μεγάθυμος.

234 *Inſequitur ora*, continuo inuolat manibus in os.

235 *Cratere* inſtar teli etiam Perſeus V, 82. vtitur. Ap. Virg. G. d. l. Hylaeus Centaurus *magno cratere* Lapithis minatur. *ſignis exſtantibus aſpera*, figuris eminentibus caelata, anaglypha. Namque *aſperum* et τραχὺ opp. *laeui*. Claud. VIII, 585. *aſperat Indus Velamenta lapis*. Praeiuerat his Virg. IX, 264. vbi *aſpera ſignis pocula*, vbi etiam *antiquus crater*, antiquo opere, adeoque maioris pretii. Frequenter ab antiquitate huiusmodi opera laudantur Infra XIII, 700. *antiquo ſignis fulgentibus aere — crater aſper*. Cf. et V, 81. Valer. Flac. I, 142. *Crateres menſaeque*

Calcitrat. Ardeſcunt germani caede bimembres,
Certatimque omnes vno ore, Arma, arma, loquuntur.
Vina dabant animos: et prima pocula pugna
Miſſa volant, fragilesque cadi, curuique lebetes;
Res epulis quondam, tum bello et caedibus, aptae.
Primus Ophionides Amycus penetralia donis
Haud timuit ſpoliare ſuis; et primus ab aede
Lampadibus denſum rapuit funale coruſcis:
Elatumque alte, veluti qui candida tauri
Rumpere ſacrifica molitur colla ſecuri,

243 Vnus Med. c. *turbique*, vnde Heinſ. coni. *curtique*, vel *fulvique*, vt Heroidd. III, 31. *Fuluos operoſo ex aere lebetas.*

volant, araeque Deorum, Poculaque inſignis veterum labor. — quem vaſtum vaſtior. v. ad III, 60.

240 *Calcitrare* de trementibus morientium membris, vt *trepidare* V, 40. VI, 560. et *pulſare* IV, 133. *bimembres*, bicorpores, alibi *biformes*, et *gemini*, Centauri ob duplicem equi et hominis formam. *germana caede*, caede germani, vt paullo ante vſ. 111. *populari caede*, caede popularium. Vid. tamen Varr. lect. *loquuntur* de magno et promiſcuo clamore Exſpectaſſes forte, *fremunt*. — Haec igitur caedes ſignum veluti fuit pugnae, quam Noſter ad imitationem Homeri et Virgilii, v. c. Aen. XII, 277 ſqq. copioſiſſime perſequitur, quamquam iam ſupra V fab. I. tumultuariam pugnam deſcripſerat. Tanto magis admirari licet ingenii Ouidiani copias, quae multis illis caedibus deſcribendis nondum exhauſtae erant. Etenim hic quoque aliis quisque armis, aliis vulneribus moritur. V. ad V, 1. Nonnulli eorum, qui hic commemorantur, interfuerunt venationi apri Calydonii.

244 *Quondam*, antea. *aptae*, inſeruientes. Horat. I od. 27, 1. *Natis in vſum laetitiae ſcyphis Pugnare Thracum eſt.*

246 *Haud timuit*, haud reueritus eſt, religioni ſibi non duxit, ſacrilegium committere. *Dona* pr. quae in templis et penetralibus Diis ſuſpenduntur et conſecrantur. *ab aede*, a penetralibus Diis Penatibus conſecratis. *Funale* nunc non eſt, vt alibi, funis cera oblitus ſ. fax, ſed, vt Farnab. monuit, lychnuchus de laqueari dependens et lampadibus ſtellatus. Iſidor. XX, 10. *Funalia ſunt candelabra, exſtantes ſtimulos habentia, quibus funiculi cera vel huiusmodi alimento luminis obliti gebantur.*

249 *Moliri* de omni quidem conatu, ſed h. l. forte cum reſpectu virium intenſarum, magno molimine rumpere tentat, vt eſt vſ. 357. Breuius Virg. G. IV, 331. *in vites moliri bipennem.* Mox recte *conſeſ*, quia os iam non agnoſcendum. Sic V, 58. *fractis confudit in oſſibus ora.* H. l. plenius, *confuſa reliquit.* Seneca Troad. vſ. 1112. *Ora et illas nobiles patris notas Confudit imam pondus ad terram datum* de Aſtyanacte.

Illiſit fronti Lapithae Celadontis, et oſſa
Non agnoſcendo confuſa reliquit in ore.
Exſiluere oculi, disiectisque oſſibus oris,
Acta retro naris, medioque infixa palato eſt.
Hunc pede conuulſo menſae Pellaeus acernae
Strauit humi Belates, disiecto in pectora mento:
Cumque atro miſtos ſputantem ſanguine dentes,
Vulnere Tartareas geminato mittit ad vmbras.
Proximus vt ſteterat, ſpectans altaria vultu
Fumida terribili, Cur non, ait, vtimur iſtis?
Cumque ſuis Gryneus immanem ſuſtulit aram
Ignibus, et medium Lapitharum iecit in agmen,
Depreſſitque duos Brotean et Orion. Orio
Mater erat Mycale, quam deduxiſſe canendo

251 Heinſ. putabat, *contuſa*. Ibid. Permulti, *non cognoſcendo*. Male; nam *agnoſcere* eſt, videre, aliquem eſſe eundem, quem antea videramus. Saepiſſime tamen et fere ſemper haec duo confuſa. 252 Vulg. *exſiliere*. 253 Gronov. pr. *affixa*. Vulg. *fixa*. 255 *deiecto* reuocauit Mitſcherl. 256 *ſputantem* de ſuo dedit Heinſ. Mſſ. omnes *ſpumantem*. 262 Vulg. *Oppreſſitque*. Mox Heinſ. malit *Oreon* cum vno ſuorum.

254 Dubitat Glarean. quorſum *hunc* referendum ſit. Sine cauſſa. *Hunc* Amycum. Mox plus eſt *disiecto*, quam Vulg. *deiecto;* illud enim indicat, lacerarum mentum in pectus deiectum. Sic et vſ. 366. *Cumque atro* etc. e Virg. V, 469. *craſſumque cruorem Ore eiectantem, mixtosque in ſanguine dentes.* Sed et *ſputare, deſputare, exſpuere* vſitata in hac re. v. Heinſ. ad h. l. et Brouckh. ad Propert. IV, 5, 67. Etiam Homer. Il. ψ, 696. αἷμα παχὺ πτύοντα. *Geminato* ictu opus erat, quia ille non niſi pede menſae vtebatur.

258 Congrua talia arma immanibus pugnantium corporibus, de quibus ad vſ. 352. *Vt*, vtpote qui. Cauſſam reddit, cur Gryneus ara vſus ſit. Cauſſa autem ſolet a Latinis facto praeponi.

262 *Depreſſit*, vt alibi *deiecit*, ad terram dedit interfectos. *quam deduxiſſe* etc. quam conſtabat magam, veneficam fuiſſe. v. ad IV, 332. Senec. Herc. Oet. 525. ſine dubio ex hoc noſtro loco: *Hoc docta Mycale Theſſalas docuit nuras, Vnam inter omnes Luna quam ſequitur magam. — canendo*, incantando, vt *carmina*, incantationes. *cornua Lunae* mera periphraſis Lunae, quae non niſi tempore defectus deduci credebatur, quo tempore non corniculata apparet, ſed plena. Magis igitur mihi placet Vulg. lectio, *reluctantis;* nam Heinſ. qui alteram trium Mſſ. auctoritate recepit, Datiuum in hac forma loquendi nimis affectaſſe videtur. Lenzius praefert *reluctatae*. Pro *reluctari* verb. pr. in hac re *laborare*.

Saepe reluctanti conſtabat cornua Lunae.
Non impune feres, teli modo copia detur,
Dixerat Exadius: telique habet inſtar, in alta
Quae fuerant pinu, votiui cornua cerui.
Figitur huic duplici Gryneus in lumina ramo,
Eruiturque oculos: quorum pars cornibus haeret,
Pars fluit in barbam, concretaque ſanguine pendet.
Ecce rapit mediis flagrantem Rhoetus ab aris
Prunitium torrem, dextraque a parte Charaxi
Tempora perfringit fuluo protecta capillo.
Correpti rapida, veluti ſeges arida, flamma
Arſerunt crines; et vulnere ſanguis inuſtus
Terribilem ſtridore ſonum dedit: vt dare ferrum
Igne rubens plerumque ſolet, quod forcipe curua
Cum faber eduxit, lacubus demittit. At illud
Stridet, et in trepida ſubmerſum ſibilat vnda.
Saucius hirſutis auidum de crinibus ignem

264 Vulg. *reluctantis.* Plurimi, *reluctatae.* 268 Septem, *per lumina.* Totidem, *ſua lumina.* Si quid mutandum ſit, Heinſ. legat, *duo lumina.* Idem e Mſſ. dedit *huic* pro, *hinc.* 272 Vulg. *primitium.* 273 Vnus Leid. *perſtrinxit.* Sed *perſtringere* eſt leviter tantum fauciare. Plurimi, *perfregit.* 274 Palat. *correpti valida.* 277 Vnus Medic. *forcipe adunca.* 279 Vulg. *tepida.*

266 *Exadius* Lapitha etiam ap. Homer. et Heſiod. occurrit. Formulam *inſtar habere* amat Noſter cum aliis, cum quis aliqua re loco alterius, quae proprie in eum vſum deſtinata, vtitur. Sic A. A. III, 490. *Aetnaei fulminis inſtar habet. votiui*, ex voto oblati. Ex venatibus partes ſolebant Diis conſecrari et ſuſpendi vel ex arboribus, vel tholo et ad faſtigia. Virg. Aen. IX, 407 ſq. *huic*, ab hoc. *ramus*, cornu ramoſum.

272 Tali *torre* et Perſeus V, 57 vtitur. Sed *ara* nunc iam coniecta erat inter Lapithas vſ. 260. *Prunitium* a *pruno* noue dictum. *Dextra a parte tempora* nihil aliud, niſi dextra tempora, quemadmodum *a laeua parte lacerti* IX, 82. *protecta* pro ſimplici tecta, vt et mox vſ. 351 et 431.

275 *Vulnere inuſtus*, vſtus in vulnere. *ſtridore ſonum* e copia poët. pro, ſtridorem. *Vt dare ferrum* etc. Eadem ſimilitudo IX, 170. ſed h. l. cum aliquo additamento, et melius adhibita. Breuius Virg. Aen. XII, 300. quo loco et ipſo aliquis ambuſtum torrem ab ara rapit et alteri *occupat os flammis. Olli ingens barba reluxit, Nidoremque ambuſta dedit. trepida*, quae imitatur motum bullientis aquae, quia quod bullit *trepidare* videtur. Nota etiam, *ſibilare* hic de ſtridore ferri candentis vſurpatum.

Excutit: inque humeros limen tellure reuulſum
Tollit, onus plauſtri: quod ne permittat in hoſtem,
Ipſa facit grauitas. Socium quoque ſaxea moles
Oppreſſit ſpatio ſtantem propiore Cometen.
Gaudia nec retinet Rhoetus. Sic comprecor, inquit,
Caetera ſit fortis caſtrorum turba tuorum!
Semicremoque nouat repetitum ſtipite vulnus:
Terque, quaterque graui iuncturas verticis ictu
Rupit: et in liquido ſederunt oſſa cerebro.
Victor ad Euagrum, Corythumque, Dryantaque transit.)
E quibus vt prima tectus lanugine malas
Procubuit Corythus: Puero quae gloria fuſo
Parta tibi eſt? Euagros ait. Nec dicere Rhoetus
Plura finit: rutilasque ferox in aperta loquentis
Condidit ora viri, perque os in pectora, flammas.
Te quoque, ſaeue Drya, circum caput igne rotato
Inſequitur: ſed non in te quoque conſtitit idem
Exitus. Adſiduae ſucceſſu caedis ouantem,
Qua iuncta eſt humero ceruix, ſude figis obuſta.

281 Pro *limen* duo, *ſaxum*, vnus, *lignum.* 285 Heinſ. ſuadet aut *retinens*, aut, *ſicque o'precor.* Quidam *ſic ſic precor*, vt Virg. Aen. II, 660. 293 Vnus Baſ. *pacta tibi eſt*, quod non improbat Burm. ad XIII, 348. vbi comparat *deſponſatam laudem* ap. Cic. 294 Vnus Medic. *loquenti.* Tunc etiam *viro* legendum. 299 Plurimi, *abuſta.* Duo, *aduſta.* Duo, *acuta.*

281 *Excutere* nunc pulſando exſtinguere, cum alibi ſit quatiendo, verberando expellere atque abiicere. Vtraque vis ineſt etiam Germanico ausklopfen. *Limen*, mox *ſaxea moles. permittat*, immittat.

285 *Rhoetum* etiam Virg. habet. *Sic*, in perniciem ſociorum. Et optantis et imprecantis *ſic* eſt. *comprecor* pro ſimplici precor, vt X, 640. *caſtra*, partes, etiam vſ. 577. et V, 128. *Semicremus* nouum voc. pro *ſemicrematus*, dimidia ex parte crematus. *nouat repetitum* e copia poëtica, repetit vulnus. *nouare* aut *renouare* vulnus, pr. vulnus iam ſanatum reſcindere, h. l. nouum addere, repetere. *ſederunt oſſa.* v. ad III, 88.

290 *Dryas* etiam ab Homero nominatur, vbi eſt ποιμὴν λαῶν, et ab Heſiodo. Fortiter pugnat et hic. *Puero* etc. Cf. V, 65 ſq.

294. 5 Ingenio rurſus abutitur. Melius Virg. IX, 442. qui Noſtro praeiuit, *enſem fulmineum Rutuli clamantis in ore Condidit aduerſo.*

297 *Conſtitit*, idem aut ſimilis fuit ei, qui antea fuerat. A. A. I, 120. *Conſtitit in nulla, qui fuit ante, color.*

Ingemuit, duroque ſudem vix oſſe reuellit
Rhoetus, et ipſe ſuo madefactus ſanguine fugit.
Fugit et Ornëus, Lycabasque, et ſaucius armo
Dexteriore Medon, et cum Piſenore Thaumas:
Quique pedum nuper certamine vicerat omnes
Mermeros, accepto nunc vulnere tardius ibat:
Et Pholus, et Menaleus, et Abas praedator aprorum,
Quique ſuis fruſtra bellum diſſuaſerat augur
Aſtylos. Ille etiam metuenti vulnera Neſſo,
Ne fuge: ad Herculeos, inquit, ſeruaberis arcus.
At non Eurynomus, Lycidasque, et Areos, et Imbreus
Eſſingere necem: quos omnes dextra Dryantis
Perculit aduerſos. Aduerſum tu quoque, quamuis
Terga fugae dederis, vulnus, Crenaee, tuliſti.
Nam graue, reſpiciens, inter duo lumina ferrum,
Qua naris fronti committitur, accipis, imae.
In tanto fremitu ductis ſine fine iacebat
Sopitus vinis, et inexperrectus Aphidas:
Languentique manu carchefia mixta tenebat,

300 Quidam, *reuulſit*, quae varietas fere vbique occurrit. Sed v. Heinſ. ad Heroid. 6, 104. 308 Baſil. et Thyſ. *fugienti*, vt ſit repetitio ex more Ouidiano. 309 Multi. *ſeruaberis ictus.* 313 Olim edebatur, *Caenee.* 316 Recte Heinſ. correxit, *ductis — vinis* cum antea nullo ſenſu ederetur, *cunctis venis.* Baſ. pr. *cunctis curis.*

301 Apud Virg. G. II, 455. *Rhoetus* et *Pholus* interficiuntur, h. l. fugiunt; nam talia variare ſolent poëtae. *Armus* tribuitur Centauro, quia ex parte equus eſt *praedator*, venator. v. ad III, 225.

308 *Aſtylos* ab Heſiod. Scut. vſ. 185. vr. Ἀσβολος. Quia *augur*, propterea vaticinia quaedam eius commemoranda duxit poëta. Etiam V. 146. *augur* quidam pugnae intereſt. De *Neſſo* et *Herculeo arcu* vid. IX, 101—33.

312 ſqq. Haec ſententia forte fluxit e loco Caeſaris, qui militis cuiusdam vulnera *aduerſa* oſtentantis iactantiam hoc conſilio minuit, *Nunquam fugiens reſpexeris.* Quinctil. Inſt. VI, 3, 75. *committi* elegantius, quam coniungi, etiam vſ. 478. et IV, 369. et 576. *accipis*, vt *recipis*, vulneraris ferro.

316 ſqq. Varietatis cauſſa iucunde haec adſperſa. *In tanto fremitu* coniunge cum *ſopitus* et *inexperrectus*. *ducere*, haurire, bibere. v. Heinſ. *fine fine.* immodice. *Languere* drr. ebrii. Cic. Cat. 2, 5. *Vino languidi, confecti cibo.* De *carchefiis* v. ad VII, 247. *mixta*, in quibus vinum aqua temperatum. Hoc quoque ad mores ebrii pertinet, quod poculum manu adhuc tenebat. *Offaea*, qualis in Offa monte commoratur,

Fuſus in Offaeae villoſis pellibus vrſae.
Quem procul vt vidit fruſtra nulla arma mouentem,
Inſerit amento digitos, Miſcendaque, dixit,
Cum Styge vina bibas, Phorbas. Nec plura moratus
In iuuenem torſit iaculum, ferrataque collo
Fraxinus, vt caſu iacuit reſupinus, adacta eſt.
Mors caruit ſenſu, plenoque e gutture fluxit
Inque toros, inque ipſa niger carchefia ſanguis.
Vidi ego Petraeum, conantem euellere terra
Glandiferam quercum: quam dum complexibus am-
Et quatit huc illuc, labefactaque robora iactat, (bit,
Lancea Pirithoi, coſtis immiſſa Petraei,
Pectora cum duro luctantia robore fixit.
Pirithoi virtute Lycum cecidiſſe ferebant,

319 Oxon. et quinque alii *obſcaenae* pro *Offaeae*, quod, monente Heinſ. defendi poſſet ex Lucan. VII, 828. vbi *vrſae obſcaenae*, Stat. VI Theb. 863. *turpes vrſae.* Similiter ap. Noſtrum III Triſt. V, 35. 320 Quidam, *ſequentem*, vnde Heinſ. olim, *neutra arma ſequentem.* 325 Olim ed. *plenoque e gurgite*, quod Regius de ventre exponebat, propter magnitudinem ſic dicto. 326 Baſ. *Inque ſinus.* 327 Plurimi, *tollere terra.* 329 Plurimi, *robora pulſat.* Iunian. et 2 Moreti, *verſat.* 330 Heinſ. coni. *Petraeis*, vt ap. Virg. *cineri Sicheo* et *Lenaeus honor*, quia ingratus concurſus ille *Pirithoi*, *Petraei.* 331 Francf. *fixit luctantia ligno*, quod placet Burm. quia praeceſſit *robora.*

ornatus cauſſa additum. Laudat Heinſ. *Offaeas lynces* e Stat. Ach. V, 121. et *Samnitem vrſam* e Sil. IV, 560.

320 Non profuit ei, quod nulla arma mouebat. V, 91. *Expertem fruſtra belli, et neutra arma ſecutum. Miſcendaque* etc. Sarcaſmus in Aphidam, vt vſ. 285. in Cometen et V, 115. in Iapetiden. *Iaculum* hoc videtur lancea fuiſſe, quia *amento* armatum. Iſidor. 18, 7. *Lancea eſt haſta amentum habens in medio: dicta autem lancea, quia aequa lance, vt eſt aequali amento ponderata vibratur. — vt caſu iacuit*, vino enim ſopitus non ſe compoſuerat in pelle ſua.

325 Mortuus eſt ſine ſenſu doloris et mortis. *pleno*, quia multum ſanguinis inde profluebat. Per *toros* non arbitror lectum intelligi, vrſae pellem, in qua ille cubabat, ſed pulpas pectoris.

327 Etiam *Petraeus* eſt in iis, quos Heſiod. memorat. Ibi μέγας vr. De conatu euellendi quercum v. ad vſ. 352. *Complexibus ambit*, amplectitur, vt II, 433. *impedit amplexu. Iactat* vehementiorem hic motum indicat, quam *agitare*, quod, tamquam proprium, plerumque vere de ventis et hominibus arborem concutientibus vſurpatur, I, 303. VII, 586. Horat. I od. IX, 12. Verba *cum duro robore* coniunge cum *fixit*. Inſra vſ. 387. *Adfixa eſt cum fronte manus.* V, 125. *Dextra fixa eſt et ligno cohaeſi.*

Pirithoi cecidiſſe Chromin: ſed vterque minorem
Victori titulum, quam Dictys, Helopsque dederunt.
Fixus Helops iaculo, quod peruia tempora fecit,
Et miſſum a dextra laeuam penetrauit in aurem.
Dictys, ab ancipiti delapſus acumine montis,
Dum fugit inſtantem trepidans Ixione natum,
Decidit in praeceps, et pondere corporis ornum
Ingentem fregit, ſuaque induit ilia fractae.
Vltor adeſt Aphareus, ſaxumque e monte reuulſum
Mittere conatur. Conantem ſtipite querno
Occupat Aegides, cubitique ingentia frangit
Oſſa: nec vlterius dare corpus inutile leto
Aut vacat, aut curat: tergoque Bianoris alti
Inſilit, haud ſolito quemquam portare, niſi ipſum:
Oppoſuitque genu coſtis: prenſamque ſiniſtra
Caeſariem retinens, vultum, minitantiaque ora
Robore nodoſo, praeduraque tempora, fregit.
Robore Nedymnum, iaculatoremque Lycotan
Sternit, et immiſſa protectum pectora barba

333 Multi, *Chromum* vel *Chronum*. 339 Vnus Heinſ. *vlmum*. 340 Gronov. ad Senec. Herc. Fur. 1312. legit, *fracta*. 341 *Aphareus* e Florent. Neap. Vrbin. dedit Heinſ. Vulg. *Phereus*. Multi, *a monte*. Vnus, *qui monte*. 342 *Conantem* e tribus dedit Heinſ. Vulg. *mittentem*. Quatuor, *nitentem*, etiam non male. v. Heinſ. 343 Flor. et Med. vnus *cubito*, vt vſ. 294. *loquenti*. 345 Multi, *alto*. Mox tres, *foliti*. 348 Variant Mſſ. Genev. *comitantia ue ora*, vnde Heinſ. *comantiaque*. Decem, *minantiaque*, quod placet Burm. Vnus, *nutantiaque*. 350 Vulg. *Lycetum*. 351 Nouem, *immenſa protectum*.

334 *Minorem titulum* (ſ. gloriam) dederunt haud dubie, quia ignobiles. *a dextra* non coniunge cum *miſſum*, ne ita capias vt II, 311. ſed cum *penetrauit*.

337 *Ancipiti* Heinſ. ad Claudian. VIII, 293. explicat, praecipiti. Sed praeſtat haud dubie lectio multorum Mſſ. *ancipitis*, i. bicipitis. *Induit ilia fractae*, dum fractae partes penetrant in ilia.

343 *Occupat*, praeuertit, vt Faſt. I, 575. *Occupat Alcides*. *inutile*, ſcil. armis, quod interdum additur. Heroidd. I, 105. *qui ſit inutilis armis*. Faſt. III, 173 *Deus vtilis armis*.

345 *Tergoque — ipſum*. Frigidus iocus. Pars equina Centauri portabat humanam. *oppoſuit*, preſſit genubus coſtas, quo fortius haereret. *retinens*, retractam tenens. *Minantia* aut *minacia ora* tribui ſolent fortibus bellatoribus. Horat. II od. 7, 11.

Hippaſon, et ſummis exſtantem Riphea ſiluis,
Tereaque, Haemoniis qui prenſos montibus vrſos
Ferre domum vinos, indignantesque ſolebat.
Haud tulit vtentem pugnae ſucceſſibus vltra
Theſea Demoleon: ſolidoque repellere dumo
Annoſam pinum magno molimine tentat.
Quod quia non potuit, praefractam miſit in hoſtem.
Sed procul a telo Theſeus veniente receſſit
Pallados admonitu; (credi ſic ipſe volebat)
Non tamen arbor iners cecidit: nam Crantoris alti
Abſcidit iugulo pectusque, humerumque ſiniſtrum.
Armiger ille tui fuerat genitoris, Achille,
Quem Dolopum rector, bello ſuperatus, Amyntor
Aeacidae dederat pacis pignusque, fidemque.
Hunc procul vt foedo disiectum vulnere Peleus

356 Flor. S. Marc. *diuellere dumo*. 358 Multi, *Quam quia*. 362 Multi, *iugulum*. 363 Quidam *Achilles*; ſed praeferunt poetae alteram formam.

352 Heroës et Centauri tam immani robore, quam inſigni magnitudine excellebant. Roboris ſigna habes vſ. 281. 327. 341. 432. Nunc magnitudinem, quam iam vſ. 343. *ingentia oſſa* declarauerant, deſinit. Homerus, vnde pendent caeteri, priſcae aetatis homines comparat vel cum montibus, vt Polyphemum, Od. ι, 191 vel cum arboribus, Il. ε, 560. Ornate huiusmodi monſtra deſcribuntur a Virg. Aen. IX, 675 ſqq. Hinc *altus Brianor* intelligendus vſ. 345. et *immania membra* vſ. 501. *Prehendi* drr. ferae vagantes, cum viuae capiuntur. Sic *prenſi boues* Virg. G. I, 285.

356 *Dumo* dictum, volunt pro *dumeto*. Sed quid eſt *ſolidum dumetum?* et num recte dr. pinum *reuellere dumeto?* Mſſ. valde variant. Forte praeſtat cum Cantabr. Gronov. et Regio tert. legere, *ſolidaque reuellere terra*, aut cum vno, *fundoque euellere ab imo*. Radicitus eam euellere tentabat; quod quia non potuit, praefractam miſit. Sic vſ. 327. *euellere terra Glandiferam quercum*. Mitſch. dedit, *reuellere trunco*.

359 *Venire* et *ire* de volatu telorum. Heroum praeſtantiſſimis numen aliquod adeſſe ſolebat in proeliis, quod aut tela miſſa ab iis repellebat, vt V, 46. Pallas a Perſeo, aut ipſos admonebat. Et *Palladi* tribuebantur, quae quis prudenter fecerat. *iners*, ſine fructu.

363 De hac apoſtropha v. ad vſ. 191. *Armiger* regius etiam V, 148. proelio intereſt. Ab *Amyntore*, Phoenicis patre, VIII, 367. Achilles educatus. Il. ι, 447. *Dolopum*. Etiam Phoenix ap. Hom. vſ. 480. *incolebam extremam Phthiae oram*, Δολόπεσσιν ἀνάσσων. Saepe accenſebantur Myrmidonibus, quibus Achilles imperabat. Virg. Aen. II, 7.

Vidit, At inferias, iuuenum gratiſſime Crantor,
Accipe, ait: validoque in Demoleonta lacerto
Fraxineam miſit, mentis quoque viribus, haſtam:
Quae laterum cratem perrumpit, et oſſibus haerens
Intremuit. Trahit ille manu ſine cuſpide lignum:
Id quoque vix ſequitur: cuſpis pulmone retenta eſt.
Ipſe dolor vires animo dabat: aeger in hoſtem
Erigitur, pedibusque virum proculcat equinis.
Excipit ille ictus galea clypeoque ſonantes,
Defenſatque humeros, praetentaque ſuſtinet arma:
Perque armos vno duo pectora perforat ictu.
Ante tamen leto dederat Phlegraeon, et Hylen,

367 Vnus Heinſ. *fidiſſime.* Alii, *ſonante* aut *ſonanti.* 374 Multi, *conculcat.* 375

29. Alii de Amyntoris regno aliter Strabo IX, p. 670. Rarior ſignificatio, qua hic *fides* occurrit, decepit non modo librarios, ſed ipſum etiam Heinſ. vt praeferrent *fideque*, i. *fideique*. Sed recte obſeruauit Burm. *fidem* nunc eſſe ſignum et documentum, quod ſpondeat quaſi de futuro, et certam ſpem faciat, vt apud Flor. I, 2. *Ancilia atque Palladium, ſecreta quaedam imperii pignora, Iammque geminum, fidem pacis ac belli foedus, foedare* et *αἰσχύνειν* de mutilatis corporibus ſolet adhiberi.

367 *At.* v. ad VIII, 279. *inferias accipe.* v. ad XI, 381. *fraxineam* V. ad V, 9. *Mens*, ira, furor. V, 13. Ira vim auget lacertorum Silius II, 123. Asbyte poſt caedem Harpes *totis annixa doloris Viribus intorquet* haſtam. Cf. V, 32. Heinſ. putat, ſcripſiſſe poëtam, *contentis viribus. Contendere* enim *vires* eſſe, omnes vires ſimul intendere, et vnum Baſil. habere *intenſis viribus*. Poſſe tamen et *magnis cum viribus* legi, cum *magnis* multi tueantur Mſſ. et paſſim occurrat, *totis, ſummis, magnis viribus* haſtam mittere. Burm. legit, *gentis quoque* (vel *cum*) *viribus*, gentis nimirum Aeacidarum. *haerens intremuit* et *vix ſequitur* bene declarant corporis Demoleontis molem. *laterum crates* vt *pectoris* et *coſtarum crates* Virg. Aen. XII, 508. Prudent. Periſteph. XI, 57.

373 *Animus*, θυμός, ira. Dolor iram excitabat et augebat. v. vſ. 532. Poſſis tamen et *animum* de fortitudine capere. *aeger*, male ſe habens ex vulnere. vid. Burm. Lenzius iratum, irritatum interpretatur. *erigitur* ſublatis pedibus anterioribus. Nouum pugnae genus. *proculcat*, proculcare conatur. *ictus* pedum equinorum, *ſonantes*, cum ſonitu incidentes. *Excipere clypeo* tela aut ictus, clypeum opponere telis. *Defenſare* etiam XI, 373. et apud optimos auctores occurrit. v. Drakenb. ad Silium I, 507. *ſuſtinet*, tenet praetenta, praetendit. *duo pectora*, duplex pectus Centauri, humanum et equinum. Nam in pectore coibat forma humana et equina. Similiter ap. Claudian. 37, 82. in caede Pelo-

Eminus, Hiphinoum collato Marte, Claninque.
Additur his Dorylas, qui tempora tecta gerebat
Pelle lupi, ſaeuique vicem praeſtantia teli
Cornua vara boum multo rubefacta cruore.
Huic ego (nam vires animus dabat) Adſpice, dixi,
Quantum concedant noſtro tua cornua ferro:
Et iaculum torſi: quod cum vitare nequiret,
Oppoſuit dextram paſſurae vulnera fronti.
Adfixa eſt cum fronte manus: fit clamor, ad illum
Haerentem Peleus, et acerbo vulnere victum
(Stabat enim propior) mediam ferit enſe ſub aluum.
Proſiluit, terraque ferox ſua viſcera traxit,
Tractaque calcauit, calcataque rupit, et illis
Crura quoque impediit, et inani concidit aluo.
Nec te pugnantem tua, Cyllare, forma redemit,

382 Olim edeb. *cornua dura.* Multi, *curua.* Flor. et vnus Argent. *rara.* Genev. *caua.* Inde Heinſ. de ſuo, *vara.* 387 Heinſ. putat, *Adfixa cum fronte manu ſit clamor.* 391 Putean. alter *et extis.*

ri, cui pro pedibus duo angues, Mars *vno ternas animas inſitit ictu*. Lenzius vero h. l. accipit de pectore dextro et ſiniſtro.

379 *collato Marte*, confertis armis, cominus pugnans cum hoſte. Clanis memoratur etiam a Valer. Fl. 146. E *pellibus luporum*, taurorum, canum etc. fieri olim ſolebant galeae. *vara*, introrſum curuata, lunata. v. Heinſ. ad Amorr. III, 24. *cruore* eorum, quos iam interfecerat.

383 *Vires animus dabat* modeſte praemiſſum a Neſtore. *concedant*, cedant, inferiora ſint. *adfixa eſt.* Simile quid V, 124.

390—92 Foeda rurſus res lectoribus ante oculos pingitur, vt vſ. 269 ſ. Sed bellicoſis Romanis talia nauſeam non feciſſe videntur foeditate ſua. Itaque etiam in Virg. ſimilia loca reperiuntur.

393 — 428 Locus pulcher et commode inſertus. Ita enim aliquamdiu interrumpitur caedium deſcriptio, commiſeratio mouetur, et Centaurorum tam forma quam amor ſtudiumque placendi cognoſcitur. Etiam V, 47 ſqq. pulcher iuuenis in proelio, quicum vna moritur amicus. *forma*, pulchritudo. *Redemit*, liberauit a morte. Eleganter *redimere* nos drr. ea, quae faciunt, vt malum aliquod a nobis auertatur. Mox coniunge *naturae illi*, ſcil. bimembri, Centauris. *Natura* ponitur pro re aut homine, cui certa eſt natura, etiam a Cic. aliisque. Male igitur Heinſ. coniungebat, *naturae formam*, et ſuadebat *illis*, ſcil. Centauris. A Silio III, 41. vrr. *genus deforme. Barba incipiens*, prima lanugo. Sic *amor incipiens*, *nox incipiens* apud Noſtrum. *aureus*. v. ad II, 319. *deſcendebat* melius quam, dependebat. Laudat Burm. e Petron. 18. *deſcendentes ab aure*

Si modo naturae formam concedimus illi.
Barba erat incipiens: barbae color aureus: aurea
Ex humeris medios coma deſcendebat in armos.
Gratus in ore vigor: ceruix, humerique, manusque
Pectoraque artificum laudatis proxima ſignis,
Et qua parte viri eſt. Nec equi mendoſa ſub illa
Deteriorque viro facies. Da colla, caputque;
Caſtore dignus erit. Sic tergum ſeſſile, ſic ſtant
Pectora cella toris: totus pice nigrior atra:
Candida cauda tamen: color eſt quoque cruribus albus,
Multae illum petiere ſua de gente; ſed vna
Abſtulit Hylonome: qua nulla decentior inter
Semiferos altis habitauit femina ſiluis.
Haec et blanditiis, et amando, et amare fatendo
Cyllaron vna tenet. Cultus quoque quantus in illis

396 *Deſcendebat* pro *dependebat* e Stroz. et Moreti Codd. recepit Burm. 397 Sex, *in ore nitor.* Medic. *decor.* Alius, *rubor.* Vnus, *color.* 401 Multi, *dignus erat.* Heinſ. coni. *eat.* 403 Tres, *crinibus albus*, non improbante Burm. vt *cauda* et iuba alba fuerit. At Centauri non habebant iubam. 407 Multi, *et blanditiis et amans.*

capillos. *proxima*, ſcil. dignitate. v. Heynii Obſeruatt. in Tibull. p. 161. *laudatis*, quae omnium puncta tulerunt. Cum ſignis et picturis praeſtantiſſimorum artificum comparari ſolent pulcherrima corpora. Cf. X, 516. Ceruix, humeri, manus, *et quacunque parte viri eſt*, ſcil. ſpecies. Facilior eſt lect. vulg. *Et quacunque vir eſt.* *Da ei caput* equi, erit equus ille dignus *Caſtore*, ἱππόδαμῳ, qui gaudet equis, et cui *Cyllarus* equus a Iunone datus. v. Suidas in h. v. Sic eleganter in epiphonemate cum exclamatione aut admiratione rationem reddit, vt alibi *ita* (Cic. Att. VII, 2.) et *adeo.* Idem Off. I, 11. *ſeſſile* nunc paſſiue, in quo ſedetur commode, nouatum ab Ouid. videtur. *ſtare* de carnoſis et eminentibus membris. XIV, 283. *colla tumere toris.* De *pectore toroſo* v. ad II, 854.

404 *Petere*, ambire alterius connubium. v. ad IX, 11. Modeſtius Burmanno videtur, quod in vno Heinſii eſt, *cupiere*, vt III, 353. *Multi illum iuuenes, multae cupiere puellae*, quamquam et ibi Vulg. *petiere.* Sed nihil h. l. mutandum. Certe Hylonome *amare fatendo* illum petiit. *Abſtulit* dictum vt *auferre praemium*, *praedam* etc. Mox Vulg. *decentior*, vt paſſim *decentes puellae* et *decor* puellarum. Sed Burm. e quinque Mſſ. praetulit *nitentior*, quia *nitor* et puellis conuenit, (v. ad XI, 271.) et pecoribus bene habitis. v. ad IX, 47. *altis ſiluis*, quia ſiluae illae in altis montibus, vt I, 568. *praerupta ſilua.* Amorr. I, 1, 9. *ſiluae iugoſae.* Siluis dantur epitheta montium, vt mox vſ. 412. *vertex ſiluae*, et Horat. II Sat. 6, 91. *dorſum nemoris.* Virg. Aen. VI, 256. *iuga ſiluarum.*

Eſſe poteſt membris: vt ſit coma pectine leuis:
Vt modo rore maris, modo ſe violaue, roſaue
Implicet: interdum canentia lilia geſtet:
Bisque die lapſis Pagaſaeae vertice ſiluae
Fontibus ora lauet, bis flumine corpora tingat.
Nec, niſi quae deceant, electarumque ferarum
Aut humero, aut latere praetendat vellera laeuo.
Par amor eſt illis: errant in montibus vna:
Antra ſimul ſubeunt: et tum Lapitheia tecta
Intrarant pariter, pariter fera bella gerebant.
Auctor in incerto eſt: iaculum de parte ſiniſtra
Venit, et inferius, quam collo pectora ſubſunt,
Cyllare, te fixit. Paruo cor vulnere laeſum
Corpore cum toto poſt tela educta refixit.
Protinus Hylonome morientes excipit artus,
Impoſitaque manu vulnus fouet, oraque ad ora
Admouet, atque animae fugienti obſiſtere tentat.
Vt videt exſtinctum, dictis, quae clamor ad aures
Arcuit ire meas, telo, quod inhaeſerat illi,
Incubuit: moriensque ſuum complexa maritum eſt.
Ante oculos ſtat et ille meos, qui ſena leonum
Vinxerat inter ſe connexis vellera nodis,

420 Vulg. *qua collo.* 423 Leid. Sprot. et Argent. *ſuſcipit.* Mox vnus Heinſ. *ſuppoſitaque*, vt Heroid. XI, 39. 429 Vulg. *ſaeua.* 430 Flor. Cronov. pr. et alii, *collectis*, quod impenſe placet Heinſ. non item Burm. qui monet, *colligi* recte crines et alia

407 Etiam ſeminas Centaurorum biformes Zeuxis pinxit. Noſter Hylonomes non formam deſcripſit, quam modo in Cyllaro notauit, ſed cultum et placendi curam. Si *amando* interpretaris, durch ihre Careſſen, non eſt, cur cum Heinſ. emendes, *Haec et blanditias adhibendo, et amare fatendo.* *Tenere* verb. pr. in hac re. Quinctil. Decl. 367. *mulieris illecebris teneri.*

409 Deeſt, Curat, *vt ſit* etc. *Coma ſe implicat* floribus pro vulg. flores innexi ſunt comae. De *Pagaſis* v. ad VII, 1.

419 *Auctor*, qui mittit iaculum, vt ſupra Lib. VIII, 349.

423 Dicta haec ex more Rom. qui amicos morientes amplecti ſolebant atque oſculari, vt extremum eorum halitum ſibi exciperet liceret. Anima per os exire credebatur, eamque in primo ore tenere morientes dicebantur. Cf. X, 186 ſqq. vbi eaedem curae, idem officium.

429 *Sena* conuenit magnitudini Centauri. Nodi drr. *connecti*, et cum ſoluuntur, *diduci* II, 560.

Phaeocomes, hominemque ſimul protectus equumque.
Codice qui miſſo, quem vix iuga bina mouerent
Iuncta, Phonoleniden a ſummo vertice fregit.
Fracta volubilitas capitis latiſſima: perque os,
Perque cauas nares, oculosque, auresque cerebrum
Molle fluit, veluti concretum vimine querno
Lac ſolet: vtue liquor rari ſub pondere cribri
Manat, et exprimitur per denſa foramina ſpiſſus.
Aſt ego, dum parat hunc armis nudare iacentem,

dici, vt nodo cohibeantur, non autem nodos ipſos. Pro *nodis* multi, *loris*. Heinſ. malit, *codis*, i. caudis. 432 Pro *codice* multi, *ſtipite*, *cortice* aut *robore*. 433 Heinſ. metuit, ne *Phonoleniden* corruptum ſit; nam in Mſſ. mera hic lectionum monſtra apparent. 438 Pro *manat* vnus Baſ. *ſtillat*. Pro *ſpiſſus* vulg. *ſuccus*. Stroz. liber etiam, *per crebra foramina*.

433 *a vertice*, deſuper, vt Virg. G. II, 310. *volubilitas capitis*, volubile, idque propter magnitudinem Phonolenidae *latiſſimum*, aut *latiſſima* pro latiſſime, vulnus latiſſimum factum. Lenzius fratris ſui interpretationem probat; fregit caput, vt fieret planiſſimum.

436 Res illa foeda poterat ſine ſimilitudine tranſmitti. *concretum lac*, XIII, 796, *coactum lac*, coagulum, lac denſatum, vnde caſei premebantur. *Vimen*, qualus vimineus ſ. calathus, in ſupelleƈtile erat ruſtica. Virg. G. II, 241. *Tu ſpiſſo vimine quales, colaque praetorum fumoſis deripe tecƈis*. Sed me offendit *querno*, quandoquidem querna virgulta vix apta ſunt calathis texendis. Mſſ. tamen nihil nos adiuvant; omnes enim conſpirant in h. v. praeter vnum Vrbin. qui *teſto* habet, quod e *texto* ortum credebat Heinſ. Sane nihil frequentius *texto vimine*, vid. Heinſ. ad IV Faſt. 435. Sed etiam ſeqq. mendoſa haud dubie ſunt. *Liquor* ita nude poſitum non videtur a poëta pro vino aut ſucco oliuarum. Neque ille liquor *ſub pondere cribri* manat, ſed ſub pondere praeli. Tollit iſtas difficultates lectio, quam Mſſ. Vrbin. Baſil. pr. et alter Thuan. ſuppeditant, *liquor vini ſub pondere praeli*, quamquam hic potius de oleo agi videtur, quod et ſpiſſius et melius cum cerebro comparari poteſt. Tres alii, *ſub pondere cibi*, cuius alterum illud *praeli* gloſſema eſſe putat Heinſ. deceptus auƈtoritate Schol. Mſ. ad Virgil. G. d. l. vbi *colum* explicatur per inſtrumentum, quo vinum premitur. Imo cola ſupponi ſolebant praelis, vt muſtum aut oleum in iis exceptum liquaretur. Lucret. II, 391. *Et quamvis ſubito per colum vina videmus Perfluere, at contra tardum cunctatur oliuum*. Forte verba tranſpoſita ſunt, ita vt vſ 436. *vimine cribri* et vſ. ſeq. *ſub pondere querno* legendum ſit. Lenzius ſuadet: *vimine ſpiſſo — pondere querno — foramina cribri*.

439 *Nudare armis* pro, *ſpoliare*, quod ſollemne in hac re. Atque id ipſum h. l. reſtitutum e ſeptem Mſſ. malit Heinſ. quia ſeq. *ſpoliantis*, vt ſit familiaris illa Ouidio repetitio. Sed cum *nudare* interdum ponatur pro ſpoliare, neque Ouid. vbique affectet illam repetitionem, tueamur lect. vulg. Tela in corpus drr. *demitti* et *deſcendere*. Mitſch. tamen cum pluribus Mſſ. *dimiſi* maluit; etiam vſ. 491.

444—48 Talia iucundam reddunt narrationem, inprimis ſi interponuntur longiori caedium enumerationi, atque imitantur ſermones quotidianos. Simile Neſtoris votum ap. Homer. Il. ν, 132 ſqq. vbi Hector prouocauerat aliquem Graecorum. — *nullus*, nondum. *me mea deficit aetas*, vires me deficiunt, deſerunt fractae ſenectute.

(Scit tuus hoc genitor) gladium ſpoliantis in ima
Ilia demiſi. Chthonius quoque, Teleboasque
Enſe iacent noſtro. Ramum prior ille bifurcum
Geſſerat; hic iaculum: iaculo mihi vulnera fecit:
Signa vides: apparet adhuc vetus inde cicatrix.
Tunc ego debueram capienda ad Pergama mitti:
Tunc poteram magni, ſi non ſuperare, morari
Hectoris arma meis. Illo ſed tempore nullus,
Aut puer Hector erat: nunc me mea deficit aetas.
Quid tibi victorem gemini Periphanta Pyreti;
Ampyca quid referam? qui quadrupedantis Oecli
Fixit in aduerſo cornum ſine cuſpide vultu.
Vecte Pelethronium Macareus in pectus adacto
Strauit Erygdupum. Memini et venabula condi
Inguine, Neſſeis manibus coniecta, Cymeli.
Nec tu crediderис tantum ceciniſſe futura
Ampyciden Mopſum. Mopſo iaculante biformis
Occubuit, fruſtraque loqui tentauit Odites,
Ad mentum lingua, mentoque ad guttura fixo.
Quinque neci Caeneus dederat, Stiphelumque, Bromumque,

442 Fragm. Boxh. *ramum bicontum*, quod an a librario potuerit proficiſci, neſcit Burm. Genev. *bicornum*. Nonnulli, *biſulcum*. 447 Gronov. *arma trucis*. 448 Permulti, *deſerit aetas*.

449 *Gemini*. v. ad II, 555. *cornum*. VII, 678. *Pelethronium*, ſaltus in Pelio, Theſſaliae monte. Inde Lapithae *Pelethronii* dicti. Virg. G. III, 115. *Frena Pelethronii Lapithae gyrosque dedere*. Sed Plin. VII, 57. p. 416. id nomen, vt proprium, vſurpat. *Frenos et ſtrata equorum Pelethronius inuenit*. Sic et Hygin. f. 274. *Condi* et *recondi* arma drr. tam cum deponuntur, quam cum corpus penetrant.

455 Non vates ſolum Mopſus, ſed etiam bellator ſtrenuus. *Ampycides Mopſus* etiam ap. Heſiod. d. l. legitur. Fuit Apollinis ſacerdos et vates, atque etiam ve-

Antimachumque, Helimumque, ſecuriferumque Pyracmon.
Vulnera non memini: numerum, nomenque notaui.
Pronolat Emathii ſpoliis armatus Haleſi,
Quem dederat leto, membrisque et corpore Latreus
Maximus. Huic aetas inter iuuenemque, ſenemque,
Vis iuuenilis erat: variabant tempora cani.
Qui clypeo, galeaque, Macedoniaque ſariſſa
Conſpicuus, faciemque obuerſus in agmen vtrumque,
Armaque concuſſit, certumque equitauit in orbem:
Verbaque tot fudit vacuas animoſus in auras:
Et te, Caeni, feram? nam tu mihi femina ſemper,
Tu mihi Caenis eris: nec te natalis origo
Comminuit? mentemque ſubit, quo praemia facto,
Quaque viri falſam ſpeciem mercede pararis?
Vel quid nata vide, vel quid ſis paſſa; columque,
I, cape cum calathis, et ſtamina pollice torque:

462 Vnus Baſil. *ſpoliis ornatus*, eleganter, iudice Burm. 469 Heinſ. *in aures* ſcribendum temere cenſebat. 472 Olim edeb. *commouit*. Multi, *commouit*. Tredecim, *comminuit*. Moreti ſec. *mentemue*, vnde Heinſ. coni. *mentemne*.

nationi Calydonii apri interfuit. VIII, 316. 350. *biformis*. Cic. Tuſc. II, 8. *biformato impetu Centaurus*. Sequitur pars fabulae ea, cuius cauſſa omnis haec narratio inſtituta.

464 *Media aetas* dr. quae inter iuuenilem et ſenilem eſt. Cic. Sen. 20. *conſtans aetas, quae media dicitur*. Phaedr. II, 2, 3. *medii anni* Martial. X, 32. et *ſenior* qui ea aetate eſt. v. Iſidor. XI, 2. Etiam infra XV, 210. *Maturus mitisque inter iuuenemque ſenemque*. Romani non niſi tres faciebant aetates, *pueritiam, iuventutem, ſenectutem. variabant*, quia nigris adſperſi cani.

466 *Sariſſa* haſta longior Macedonum. v. Heinſ. et Burm. *conſpicuus*, inſignis prae reliquis, qui in hac tumultuaria pugna illis armis carebant. *concuſſit*. V. ad I, 143. *equitare* ingenioſe de Centauro currente. *certum in orbem*, vt fieri ſolet in palaeſtra equeſtri, v. VI, 225. Atque ita flectere equum docuerunt Centauri. Virg. G. III, 115. Nam quamquam ibi Lapithae commemorantur, tamen ibi Centauros intelligendos eſſe, qui erant e genere Lapitharum, Cerda docet. Etiam *gyrus* de equitatione vſitatum. v. Heynii Obſ. ad Tibul. IV, 1, 94. et Brouckh. ad vſ. 207. *vacuas* ornat, vt *inanes, aëriae* aurae etc.

470 *Caenis* dicebatur, cum femina adhuc eſſet. Vſ. 189. De *facto*, quo *praemia* meruit, 197 ſqq. *te comminuit*, animum tuum comminuit, fregit. vid. Heinſ. *quid nata vide* vt IX, 746. *quid ſis nata vide*, et VI, 634. *cui ſis nupta vide*. De *colo* et *calathis* modo diximus. Virg. Aen. VII, 805. de Camilla, *non illa colo calathisue Mineruae Femineas adſueta manus*. Silius II, 70. *Non calathis mollita manus, operatuve fuſo*.

477 Ingenioſe *extentum curſu latus* de currente equo. *eruit*, vt *hauſit* V, 126. *Phyllus* vrbs Theſſaliae.

481 *caua*. Erant ligna concaua in formam patinae, quibus pellis ita intendebatur, vt lapilli in eam immiſſi reſilirent. v. Perizon. ad Aelian. V. H. IX, 8.

486 Ab initio punctim verberauerat, nunc caeſim. *Enſem in latus obliquat*, obliquo enſe ferit latus. *Gemitus* de omni ſono, etiam rerum inanimatarum. v. Burm. ad IV, 449. et Heinſ. ad XIV, 739. Supra V, 204. de eadem re, *ſonuit tinnitibus enſis acutis*.

492 *fatiferum*, letiferum. *caecam*, quatenus abſcondita erat in viſceribus, neque cernebatur. *Vulnusque in vulnere fecit*. Abuſus ingenii.

494 Ruunt omnes in Caenea, vt V, 157 ſqq. in Perſea. *vaſto*. Burm. laudat *vaſtum latratum* e Columel. VII, 12. *vaſtitatem vocis* I, 9. *vaſte dicere* e Cic.

Bella relinque viris. Iactanti talia Caeneus
Extentum curſu miſſa latus eruit haſta,
Qua vir equo commiſſus erat. Furit ille dolore,
Nudaque Phyllei iuuenis ferit ora fariſſa.
Non ſecus haec reſilit, quam tecti a culmine grando,
Aut ſi quis paruo ferrat caua tympana ſaxo.
Cominus adgreditur, laterique recondere duro
Luctatur gladium. Gladio loca peruia non ſunt.
Haud tamen effugies; medio iugulaberis enſe:
Quandoquidem mucro eſt hebes, inquit: et in latus ensem
Obliquat, longaque amplectitur ilia dextra.
Plaga facit gemitus, ceu corpore marmoris icti,
Fractaque diſſiluit percuſſo lamina collo.
Vt ſatis illaeſos miranti praebuit artus,
Nunc age, ait Caeneus, noſtro tua corpora ferro
Tentemus: capuloque tenus demiſit in armos
Enſem fatiferum, caecamque in viſcera mouit,
Verſauitque manum, vulnusque in vulnere fecit.
Ecce ruunt vaſto rabidi clamore bimembres,
Telaque in hunc omnes vnum mittuntque, feruntque.

476 Vnus Medic. *Tela relinque*, quod placet Burm. 477 S. Marci, *latus hauriit*. Vatic. pr. pro diuerſa lect. *hauſerat*. 479 Alii, *Pellaei iuuenis*. 492 Heinſ. malit, *in viſcere*. Vnus Vatic. et vnus Baſ. *condit*, vt XV, 88. 494 Alii *rapidi* aut *trapidi*. Heinſ. ſuadebat, *rabidi de more*, Sed v. Burm. 495 Permulti, *feriuntque*.

Tela retuſa cadunt: manet imperfoſſus ab omni
Inque cruentatus Caeneus Elateius ictu.
Fecerat attonitos noua res. Heus dedecus ingens!
Monychus exclamat: populus ſuperamur ab vno,
Vixque viro: quamquam ille vir eſt: nos ſegnibus actis,
Quod fuit ille, ſumus. Quid membra immania proſunt?
Quid geminae vires? quid, quod fortiſſima rerum
In nobis duplex natura animalia iunxit?
Nec nos matre Dea, nec nos Ixione natos
Eſſe reor; qui tantus erat, Iunonis vt altae
Spem caperet. Nos ſemimari ſuperamur ab hoſte.
Saxa, trabesque ſuper, totosque inuoluite montes:
Viuacemque animam miſſis elidite ſiluis.
Silua premat fauces: et erit pro vulnere pondus.
Dixit: et inſani deiectam viribus Auſtri
Forte trabem nactus, validum coniecit in hoſtem:
Exemplumque fuit: paruoque in tempore nudus
Arboris Othrys erat, nec habebat Pelion vmbras.

499 Langerm. et 3 alii, *ſuperemur* per interrogationem. 500 Vnus Heinſ. *vixque mari*, et contra vſ. 506. quatuor, *ſemiuiro*. 501 Vnus Leid. *Quae fuit*. 510 Plurimi, *inſanis*. Multi, *disiectam*. 512 Vnus Medic. melioris notae, *Exemploque*.

496 Nouo modo inuulnerabilem deſcribit. *Incruentatus*, quod per tmeſin diuulſum, pro *incruentus* primus dixit Ouid.

500 *ſegnibus actis*, ſegnitie. *Fortiſſima* coniunge cum *animalia*. *Natura duplex iunxit animalia*, pro, animalia duplicis naturae iuncta ſunt in nobis. *Rerum* ſic ſuperlatiuis additur, vt *dulciſſime rerum* etc.

505 *Alt*, magna, auctoritate Virgilii, apud quem *altus Apollo* Aen. X, 875. *altus Iupiter* XI, 726. *ſpem Iunonis* breuiter et modeſte, ſpem concumbendi cum Iunone. Quod ſummae audaciae et impudentiae erat, id callide vertit in laudem patris ſui. Sed mentitur, cum ſe *matre Dea* editos dicit. *Elidite* aptum huic mortis generi verbum.

507 Iam copioſe et ſuo more exornare incipit, quod ſcriptores ad vſ. 146. laudati breuiter tradunt, congeſtis arboribus interfectum Caenea.

512 *Exemplum fuit*, exemplo ſuo praeiuit caeteris. Mox loquitur ita, tamquam et *Othrys* et *Pelion* proximi fuerint Pirithoi regiae. *nudus arboris*, nudus arboribus, deſtitutus arboribus. *parno in tempore*. v. ad XI, 39. *vmbras* pro, arbores, vt X, 88. et 90.

Obrutus immani cumulo, ſub pondere Caeneus
Aeſtuat arboreo, cungeſtaque robora duris (que
Fert humeris. Sed enim poſtquam ſuper ora caput-
Creuit onus, neque habet, quas ducat, ſpiritus auras,
Deficit interdum: modo ſe ſuper aëra fruſtra
Tollere conatur, iactasque euoluere ſiluas;
Interdumque mouet: veluti, quam cernimus, ecce!
Ardua ſi terrae quatiatur motibus Ide.
Exitus in dubio eſt: alii ſub inania corpus
Tartara detruſum ſiluarum mole ferebant.
Abnuit Ampycides: medioque ex aggere fuluis
Vidit auem pennis liquidas exire ſub auras,
Quae mihi tunc primum, tunc eſt conſpecta ſupre-
Hanc vbi luſtrantem leni ſua caſtra volatu (mum.
Mopſus, et ingenti circum clangore ſonantem
Adſpexit, pariterque oculis animoque ſecutus:
O ſalue, dixit, Lapithaeae gloria gentis,
Maxime vir quondam, ſed auis nunc vnica, Caeneu.
Credita res auctore ſuo eſt: dolor addidit iram.
Oppreſſumque aegre tulimus tot ab hoſtibus vnum:
Nec prius abſtitimus ferrum exercere cruore,
Quam data pars leto, partem fuga noxque remouit.

514 Plurimi, *tumulo*. 515 Multi, *coniectaque*. 517 Malit Heinſ. *qua* vel *quo ducat*, vt V, 467. 523 Flor. S. M. *retruſum*. 531 Heinſ. malit, *gloria gentis Maxima, vir quondam*. 534 *ferrum exercere cruore* dedit Heinſ. ex vno Medic. pro, *ferro exerc. dolorem*. 535 Gronov. pr. *diremit*, vt ſaepe ap. hiſtoricos. Recepit Mitſcherl.

515 *Aeſtuat*, furit, iactat membra.

518 *ſuper aëra*, in aëra, et hoc ſimpliciter, tollere. Virg. Aen. II, 699. *ſe tollit ad auras*, ſurgit de ſtrato.

520 *Ide* in conſpectu Graecorum tum erat. Hinc, *quam cernimus ecce*.

522 Interfectum eſſe Caenea caeteri tradunt. Alterum finxit fortaſſe Ouidius ipſe, vt hic quoque haberet metamorphoſin. Itaque verbis *Exitus in dubio eſt* nouationem ſuam excuſaſſe videtur. Commode adhibuit Mopſum vatem. *detruſum* aptius tam violentae morti, quam *miſſum*. Schol. Apollon. I, 57. Κατὰ γῆν αὐτὸν ἀΐσσειν.

525 *ſub auras*, in auras.

527 *luſtrantem ſua caſtra*, volantem circa Lapithas ſocios ſuos. Quo melius ſingula circumſpiciat, volat *leni volatu*. *Clangor* pr. ſonus auium volantium. *gloria gen-*

Periclymenus.

Haec inter Lapithas et ſemihomines Centauros
Proelia, Tlepolemus, Pylio referente, dolorem
Praeteriti Alcidae tacito non pertulit ore:
Atque ait, Herculeae mirum eſt obliuia laudis
Acta tibi, ſenior: certe mihi ſaepe referre
Nubigenas domitos a ſe pater ipſe ſolebat.
Triſtis ad haec Pylius: Quid me meminiſſe malorum
Cogis, et obductos annis reſcindere luctus?
Inque tuum genitorem odium, offenſasque fateri?
Ille quidem maiora fide, Dî! geſſit, et orbem
Impleuit meritis, quod mallem poſſe negari:
Sed neque Deiphobum, nec Polydamanta, nec ipſum
Hectora laudamus. Quis enim laudauerit hoſtem?
Ille tuus genitor Meſſania moenia quondam

538 Vndecim, *placido ore.* 541 Mollius eſſe monet Burm. quod in duobus eſt, *a ſe domitos pater.* 543 Olim edeb. *reſtringere luctus.* Alii aliter. Pro *annis* quidam *leuiter.* Hinc Heinſ. emendabat, *obductum leuiter reſcindere vulnus.* 545 *Di! geſſit* dedit Heinſ. e veſtigiis quorundam Mſſ. qui habent, *digeſſit.* Caeteri, *quoque geſſit*, *digeſſit* etc. 547 Alii malunt, *Pulydamanta.* v. Intr. inprimis Heinſ.

tis, vt ap. Homer. *μέγα κῦδος Ἀχαιῶν.*

FAB. IV. vſ. 536—579 Appendicula de *Periclymeno*, Neſtoris fratre, quem Hercules in aquilam transformatum interfecit. De auctoribus fab. v, ad vſ. 549.

537 *Tlepolemus* Herculis et, vt plurimi tradunt, Aſtyoches filius, interfecto Licymnio auunculo ad Rhodios auſugerat, quorum naues poſtea aduerſus Troianos duxit. Hom. Il. *β*, 653 ſqq. Is *dolorem*, quem ſentiebat inde, quod rerum a patre ſuo, quo tempore apud Pholum erat, geſtarum cum Centauris (de quibus v. Apollod. II, 5, 4.) mentionem nullam fecerat Neſtor, tacite perferre non potuit,

539 *Agere obliuia* dictum, vt *agere ſilentium* I, 349. *Senior*, ſenex, quae compellatio grata Graecis. Quidam tamen, mutata diſtinctione, aeque bene: *Senior certe mihi* etc.

543 Vulnera drr. *obduci*, cum coaleſcunt, et *reſcindi*, cum rurſus aperiuntur, refricantur. Hinc illa verba ad renouatum luctum ſatis commode transferuntur. Aeque bene *annis* ſe habet. Conſtat enim, *annos*, tempus, eſſe maxime, qui rerum acerbarum ſenſum leniant. *offenſas*, quibus me adflixit.

545 *Di, Di magni* aut *boni* ſolleniuis exclamatio in laudibus magnorum virorum. vid. Heinſ. ad Heroid. XVIII, 102. *orbem impleuit meritis*, multis facinoribus de multis, iisque diſiunctiſſimis, terris bene meritus eſt.

549 Res, quae hic attingitur, magna cum varietate narratur ab auctoribus, Homer. Il. λ, 691. Od. λ, 280. ibique Schol. etiam

Strauit, et immeritas vrbes Elinque, Pylonque
Diruit, inque meos ferrum, flammamque penates
Impulit. Vtque alios taceam, quos ille peremit;
Bis ſex Nelidae fuimus, conſpecta iuuentus:
Bis ſex Herculeis ceciderunt, me minus vno,
Viribus. Atque alios vinci potuiſſe ferendum eſt.
Mira Periclymeni mors eſt; cui poſſe figuras
Sumere quas vellet, rurſusque reponere ſumtas
Neptunus dederat, Nelei ſanguinis auctor.
Hic, vbi nequicquam eſt formas variatus in omnes,
Vertitur in faciem volucris, quae fulmina curuis
Ferre ſolet pedibus, Diuum gratiſſima Regi.
Viribus vſus auis, pennis roſtroque redunco,
Hamatisque viri laniauerat vnguibus ora.
Tendit in hunc nimium certos Tirynthius arcus,

557 Gronov. et quatuor alii, *ſumtasque reponere poſſe.* 559 Permulti, *verſatus in omnes.* 562 Quidam, *roſtroque reducto.* Nonnulli, *recuruo.*

ad Il. *β*, 336. Aelian. V. H. IV, 5. Pauſan. Eliac. p. 379 et 516. Apollod. I, 9, 9. II, 7, 3. Hygin. fab. 10 et 31. Schol. Apollon. I, 156. Philoſtrat. Heroic. *Neleo, Pyliorum* regi, nati erant vel ex ſola Chloride (Hom. Hyg. Apollod.) vel ex pluribus vxoribus duodecim filii, in quibus *Periclymenus* et *Neſtor*. Hercules iratus Neleo, ſiue quod ſibi Geryonis boves abegerat, ſiue quod ſe expiare noluerat, poſtquam vxorem et liberos aut Iphitum amicum interfecerat, ſiue denique, vt vult Pauſan. quia opem tulerat Eleis. Capta vrbe Neſtori pepercit, vel quia is apud Gerenios aberat, vel quia patri boues abigenti aut expiationem neganti non aſſenſus fuerat. Neque pepercit ei modo, ſed regnum etiam paternum tradidit, cui addidit Meſſenen, vel vt praemium iuſtitiae, vel vt depoſitum. Foedus iciſſe cum Nelei liberis legitur ap. Pauſan. Meſſen. p. 317. Sed ſecundum Ouid. non bene de Neſtore meritus eſt Hercules. De filiis interfectis conſentit cum Homero, *κατὰ δ' ἔκταθεν ὅσσοι ἄριστοι. Periclymenum* effugiſſe tradit Hygin. Interfectum eum eſſe auctores ſunt Schol. Hom. Apollod. et Tzetz. Chil. I, 45. Sine dubio fugit, et e fuga reductus interfectus eſt. Hoc certe ſibi vult fabula, quam hic habemus.

550 *Strauit*, diruit. *Impulit* grauius verb. quam, *intulit*. Ferro et igne vaſtauit penates meos.

553 Hom. *Δώδεκα γὰρ Νηλῆος ἀμύμονες υἱέες ἦμεν, Τῶν οἶος λιπόμην, οἱ δ' ἄλλοι πάντες ὄλοντο. Conſpecta*, conſpicua, excellens. Hom. altero loco, *ἀγλαὰ τέκνα.* Atque illos *ἐκάκωσε βίη Ἡρακληείη.*

558 *Nelei ſanguinis*, gentis, *auctor* fuit Neptunus, Nelei pater. v. Schol. Hom. ad Od. d. l.

Atque inter nubes ſublimia membra ferentem,
Pendentemque ferit, lateri qua iungitur ala.
Nec graue vulnus erat: ſed rupti vulnere nerui
Deficiunt, motumque negant viresque volandi.
Decidit in terram, non concipientibus auras
Infirmis pennis: et qua leuis haeſerat alae,
Corporis adfixi preſſa eſt grauitate ſagitta,
Perque latus ſummum iugulo eſt exacta ſiniſtro.
Num videor debere tui praeconia rebus
Herculis, o Rhodiae ductor pulcherrime claſſis?
Nec tamen vlterius, quam fortia facta ſilendo,
Vlciſcar fratres; ſolida eſt mihi gratia tecum.
Haec poſtquam dulci Neleïus edidit ore,
A ſermone ſenis, repetito munere Bacchi
Surrexere toris: nox eſt data cetera ſomno.

566 Quinque, *Pendentemque rapit.* v. Drakenb. ad Silium II, 96. 568 *volanti.* 570 Neap. *Infirmus.* 573 Arond. *tibi* et *Herculeis.* Sic etiam Heinſ. 574 Plurimi, *rector.*

quamquam Hygin. Hippocoontem nominat. *poſſe*, το δύνασθαι, facultas, vt aliquoties iam vidimus. *reponere* pro, deponere. Illam vim Periclymeni etiam Heſiod. in Catal. Euphorion ap. Scholl laud. et Apollod. memorant. *formas variatus* etc. Pugnans cum Hercule fiebat modo leo, modo anguis, modo apis. Apollod. *faciem alitis* etiam Heſiod. habet. ἄλλοτε μὲν γὰρ ἐν ὀρνίθεσσι φαίνεσκεν αἰετός, ſed traiicitur Palladis monitu ab Hercule, cum, ſumta apis forma, currui eius inſideret. Ap Schol. Apollon. et Tzetz. necatur εἰς μυῖαν μεταβληθείς.

565 *ſublimia membra ferentem*, alte volantem. De *pendere* v. ad XI, 341. *ferit.* Hygin. *Periclymenus beneficio Neptuni aui in aquilae effigiem commutatus, mortem effugit.*

569 *concipere auras*, vt Quintil. Inſt. XI, 3. extr. *ventum concipere veſte.* Supra VIII, 228. *percipit auras*, quamquam et ibi plurimi Mſſ. *concipit. leuis*, leviter. *grauitate*, graui lapſu in primis.

574 *Pulcherrime*, praeſtantiſſime. Etiam in laudibus heroum *pulcher* occurrit.

576 *ſolida gratia*, vera, ſincera amicitia, vt *ſolida vtilitas* etc. apud Cic.

577 *dulci* ob eloquentiam, quae cum melle comparatur. Hom. Il. α, 248 ſ.

FAB. V. 580—fin. Neptunus permouet Apollinem, vt interficiat Achillem, de cuius poſtea armis certant Aiax et Vlyſſes. Auctores ſab. v. ad vſ. 601. Tractata etiam erat ab Arctino, poëta vetere, in Aethiopide, vnde fragm. exſtat.

Achillis mors.

At Deus, aequoreas qui cuſpide temperat vndas,
In volucrem corpus nati Stheneleida verſum
Mente dolet patria, ſaeuumque perоſus Achillem
Exercet memores, plus quam ciuiliter, iras.
Iamque fere tracto duo per quinquennia bello,
Talibus intonſum compellat Smynthea dictis:
O mihi de fratris longe gratiſſime natis,
Irrita qui mecum poſuiſti moenia Troiae,
Ecquid, vt has iam iam caſuras adſpicis arces,
Ingemis? aut ecquid tot defendentia muros
Millia caeſa doles? ecquid, ne perſequar omnes,

581 Plerique, *Phaethontida.* Quidam, *Cygneïda.* Heinſ. ſcribendum cenſet, *Ledeïda.* 585 *Smynthea* hic legendum vidit Beroald. Annot. ad Sueton. cp. 12. Mſſ *Cynthia.* 588 Olim edeb. *Ecquid vbi Aſiacas caſuras.* Duo, *proſpicis arces*, quod non displicet Burm. Quinque, *conſpicis.*

580 Haec cohaerent cum vſ. 144. *cuſpide*, mox *triplici cuſpide*, tridente quomodo regat Neptunus aequoris vndas, vide I, 283 et 330. *volucrem Sthenel.* volucrem, in quam olim alius Cygnus, Stheneleii filius, mutatus. II, 367 ſqq. Sic III Faſt. 793. *Lycaonia Arctos*, in quam Callisto, Lycaonis filia, verſa. Atque nunc ita locutus eſſe videtur, quia patronymicis diſtingui ſolebant duo illi Cygni. *Verſum.* Verterat quidem ipſe, ſed coactus ſaeuitia Achillis. *Mente patria*, vt XI, 328. *patruo corde.* — *memores irae*, quia ipſe Neptunus ſaeuitiae Achilleae memor. Virg. Aen. I, 4. *ſaeuae memorem Iunonis ob iram. Exercet* nunc eſt, alit, cum alibi ſere ſit, effundere iram, poenam ſumere, vt *exercere vltoriam, inimicitias* etc. *plus quam ciuiliter*, iuſto gravius, immoderate. III Triſt. 8, 41. Auguſtus offenſas ſuas non vindicat enſe, ſed *odio ciuiliter vtitur* in Ouidium. *Ciuilis* enim eſt is, qui ita agit, vt caeteros quoque ciues eſſe, aequalique iure vti meminiſſe videatur.

584 *Tractum bellum* centies apud hiſtoricos. *Trahuntur* enim, quae diu durant. Apollo *Smintheus* cum in aliis Aſiae locis, tum in inſula Tenedo colebatur. v. Homer. Il. α, 39. vbi Euſtath. et Pſeudod. eum ſic dictum tradunt a Smintho, oppido in finibus Troianorum. Vſus igitur nunc hoc nomine eſt, quia res ad Troiam agitur.

586 Poſt blandiſſimam compellationem obſerua artem, qua irritare conatur animum Apollinis. Quis enim non doleat, operam ſuam fieri *irritam* vnius hominis ſaeuitia? *Hectoris* autem crudeliſſime tractati caſum aegerrime tulit Apollo. Homer. Il. ω, 33 ſqq. Eum vero a Neptuno perſuaſum eſſe, vt mortem afferret Achilli, nouauit Noſter, vt hanc fab. commode annecteret ſuperiori. Nam apud Homer. ſemper a Troianorum partibus ſtat, ſua ſponte, et Achilli inprimis iraſcitur. Homer. d. l. Itaque et reliqui poëtae de Neptuno ſilent. *Irrita moenia*, quia labor moenibus iam iam caſuris im-

Hectoris vmbra ſubit, circum ſua Pergama tracti?
Cum tamen ille ferox, belloque cruentior ipſo,
Viuit adhuc, operis noſtri populator, Achilles.
Det mihi ſe: faxo, triplici quid cuſpide poſſim,
Sentiat. At quoniam concurrere cominus hoſti
Non datur, occulta necopinum perde ſagitta.
Adnuit: atque animo pariter patruoque ſuoque
Delius indulgens, nebula velatus in agmen
Peruenit Iliacum, mediaque in caede virorum
Rara per ignotos ſpargentem cernit Achiuos
Tela Parin: faſſusque Deum, Quid ſpicula perdis

591 Gronov. *rapti*. Vtrumque verb. in hac re vſitatum. 592 Nonnulli, *Cur tamen*. Alii, *Et tamen*. Gronov. pr. *bello truculentior ipſo*. Mox quatuor, *Viuat*. Vatic. pr. et Genev. *operis noſtri violator*, quod placet Burm. quia ſacra Troia a Diis poſita erat. Sic *violare* etiam ap. Virg. XI, 255. 596 Cantabr. *prode ſagitta*, quod arridet Heinſ.

penſus irritus fiebat. *circum ſ. Perg.* Sic e nouatione Tragicorum, etiam Eurip. Androm. 107 ſ. et inde Virg. Aen. I, 483. Sed ſecundum Hom. Il. ω, 15 ſ. Hector e curru ligatus et capite pulueri incumbens tractus eſt circa Patrocli ſepulcrum. Il. χ, 395 ſqq. vbi haec Achillis crudelitas pluribus deſcribitur, locus commemoratur nullus.

592 *bello cruentior*, vt XI, 701. *crudelior pelago. Cruentus* autem etiam cupidus cruoris. *populator*, vt XIII, 655. *Troiae populator Atrides.*

594 *Dat ſe* alteri, qui ei obvius fit. *faxo* et *faxim* antique pro, faciam aut fecerim. *occulta*, quia Apollo nebula velatus non cernebatur.

597 *Patruo* pro, *patrui*, vt XI, 328. *patruo corde*, et IV Faſt. 55. *enſe patruo.* Libenter enim talibus voc. adiectiue vtuntur poetae. v. Drakenb. ad Silium III, 387. Sic apud Noſtrum *autumnum frigus, maritus lectus, infans manus* etc. *animo indulgens*, obſequens irato impetui animi.

600 Dupliciter tangit ignauiam Paridis, quod *rara* tela ſpargit, et quod ea per *ignotos*, ignobiles (v. ad IX, 669.) ſpargit. Sed quia praecedit, *media in caede virorum*, et quia Apollo dolet, perdere eum ſpicula in ſanguine plebis, propterea *rara tela* Burm. non placent. Coniicit ergo, *vana*, i. inutilia, ex quibus nihil ad ſummam belli redibat vtilitatis, quia, licet plures ſterneret, dum Achilles tamen ſupereſſet, metu ſolui Troiani non poterant. Florent. Mſ. *gnara*, quod Heinſ. placebat, qui interpretabatur, bene ac perite torta. Sed, ſi hoc voluiſſet Poeta, dixiſſet haud dubie, vt etiam Burm. monet, *certa. ſpargere tela*, ut *ſpargere fulmina*, I, 253. *Spargere glandes funda* Claudian. VII, 50.

601 *Faſſus Deum*, poſtquam indicauerat, ſe Deum eſſe, vt III, 1. et pluribus locis. Etiam apud Virg. Aen. VI, 57. Apollo Paridis telum dirigit in Achillem, quemadmodum Hector moriens praedixerat. Homer. Il. χ, 359. ὅτε κέν σε Πάρις καὶ Φοῖβος Ἀπόλλων ὀλέσσουιν ἐνὶ Σκαιῇσι πύλῃσιν. Apud Quint. Calab III, 60 ſqq. Apollo ipſe, fine Paridis miniſterio, vulnerat Achillem. Sumta Paridis forma eum id feciſſe tradit Hygin. fab. 107. A ſolo Paride eum ſublatum memorant, remotis figmentis poeticis, Dares Phryg. cp. 34 et Dictys Cret. IV, 2. *Spicula perdere* in *ſanguine plebis*, fruſtra mittere tela in milites gregarios, quibus interfectis nihil lucratur ſumma belli. *Vertere*, transfer tela tua ab iſtis in Aeaciden.

607 Euentum rei ſententia declarat, quam valde commendabat Vinicius, ſummus amator Ouidii. Senec. Controv. 33. Ad Priamum enim ob Hectorem interfectum maximum gaudium redire debebat ex Achillis morte. *ſenex* ſollemne Priami epitheton. *Vetet Priamus* dixerat Ennius. *gaudere*, vt *dolere* et *moerere*, paſſim quartum caſum ſibi adiunctum habet. v. Burm. ad VII, 720. Copioſius Achillis caſum enarrat Quint. Cal. III, 176 ſqq. Ibi procumbit montis inſtar, cum tremore telluris, armorumque fragore. In talum eum eſſe vulneratum idem Quintus Cal. memorat. Nempe is ſolus vulnerabilis fuiſſe a recentioribus auctoribus fingebatur, cum reliquum corpus, in Styge a matre tinctum, nullis armis laedi poſſet. De quo commento veriſſime Rouſſeau in Penſées pag. 115. „A force d'armer Achille contre le péril, le Poete lui ôte le mérite de ſa valeur. Tout autre à ſa place eut été un Achille au meme prix."

608 Epiphonema praeclarum, cui ſimile illud de Priamo ap. Virg. Aen. II, 554 ſqq. Initium ſpirat ſenſum Graecorum, de quo v. ad IX, 7. Ignauiae et mollitiei Paridis picturam habes ap. Horat. I od. 15, 13 — 18. quamquam latini eum poetae molliorem finxerunt, quam apud Homer. apparet. Nempe quia elegantia eius ab heroum reliquorum aſperitate abhorrebat, propterea ab his contemnebatur tamquam γυναιμανής. v. Iani Excurſ. ad Horat. d. l. Non parum fortitudinis ſpirat epiſtola eius ad Helenam, quae legitur Heroidd. XVI. — *maritae*, quam habebat maritam poſt raptum, vt vſ. 5. *rapta cum coniuge*. Id tamen non placet Burm. qui ex vno Mſ. praefert *iuuencae*, quia Heroidd. V, 117. et apud Iſcan. III, 374. Helena *Graia iuuenca* vr. Sed in vtroque illo loco allegoriae ſervandae cauſſa commode ita dr. quae h. l. nulla eſt. *Thermod. bipenni*. Penthefileam intelligit, fortiſſimam Amazonum, ad *Thermodonta* fluuium habitantium, reginam, quae Troianis auxilium tulerat aduerſus Graecos. Q. Calaber I. Virg. Aen. I, 490. Iuſtin. II, 4, 31. *Bipenniferae* Amazonis effigies expreſſa eſt apud

Sanguine plebis? ait: ſi qua eſt tibi cura tuorum,
Vertere in Aeaciden, caeſosque vlciſcere fratres.
Dixit: et oſtendens ſternentem Troia ferro
Corpora Peliden, arcus obuertit in illum,
Certaque letifera direxit ſpicula dextra.
Quod Priamus gaudere ſenex poſt Hectora poſſet,
Hoc fuit. Ille igitur tantorum victor, Achille,

Vinceris a timido Graiae raptore maritae!
At si femineo fuerat tibi Marte cadendum,
Thermodontiaca malles cecidisse bipenni.
Iam timor ille Phrygum, decus et tutela Pelasgi
Nominis, Aeacides, caput insuperabile bello,
Arserat: armarat Deus idem, idemque cremarat.
Iam cinis est, et de tam magno restat Achille
Nescio quid, paruam quod non bene compleat vrnam.
At viuit, totum quae gloria compleat orbem.
Haec illi mensura viro respondet, et hac est
Par sibi Pelides; nec inania Tartara sentit.

609 Vulg. *victus es.* Nonnulli, *vinceris.* male. v. Heins. ad Heroid. XIV, 95. 616 Omnes fere scripti, *Nescio quid paruum.* 618 *hac est — Pelides.* Ita haec e vestigiis Codd. constituit Heins. quem vide de hac locut. ad Heroid. XX, 62.

Drakenb. ad Silium II, 77. Ipsa Pentheslea in gemmis pluribus conspicitur. Etiam ap. Q. Cal. I, 157. fert ἀμφίτυπον βαπλῆγα. Sed in tabula, quam Pausan. Phoc. p. 875. describit, arcum habebat Scythicis similem. Fortior Paride in eadem tabula apparebat; vultu enim declarabat, se eum prae se spernere. Sed et Amazonum auxilium post Homer. a poëtis assumtum in belli Troiani historiam. vid. Heyne ad Virg. d. l.

614 De combustione hac vid. Hom. Od. ω, 57 sqq. Q. Cal. III. Ineptissimo rursus ingenii lusu maculat locum pulcherrimum: *Armarat Deus idem, idemque cremarat.* Nempe Vulcanus arma eius fabricauerat, et Vulcanus, h. e. ignis, corpus eius absumserat. Hom. d. l. vs. 71. σὲ φλὸξ ἤνυσεν Ἡφαίστοιο.

615 Sollemne de mortuo, *cinis est* aut *cinis exiguus iacet*, sed h. l. magna cum vi post superiora illa, *timor ille Phrygum* etc. Et τὸ *exiguus* praeclare sic exornat, *de tam magno restat Achille Nescio quid*, particula minima, et vix sensibilis, *quod non bene* (exquisite pro, non prorsus, non plane) *vrnam compleat. paruae* autem et exiles esse solebant vrnae, vt apparet ex iis, quae etiam nunc supersunt. Praeiuerat Nostro Propert. II, 7, 51. vbi Briseis *tanti corpus Achillei Maximaque in parua sustulit ossa manu*, et IV, 11, 14. vbi sepulta Cornelia, postquam dignitatem suam nihil sibi profuisse questa est, addit, *En! sum quod digitis quinque leuatur onus.* Sed pueriliter grauissimam sententiam tractauit Seneca Herc. Oet. vers. 1758 sqq. *Tam paruus cinis Herculeus est; huc ille decreuit gigas. O quanta, Titan, in nihil moles abit! — ecce vix totam Hercules Compleuit vrnam; quam leue est pondus mihi, Cui totus aether pondus incubuit leue.* Achillis cineres vino consperses et vnguento Thetis condidit in vrna, quam, Vulcani opus, a Baccho acceperat. Hom. d. l.

617 Non minus bene seqq. de gloria dicta. *respondet*, congrua est viro illi. *hac*, ab hac parte.

Ipse etiam, vt, cuius fuerit, cognoscere possis,
Bella mouet clypeus, deque armis arma feruntur.
Non ea Tydides, non audet Oileos Aiax,
Non minor Atrides, non bello maior et aeuo,
Poscere, non alii: soli Telamone creato,
Laertaque fuit tantae fiducia laudis.
A se Tantalides onus inuidiamque remouit,
Argolicosque duces mediis considere castris
Iussit, et arbitrium litis traiecit in omnes.

inania Tartara non sentit, nunquam moritur.

621 *bella mouet*, occasionem praebet certamini. *Cognoscere* sic etiam Heroid. IX, 151. *Tu quoque cognosces in me, Meleagre, sororem.* et Iustin. XIV, 6, 11. *vt Alexandrum posses etiam in moriente matre cognoscere.* Pro, certamen initur, grauius, *arma feruntur*, quia verbo ludere voluit.

623 Non Menelaus, Atrei filius natu *minor*, nec Agamemnon frater *maior*, et *aeuo*, natu, annis, et *bello*, qui summa belli, imperium penes eum. Erat *rex regum*, ἄναξ ἀνδρῶν. *Regno*, quod habent quatuor Mss. pro, *bello*, et quod placet Burm. prae altero, fluxit ex interpretatione. Solet vero Noster huiusmodi vocc. quorum vis vsu definita est, aliquid amplius addere. I, 750. *animis aequalis et annis.* VIII, 617. *animo maturus et aeuo.* — *soli creato* pro *solis creatis*, atque ita rescribi voluit Heins. *tantae fiducia laudis*, fidenter insignem illam gloriam appetebant.

626 *Tantalides*, Agamemnon, cuius pater Atreus filius Pelopis, nepos Tantali fuerat. Is cum esset dux exercitus, noluit alteutri arma adiudicare, ne *inuidiam*, infamiam et odium, sibi conciliaret, sed *arbitrium litis traiecit in omnes*, voluit, vt omnes illam causam ex aequo et bono, pro meritis vtriusque iudicarent. Hom. Od. λ, 546. Troiani et Pallas iudicant de armis Achillis. Sic et Q. Cal. V, 134 sqq. qui addit, Aiacem et Vlyssem iudices sibi popposcisse Idomenea, Nestorem et Agamemnonem, sed hos iudicium a se remotum detulisse ad Troianos et Pallada.

P. OVIDII NASONIS
METAMORPHOSEON
LIBER DECIMVS TERTIVS.

Armorum iudicium Aiax.

Conſedere duces, et, vulgi ſtante coronâ,
Surgit ad hos clypei dominus ſeptemplicis Aiax.
Vtque erat impatiens irae, Sigeia toruo

FAB. I. vſ. 1 — 398 Nobile illud *certamen armorum* inter Aiacem Telamonium et Vlyſſem, cuius occaſio lib. XII extr. narrata, cuius memoria diu inter Aeolenſes manſit, (Pauſan. Attic. p. 86.) et quod a multis auctoribus, tam graecis, quam latinis, tractatum eſt. Tractauerant enim (vt Homer. taceam, qui Od. λ, 542 ſqq. eius mentionem facit) Arctinus in Aethiopide atque Leſches in carmine Ἰλιὰς μικρά, etc. Aeſchylus Ὅπλων κρίσιν, docuerat. Exſtant adhuc Antiſthenis declamationes duae, altera Aiacis, Vlyſſis altera. V. Reiskii Oratt. graeci To. VIII. E Latinis Pacuvius et Attius fabulas dederant, quibus nomen fuit, *Armorum iudicium*. Timanthes etiam et Parrhaſius pictores certauerant in hoc iudicio exprimendo, et Parrhaſius heroïs nomine moleſte ſe ferre dicebat, quod iterum ab indigno victus eſſet. Plin. XXXV, 10. Sed e poëtis praeter Ouidium vnus reſtat Quintus Calaber, qui Paralip. lib. V. vſ. 180 — 316. in hoc argumento ingenium exercuit, quem tamen longiſſime poſt ſe relinquit Ouidius. Praeſtantiſſimae enim ſunt hae orationes et moratae inprimis. Aiax iram ſuam in Vlyſſem euomit, Vlyſſes contra callide et facunde cauſſam ſuam agit. Vterque vtitur iis, quae periclitantibus ſuadet Quinctil. Inſt. VI, 1. *Periclitantem vero commendat dignitas, et ſtudia fortia, et ſuſceptae bello cicatrices, et nobilitas et merita maiorum.* Singula bene et collecta ſunt, et amplificata. Noſter, monente Senec. Contr. II, 10. multa ſumſit a M. Porcio Latrone, praeceptore ſuo, qui et ipſe armorum iudicium ſcripſerat. V. ad vſ. 121.

1 *Conſedere duces et ſurgit ad hos*, Homericus tranſeundi modus, Ὄφρα κατ' ἄρ' ἕζετο τοῖσι ὁ ἀνέστη. *ad hos*, τοῖσι, ad hos verba facturus. Sine cauſſa Heinſ. ſuadebat, *ab his*. *Vulgus*, λαός, milites gregarii, quorum *ſtabat corona*, qui audiendi cauſſa conſeſſum iudicum omni ex parte ſtantes cingebant. Quamquam ap. Homer. vulgus ſedet. Aiaci apud Homer. v. c. Il. η, 927. vbi etiam deſcribitur, datur ἑπτάβοιον aut ἑπτάβοειον σάκος, ſeptem boum coriis obductus clypeus. v. ad XII, 95. et ipſe Aiax σακεσφόρος, quod Noſter interpretatur *clypei dominus*.

3 *Vt*, vtpote qui. Cic. Roſc. Am. 17. *Homo, vt erat furioſus, reſpondet.* Sic et XII, 258. *Impatiens irae*, iracundus. Liv. V, 38. *Galli flagrantes ira, cuius impatiens gens eſt.* v. Heinſ. Q. Calab. 180. μὴ ἀσχαλάων. Sic breuiter mores Aiacis notantur, et admonemur, qualis iam oratio exſpectanda ſit. *Reſpexit* vultu a iudicibus ad litora verſo. *Intendere* et *tendere manus* promiſcue vſurpantur. v. Drakenb. ad Sil. XV, 640.

5 Aiax non modo id agebat, vt arma acciperet, ſed fortitudine ſua, qua, interfecto Achille, reliquos duces omnes ſuperabat, adeo ſuperbiebat, vt indigniſſime ferret, quemquam audere, Vlyſſem inprimis, non manu, ſed calliditate et facundia excellentem, ſecum contendere. Hac indignitate commotum animum praeclare exprimit hoc exordium vſ. 5 — 20. Ideinque ſenſus per totam orationem regnat. Indignitatem rei abrupte et cum graui acclamatione *prò Iupiter!* dupliciter declarat, Agimus cauſſam *ante rates*, quas ego ſeruaui, et *mecum confertur Vlixes*, cum nobiliſſimo et fortiſſimo heroë fraudulentus et ignauus. Recte Quinctil. Inſt. Or. V, 10, 41. *Locus ad commendationem quoque et inuidiam valet: Nam et Aiax apud Ouidium*, Ante rates, *inquit*, agimus cauſſam. Hinc claſſem reſpexiſſe monetur, vultu ipſo indignationem prodente. *confertur*, ſe confert.

7 Troiani, Hectore duce ignem inferre conabantur nauibus Graecorum, quibus conatibus fortiſſime reſtitit Aiax. Homer. Il. ο et π. Eadem re gloriatur etiam ap. Quint. Cal. 213 ſqq. *Suſtinuit* proprie impetum irruentium, et *fugauit* hoſtes flammas ferentes, ſed hinc etiam hoſtiles flammas. *Remoui*, quod pro *fugaui* prior Gronov. et duo alii Mſſ. exhibent, eſt gloſſa. *Tutius eſt*, magis conducit ad gloriam conſequendam. *fictis*, ſubdolis verbis. Ita contemtim eloquentiam appellat. Qu. Cal. 222. μύθων Ἰδρείῃ πίσυνος μεγάλων ἐπιμαίεται ἔργων.

10 Habent hoc heroës et milites ſtrenui, vt eloquentiam ſpernant prae ſua fortitudine, v. c. Hercules IX, 29. Tydeus ap. Eurip. Phoen. vſ. 603. Marius ap. Salluſt. Iug. 85, 31. Aiax apud Antiſth. p. 55. ὁ πόλεμος ἃ λόγῳ κρίνεται, ἀλλ' ἔργῳ. *dicere*, ſcil. cum facundia, eloquentem eſſe. Saepe ſic *dicere* ap. Cic. *facere*, praeclara facinora edere, fortem eſſe. Salluſt. Cat. 3. *Pulchrum eſt bene facere reipublicae: etiam bene dicere haud abſurdum.*

Litora reſpexit, claſſemque in litore, vultu:
Intendensque manus, Agimus, prò Iuppiter! inquit, 5
Ante rates cauſſam; et mecum confertur Vlixes!
At non Hectoreis dubitauit cedere flammis:
Quas ego ſuſtinui; quas hac a claſſe fugaui.
Tutius eſt igitur fictis contendere verbis,
Quam pugnare manu. Sed nec mihi dicere promtum, 10

4 Vulg. *proſpexit*, quam damnauit iam Ciofan. 6 Vnus Medic. *mecum contendit*. 10 Vnus Leid. *Quam bellare*, quod verb. frequens Noſtro, vt et aliis. v. Heinſ. ad Heroidd. XIII, 69.

Nec facere eſt iſti: quantumque ego Marte feroci,
Quantum acie valeo, tantum valet iſte loquendo.
Nec memoranda tamen vobis mea facta, Pelasgi,
Eſſe reor (vidiſtis enim): ſua narret Vlixes,
Quae ſine teſte gerit, quorum nox conſcia ſola eſt.
Praemia magna peti fateor: ſed demit honorem
Aemulus. Aiaci non eſt tenuiſſe ſuperbum,
Sit licet hoc ingens, quidquid ſperauit Vlixes.
Iſte tulit pretium iam nunc certaminis huius;
Quo cum victus erit, mecum certaſſe feretur.
Atque ego, ſi virtus in me dubitabilis eſſet,

12 *Quantum* ex Neap. dedit Heinſ. Vulg. *Inque acie*, vt VIII, 59. *Inque cauſſa valet.* 20 Vulg. *Quod cum.* Multi, *Qui.* Sed *Quo* placuit Heinſ. Florent. Berneg. Boxh. codd. auctoritate. 21 Quatuor *Aſt ego.* Fragm. Boxh. *Atqui ego.* Sed v. not.

eſt. — *Valere* arte, viribus, excellere.

13 *Memoranda*, enumeranda, recenſenda. *Vidiſtis enim.* Magni aeſtimant bellatores, facinora ſua ante oculos vel ducis vel militum edidiſſe. vid. Liv. XXI, 43 extr. *ſine teſte.* Ap. Antiſth. p. 54. Ille nihil facit φανερῶς, ego nihil λαθρα. *quorum nox conſcia eſt*, quoniam noctu ſua perpetraverat, vnde Senec. Troad. 754. Vlixes *nocturnus miles*, et ibid. 38. Diomedes *nocturnus Ithaci comes.* Id infra in laudem ſuam vertit Vlyſſes, ſed ſuperbus et iratus Aiax callida conſilia pro ignaui animi ſignis habet.

16 ſqq. De hoc ſenſu Graecorum diximus ad IX, 6. Sed vide, quam acerbe nunc eo vtatur in contumeliam aemuli. *Aiaci* cum vi pro, *mihi.* Silius II, 29. *Armatum Hannibalem* (i. me) *poenae petit impia tellus.* Sed Francio et Burm. auctoribus poſt *aemulus* interpungendum arbitratus ſum: Aiaci non eſt ſuperbum tenuiſſe, quod ſperauit Vlyſſes. In qua oppoſitione maximam eſſe vim, ſummamque acerbitatem quilibet facile ſentiet. *Non eſt ei ſuperbum*, non habet, cur ſuperbiat. v. Burm. ad Petron. cp. 18. *tenuiſſe*, obtinuiſſe. *Iſte* cum contemtu dictum. *Quo*, nimirum certamine. Antiſth. p. 54. ὁ πόλεμος ἐ λόγῳ κρίνεται, ἀλλ' ἔργῳ.

21 — 33 Nobilitatem generis iactat et iure hereditario nititur, vtrumque in contumeliam Vlyſſis. Verbo tantum haec attingit Quint. Cal. 235. 36. *Atque* inſeruit transitionibus. v. Clav. Cic. *Nobilitate potens*, nobilis. Additur enim *potens* omnibus iis rebus, quae valent aliquid inter homines, quibus multum efficitur. Hinc *potens auctoritate, fauore, copiis* etc. De nobilitate Aeacidarum v. Iſocrat. Euag. p. 452. Wolf. min. eorumque acta fuere pars illuſtris hiſtoriae antiquae. Horat. III od. 19. init. *Moenia qui — cepit.* v. XI, 213. *Intravit litora* pro, intrauit portus. *Silentes* abſolute interdum dici ſilentes vmbras docet Burm. Plerique tamen Vett. non niſi duos iudices infernales agnoſcunt, Minoa et Rhadamanthum. Aeacus potius Plutonis clauiger ferebatur. vid. Fiſcher. ad Aeſchin. Axioch. f. 19. Sed non mirum, ſi Aiax glorians illud maluit. V. omnino Heynii Exc. XI. ad Virg. Aen. VI. Pro, apud inferos ſatis acerbe, *illic, vbi Siſyphon ſaxum graue vrget.* Siſyphus enim latro Anticleam, Vlyſſis matrem, cum ad Laërtem duceretur, compreſſit, ex quo concubitu Vlyſſes natus. Duplex igitur ineſt conuicium. Ap. Eurip. Iph. Aul. 524. Vlyſſes Σισύφειον σπέρμα, quod fluxit fortaſſe inde, quia Vlyſſes ingenio ſimilior Siſypho, quam Laërti. *vrget*, premit, degravat; nam ſecundum Propert. II, 16, 30. et alios Siſyphus ſaxum ceruicibus impoſitum apud inferos geſtat. Sed cum illud etiam voluere dicatur, aeque bene ſe habet duorum Mſſ. Stroz. et Barber. lectio, *Aeolides ſ. g. Siſyphus vrget*, vt IV, 499. *Aut petis, aut vrges ruiturum, Siſyphe, ſaxum.* v. Burm.

29 *Series*, vulgo genealogia. Statius Theb. VI, 269. *ſeries antiqua parentum.* Silius I, 88. *ſeries nepotum.* — *Frater* pro patrueli, et h. l. cum delectu. Telamon et Peleus fratres erant, ab hoc Achilles, ab illo Aiax. *Inſeri* eleganter drr. qui in alienam gentem vel adoptantur vel ſe ingerunt, voc. ab inſitione ſurculorum petito. Phaedr. III, 3, 10. *inſitiui liberi*, ſpurii. *Nomina alienae gentis* melius, quam, *ſe*, quia in ſerie ſcribuntur nomina. Plin. pan. 37, 7. *impie his nominibus inferi publicanum.*

34 Cum non haberet Aiax, cur ſua facta commemoraret, quae ipſi viderant Graeci, copioſus eſt in Vlyſſis ſceleribus detegendis. *An — quod mihi?* Indignantis et irridentis animi eſt, rogare, ne ea nobis obſint, quae prodeſſe nobis vel maxime in cauſſa debent, vt IX, 21 ſ. et infra vſ. 135 ſ. Antiſth. p. 56. tantum de Vlyſſe, ὃς οὐκ ἐκὼν, ἀλλ' ἄκων ἀφίκται εἰς Τροίαν, et de Aiace, ὃς πρῶτος ἀεὶ καὶ μόνος τέταγμαι. Nul-

Nobilitate potens eſſem, Telamone creatus,
Moenia qui forti Troiana ſub Hercule cepit,
Litoraque intrauit Pagaſaea Colcha carina.
Aeacus huic pater eſt, qui iura ſilentibus illic
Reddit, vbi Aeoliden ſaxum graue Siſyphon vrget.
Aeacon agnoſcit ſummus, prolemque fatetur
Iuppiter eſſe ſuam. Sic ab Ioue tertius Aiax.
Nec tamen haec ſeries in cauſa proſit, Achiui,
Si mihi cum magno non eſt communis Achille.
Frater erat: fraterna peto. Quid ſanguine cretus
Siſyphio, furtisque, et fraude ſimillimus illi
Inſerit Aeacidis alienae nomina gentis?
An quod in arma prior, nulloque ſub indice veni,

25 Multi, *ſilentibus vmbris.* Sed v. Burm. 27 Vulg. *agnouit.* 29 Vulg. *in cauſſam.* 32 Quatuor, *furtoque.* Oxon. *et furto et fraude*, quod praeferebat Heinſ. 33 Plerique, *Inferis.*

Arma neganda mihi? potiorque videbitur ille,
Vltima qui cepit, detrectauitque furore
Militiam ficto: donec sollertior ipso,
Sed sibi inutilior, timidi commenta retexit
Naupliades animi, vitataque traxit in arma?
Optima nunc sumat, qui sumere noluit vlla:
Nos inhonorati, et donis patruelibus orbi,
Obtulimus qui nos ad prima pericula, simus.
Atque vtinam aut verus furor ille, aut creditus, esset;
Nec comes hic Phrygias vnquam venisset ad arces

38 *Sed* non nisi vnus Leid. vnde sumsit Heins. qui malit, *At*. Caeteri *Et*. Plurimi, *ad arma*, et *iurataque traxit*. Duo, *inuitaque*. 40 Florent. S. M. *num sumat*. 43 Vnus Heins. *furor illi*, quod non improbat Burm. si distinguas post *furor*.

lo sub iudice, vt ap. Florum IV, 8. *sub percussore mori*. In his *sub* causam efficientem notat. De simulata Vlyssis insania v. Hygin. fab. 95. *Ei erat responsum, si ad Troiam isset, post vicesimum annum, solum, sociis perditis, egentem domum rediturum. Itaque cum sciret ad se oratores venturos, insaniam simulans, pileum sumsit, et equum cum boue iunxit ad aratrum. Quem Palamedes* (Nauplii filius) *vt vidit, sensit simulare, atque Telemachum filium eius, cunis sublatum, aratro ei subiecit, et ait: Simulatione deposita inter coniuratos veni*. De Telemacho res paullo aliter in Carmine Cyprio narratur. Aegre certe impelli potuit, vt aduersus Troianos proficisceretur. Homer. Od. ω, 119. Idem, sed obscurius, Vlyssi obiicitur ap. Quint. Cal. 193. Sed totum hoc Tragici post Homerum finxerunt, monente etiam Cic. Offic. III, 26. vbi de honestate huius consilii disputat. Ibidem habes hoc idem crimen a poëta antiquo tractatum. *sollertior*, callidior. Quint. Cal. 199. *ὃς σέο φέρτερος ἔσκε βίῃ καὶ ἐὺ φρονι βελῇ*. *sibi inutilior*, suae saluti minus consulens. v. ad 59. *In arma* (pro *ad arma*) *trahere, vocare, venire, mittere* amant poëtae. Commode in rem suam vtitur illa simulatione, *Optima nunc sumat* etc. quibus verbis indignitas rei rursus exprimitur. *inhonorati*, nullo praemio affecti. *ad prima pericula* pro, primi ad pericula, vt vs. 36. *Vltima qui cepit* pro, vltimus.

44 Quint. Cal. 194. *ὡς μὴ ὤφειλες ἰκέσθαι*. Tum eadem, quae hic, exempla commemorantur, Philoctetae et Palamedis, sed iusto breuius, et sine affectuum commotione. *Hortator scelerum*, Vlysses ex Virg. Aen. VI, 529. *Pocantia proles*, Philoctetae, Poeantis filius, sagittas ab Hercule acceperat (IX, 232.), quibus instructus interfuit bello Troiano. Sed in itinere ex colubri morsu in insaniam versus in insula Lemno a Graecis est relictus. Huius rei culpam in Vlyssem confert Aiax. Agamemnonis iussu factum esse tradit Hygin. fab. 102. Sine dubio suaserat Vlysses Agamemnoni, vt iuberet. Iam quid in hac insula per integrum prope decennium peregerit,

Hortator scelerum! non te, Poeantia proles,
Expositum Lemnos nostro cum crimine haberet:
Qui nunc, vt memorant, siluestribus abditus antris,
Saxa moues gemitu, Laertiadaeque precaris,
Quae meruit: quae (si Dî sunt) non vana preceris.
Et nunc ille eadem nobis iuratus in arma,
Heu! pars vna ducum, quo successore sagittae
Herculis vtuntur, fractus morboque fameque,
Velaturque, aliturque auibus; volucresque petendo
Debita Troianis exercet spicula fatis.
Ille tamen viuit, quia non comitauit Vlixen.
Mallet et infelix Palamedes esse relictus.

49 Nonnulli, *Di sint*. Quidam, *Di dent*. Heins. emendabat, *quae Di, Di dent, non vana pr.* aut, *quae, Di dent, o non v. pr.* 53 Multi, *venaturque*. 55 Vulg. *Comitatur*. Multi, *comitatus*.

quantosque cruciatus pertulerit, vt saepe, adfirmantis est, non breuiter hic tangitur, quia ad Graecos loquebatur, quibus illa nota, singula tamen valent ad commiserationem faciendam, inuidiamque creandam Vlyssi. Longiore narratione, eaque luctu plenissima exponitur a Q. Calabro IX, 352—396. vbi Diomedes et Vlysses legati ad eum veniunt, vt, cum sine eius sagittis Ilium expugnari non posse in fatis esset (vnde mox *debita*, destinata, *Troianis fatis*, Troiano excidio, *spicula*) ipsum arcesserent. Ex Attio, qui post Sophoclem, cuius Philoct. exstat, et Eurip. hoc argumentum tractauerat, passim versiculos laudat Cic. et Philoctetae exemplo vtitur in disputationibus de perferendis doloribus. Fin. II, 29. V, 11. Tusc. II, 7.

48 *gemitu*, cum gemitu. Cic. Tusc. d. l. *Adspice Philoctetam! Cui concedendum est gementi. Ipsum enim Herculem viderat in tanta magnitudine dolorum eiulantem*. — *precaris*, imprecaris. *si Di sunt*, cum Di sint. *Si* nunc, quamquam alia ibi odii causa

56 Iam hoc Philoctetae exemplum luctu plenissimum, et ad inuidiam Vlyssi faciendam aptissimum; tamen magis etiam lugendum Palamedem praedicat Vlyssis culpa. De tristi Palamedis sorte v. Hygin. fab. 105. Expositа iam erat in Carmine Cyprio. Attingitur etiam a Virg. Aen. II, 82 sqq. quamquam alia ibi odii causa

Viueret, aut certe letum ſine crimine haberet.
Quem male conuicti nimium memor iſte furoris
Prodere rem Danaam finxit, fictumque probauit
Crimen, et oſtendit, quod iam praefoderat, aurum.
Ergo aut exſilio vires ſubduxit Achiuis,
Aut nece. Sic pugnat, ſic eſt metuendus Vlixes.
Qui, licet eloquio fidum quoque Neſtora vincat,
Haud tamen efficiet, deſertum vt Neſtora crimen
Eſſe rear nullum. Qui, cum imploraret Vlixen
Vulnere tardus equi, feſſusque ſenilibus annis,
Proditus a ſorio eſt. Non haec mihi crimina fingi,
Scit bene Tydides: qui nomine ſaepe vocatum
Corripuit; trepidoque fugam exprobrauit amico.

60 Burm. malit, *quod clam praefoderat*. 63 Baſil. *Fidum fibi*, quod efficacius. 64 *vt* ante *Neſtora* non habent ſeptem libri. v. Burm. ad Quinctil. Decl. XI, 7. 68 Stroz. et Medic. *vocatus*. Vnus Baſil. et Moret. *notatum*, vt ſimul ignauiam ipſi obiiceret, quamquam hoc *corripiat* praeſtat, notante Burm.

commemoratur. Sed nec huius rei mentionem fecit Homer. Adeo multa rebus Troianis addiderunt poſteriores poëtae! *Male conuicti*, magno ſuo dolore, in damnum ſuum conuicti. Itaque minime opus eſt, vt cum pr. Gronov. et tribus aliis Mſſ. legamus, *male conuictum*, ſcil. Palamedem, aut cum Scheppero emendemus, *male conficti* i. fruſtra, temere conficti, quamquam etiam Burm. illam emendat. probat. Et *male* ita, vt dixi, vſurpari docet Drakenb. ad Silium XIII, 50. Sic v. c. Senec. Suaſ. V. *Errat circa damna ſua, et quae male expertus eſt, vota deponit.* Vt ſequentia intelligantur, notanda ſunt haec. Vlyſſes captiuo Phrygi epiſtolam Priami nomine ad Palamedem ſcriptam dedit, in qua ille huic magnam vim auri pollicebatur, ſi ex compoſito caſtra graeca proderet. Simul militem miſit, qui Phrygem non longe a caſtris interficeret. Epiſtola reperta cum Palamedes ad Agamemnonem perductus rem negaret, Graeci auctore Vlyſſe in tentorio quaeſiuerunt, inueneruntque aurum, quod Vlyſſes noctu clam ibi obruerat.

63 Tranſitus iuſto argutior. *fidum* vocat, quia tanto maius crimen, *fidum* ſocium deſerere. Lenzius coniungit *eloquio fidum*, i. fretum eloquentia, vt XI, 125. de Neſſo, *ope fidis equina*. Sed primum dubito, an *fidus* dicatur pro, *fidens*. Deinde Neſtor nihil moliebatur eloquentia ſua fretus. Denique maior ineſt vis, ſi *eloquio* cum *vincat* coniungimus. De Vlyſſis facundia v. Hom. Il. γ, 222. Cum Graeci fulmine Iouis conſternati fugerent, Neſtor relictus eſt tarditate equi, Paridis haſta in ſummo vertice vulnerati. Hectore igitur irruente, Diomedes in ſenis auxilium implorauit Vlyſſem, ſed fruſtra. Il. ϑ, 80. *Proditus* grauius, quam, deſertus. *trepido*, prae metu celeriter fugienti. *exprobrauit*. Hom. vſ. 94. Πῆ φεύγεις, μετὰ νῶτα βαλὼν, κακὸς ὣς, ὀμίλῳ;

70 Grauis haec ſententia eo pertinet, quod auxilio mox ipſe egebat, qui non tulerat. *Mortalia* abſolute et ſubſtantiue ponitur, res humanae. v. Bentlei. ad Horat. A. P. 68. Egebat autem Vlyſſes, cum Troianorum cohortes in eum, Soci haſta vulneratum, irruerent. Tum ter ita *clamabat*, ὅσσον κεφαλὴ χάδε φωτός. Il. λ, 461. Atque haec ignominioſe admodum hic narrantur, Vlyſſemque faciunt ignauam mulierem. *Legem ſibi dixerat*, conditionem ipſe praeſcripſerat, qua tractandus eſſet. *adſum* cum Menelao. *molem clypei*, Hom. vſ. 485. Φέρων σάκος ἠύτε πύργον. Idem beneficium ingrato exprobrat ap. Quint. Cal. 201 ſqq. ſed non tam graphice et contumelioſe, vt hic *iacentem*. Ap. Hom. etiam vulneratus fortiter pugnat, et poſtea Menelaus eum manu ducit e proelio.

82 *Secum Deos in proelia ducit.* Apollo miſſus a Ioue anteibat Hectorem, nube tectus aegideque armatus, terrebatque Graecos, vt fugerent. Homer. Il. ο, 220 ſqq. 307. 326. Verum non tum *pondere*, i. ſaxo, *fundebat*, ad terram dabat, Hectorem, ſed hoc iam antea factum erat. Il. ξ, 416 ſqq. Itaque Ouidius aut diuerſa miſcuit, aut alios auctores ſecutus eſt, et quidem eosdem, quos Dictys Cretenſis, qui lib. II. vbi de pugna ad naues Graecorum loquitur, *Tum iam cedentibus*, inquit, *acrior inſiſtens* Aiax, *Hectorem, qui aduerſum eum promtius ſteterat, ictum immani ſaxo, ac mox conſternatum eiicit.* Mſſ. tamen magno numero pro *pondere* habent, *vulnere. trahit* terrorem exquiſitius, quam, facit terrorem.

Adſpiciunt oculis Superi mortalia iuſtis.
En eget auxilio, qui non tulit: vtque reliquit,
Sic linquendus erat. Legem ſibi dixerat ipſe.
Conclamat ſocios: adſum, videoque trementem
Pallentemque metu, ac trepidantem morte futura.
Oppoſui molem clypei; texique iacentem;
Seruauique animam (minimum eſt hoc laudis) inertem.
Si perſtas certare, locum redeamus in illum:
Redde hoſtem, vulnusque tuum, ſolitumque timorem:
Poſt clypeumque late: et mecum contende ſub illo.
At poſtquam eripui, cui ſtandi vulnera vires
Non dederant, nullo tardatus vulnere fugit.
Hector adeſt, ſecumque Deos in proelia ducit:
Quaque ruit, non tu tantum terreris, Vlixe;

73 Tres, *texique latentem*, mox repetit, *poſt clypeumque late*. quod non improbat Burm. quia *vultumque tuum*. male. v. Burm. 78 Schepper. corrigit, *hoſtem*

Sed fortes etiam: tantum trahit ille timoris.
Hunc ego sanguineae successu caedis ouantem
Cominus ingenti resupinum pondere fudi.
Hunc ego poscentem, cum quo concurreret, vnus
Sustinui: sortemque meam vouistis, Achiui:
Et vestrae valuere preces. Si quaeritis huius
Fortunam pugnae; non sum superatus ab illo.
Ecce ferunt Troës ferrumque, ignemque, Iouemque
In Danaas classes: vbi nunc facundus Vlixes?
Nempe ego mille meo protexi pectore puppes,
Spem vestri reditus. Date tot pro nauibus arma.
Quod si vera licet mihi dicere, quaeritur istis,
Quam mihi, maior honos: coniunctaque gloria nostra
Atque Aiax armis, non Aiaci arma petuntur. (est:

84 Decem, *ille furoris.* *fouistis.* 92 Vulg. *vbi tunc.* *reditus.* 89 Permulti, *nouistis.* Heins. coni. 94 Sex, in quibus Oxon. *nostri*

Cominus ex vno Mf. Oxon. recepit Heins. pro *eminus*, quod reliq i tuentur omnes. Caussam reddit hanc: „Plus enim laudis Aiaci, quod cominus cum Hectore erat congressus, quam si eminus congressus fuisset.“ Verum hoc non sufficit. Lenzius contra putat, τὸ *eminus* magis testari Aiacis robur. Apud Homer. quidem lapide fundit Hectorem, postquam is se iam receperat ad suos, adeoque eminus, sed apud Dictyn cominus. *resupinum.* Ὕπτιοι apud Homer. plerumque cadunt vulnerati.

87 *Poscentem*, prouocantem ad certamen singulare. Il. η, 67 sqq. Hoc igitur diu ante factum. *concurrere* de certamine singulari. *sustinere* de eo, qui parem se praebet aduersario viribus. Obtulerunt se ad hoc certamen nouem heroës, e quibus vnum sorte eligendum esse auctor fuit Nestor. Tum Graeci *vouerunt sortem Aiacis* (quod Burm. dubitat an satis latinum sit), vota, preces fecerunt, vt sors Aiacis exiret; quamquam et duos alios voto suo comprehenderunt. Vouerunt enim his verbis: Ζεῦ πάτερ, ἢ Αἴαντα λαχεῖν, ἢ Τυδέος υἱόν, ἢ Αὐτὸν βασιλῆα πολυχρύσοιο Μυκήνης. vs. 179. *Valent preces* et *vota* (vs. 128.), cum fit, quod voueramus, precati eramus. *Non sum superatus*, imo cum hastis nihil profeciſſent, et res ad saxa venisset, tum quoque ingenti saxo strauit Hectorem. vs. 270. *fortuna*, exitus pugnae.

91 V. Il. ο, 384 sqq. Eadem res intel. quae vs. 82. Elegans partic. *vbi* vsus in exprobrationibus et irrisionibus. Heroid. IV, 150. *vbi nunc fastus altaque verba iacent?* Ibi Heins. permulta exempla collegit. *nunc* rectius, quam vulg. *tunc.* v. ad I, 321. *Nempe ego* etc. Il. ο, 743 sqq. Est autem *nempe* vox eius, qui ipse sibi respondet.

95 sqq. Praeclara foret haec sententia, si alius eam de Aiace

Conferat his Ithacus Rhesum, imbellemque Dolona,
Priamidenque Helenum rapta cum Pallade captum.
Luce nihil gestum, nihil est Diomede remoto.
Si semel ista datis meritis tam vilibus arma;
Diuidite, et pars sit maior Diomedis in illis.
Quo tamen haec Ithaco? qui clam, qui semper inermis

99 Multi, *casta* vel *capta cum Pallade.* 101 Permulti, *Si tamen.* 102 Vnus Heins. *Et pars sit melior*, vt saepe *bona pars.*

dixisset, non ipse de se. Simile illud ap. Valer. Max. VII, 5, 6. *Non Catoni praetura, sed praeturae Cato negatus est. quaeritur,* comparatur.

98 *Rhesus*, rex Thracum, equos habebat maximos et pulcherrimos. Il. κ, 435. Eum cum sociis interfecit Diomedes. Inter caedem operam dedit Vlysses, vt eius equis potiretur. vs. 489 sqq. *Dolon*, Troianus, facie turpis, sed pedibus velox, explorator venit in castra Graecorum. Cognitum persecuti sunt Diomedes et Vlysses. Cum captus esset, pallidus et tremens auro aereque vitam redimere voluit; hinc *imbellis* Dolon: sed Diomedes eum interfecit ense. Il. κ, 314 sqq. Fortem inducit Dolonem Virg. Aen. XII, 346 sqq. *Pallas*, Palladium, e coelo delapsum et antiqua religione cultum a Troianis, quod ab Vlysse et Diomede, noctu clanculum vrbem Troianam ingressis, ablatum esse, antiqua fuit narratio, quam secuti sunt etiam Eurip. Rhes. 501. Virg. Aen. II, 164. Quintus Cal. X, 346. De *Heleno*, Priami filio, ab Vlysse rapto cf. Sophocl. Philoct. 601 sqq. qui tamen nec Diomedis mentionem facit, nec dicit hoc factum esse, cum Palladium raperetur. Nempe *cum* non indicat, idem eodem tempore factum, sed duo diuersa coniungit, et Helenum captum, et Pallada raptam. Ob hanc Vlysses ap. Antisth. p. 53 et 55 sacrilegus vt. ἐφοσυλήσας τὸ ἄγαλμα τῆς θεᾶς νύκτωρ. — *in illis*, illorum, vt vs. 311. *in illo*, illius.

103 Inutilia, quin adeo pernicioſa haec arma Vlyssi. Hoc maximam in Vlyssis ignominiam tractat. *furtis*, insidiis et dolis. *nitor galeae.* Achillis enim galea, ἀστὴρ ὡς ἀπέλαμπεν. Il. τ, 381. Quint. Cal. V, 102. Ouid. hic cumulauit verba, quandoquidem *nitor*, *clarus et radiare* eodem redeunt. Quod tamen cum saepius fecerit Ouidius, neque h. l. vitioſe, non erat, cur Burm. emendaret, *ferro radiantis et auro*, cum explicatione: ferreae enim erant et auro inductae, ferrum vero in splendorem erat datum. Sed si auro inductae, non poterat nitor ferri (*lumen ferri* dixit Valer. Flac. III, 100) cerni. De *radiare* v. ad II, 4. *Manifestare*, facere, vt latens in oculos incurrat. v. Burm. qui monet, vsurpatum esse ap. Ouid. ad imitationem graeci δηλεῖν, nec aptius huic rei exprimendae superesse verbum. Pro *latentem* Oxon. et duo alii Mss. *pauentem*, quod valde adblanditur, et satis poëticum videtur Schirachio „nempe, inquit, qui pauet, eius galea quasi tremit, et radiat aurum magis, cum trepidat.“ Hoc vero est argutari! Si hoc voluisset Ouidius, notatione dignus esset, qui irato et

Rem gerit; et furtis incautum decipit hostem?
Ipse nitor galeae, claro radiantis ab auro,
Insidias prodet, manifestabitque latentem.
Sed neque Dulichius sub Achillis casside vertex
Pondera tanta feret. Nec non onerosa, grauisque
Pelias esse potest imbellibus hasta lacertis.
Nec clypeus, vasti caelatus imagine mundi,
Conueniet timidae, nataeque ad furta sinistrae.
Debilitaturum quid te petis, improbe, munus?
Quod tibi si populi donauerit error Achiui,
Cur spolieris, erit; non, cur metuaris ab hoste.
Et fuga, qua sola cunctos, timidissime, vincis,
Tarda futura tibi est, gestamina tanta trahenti.
Adde, quod iste tuus, tam raro proelia passus,
Integer est clypeus: nostro, qui tela ferendo
Mille patet plagis, nouus est succesSor habendus.
Denique, quid verbis opus est? spectemur agendo:
Arma viri fortis medios mittantur in hostes:

105 Faber corr. *cono radiantis ab aureo.* 108 Burm. melius placet, quod habet Medic. *ferat*, et mox, *conueniat.* 110 Florent. et Medic. *concretus imagine*, cum glossa, *id est, pictus.* 117 Quidam, *vulnera passus.* Saepe *vulnera pati.* Sed Burm. recte praefert *proelia*, quia si raro *vulnera* esset passus clypeus, aliqua tamen haberet, nec esset integer.

connicianti Aiaci talem ingenii lusum tribuisset. Neque hic de pauore Vlyssis sermo est, sed de insidiis. Aliter ap. Antiph. p. 53. δειλὸς κἀδεὴς ἂν ἐπιστήμοις ὅ-πλοις χρήσαιτο, εἰδὼς, ὅτι τὴν δειλίαν αὐτῶ ἐκφαίνει τὰ ὅπλα. *Sed neque* etc. Hanc membrorum debilitatem Aiax ei obiicit etiam ap. Qu. Cal. 224. *Dulichium*, insula prope Ithacam, quae tamen secundum Hom. alii regi seruiebat. De *Pelinde hasta* v. ad XII, 73. Sed inprimis nobilitatus est Homeri Il. σ, 468 — 607. descriptione, (quacum cf. Quint. Cal. V, 5. — 101.) et recentiorum disputationibus. *clypeus* Achillis, Vulcani opus. *caelatus imagine vasti mundi*, in quo coelum cum sideribus, terra non modo cum fluuiis, mari et vrbibus, sed etiam cum omnibus iis, quae cadunt in vitam humanam, figuris eminentibus expressa erant. De v. *caelare* v. ad II, 6. *natae ad furta.* v. ad XV, 116. et 120.

116 *Trahere* eleganter de pondere, quod tardat incedentem et fugientem. Virg. G. IV, 94. de obeso, *latam trahens inglorius aluum.*

121 Seneca Controv. II, 11. de Ouidio: *Adeo autem studiose Latronem audiuit, vt multas eius sententias in versus suos transtulerit. In armorum iudicio dixerat Latro: Mittamus, arma in hostes, et petamus. Naso dixit: Arma viri fortis* etc. Simile quid Q. Cal. 218 sqq. habet.

Inde iubete peti, et referentem ornate relatis.
Finierat Telamone satus, vulgique secutum *Vlyssis.*
Vltima murmur erat: donec Laërtius heros
Adstitit, atque oculos paulum tellure moratos
Sustulit ad proceres, exspectatoque resoluit
Ora sono: neque abest facundis gratia dictis.
Si mea cum vestris valuissent vota, Pelasgi,
Non foret ambiguus tanti certaminis heres:
Tuque tuis armis, nos te poteremur, Achille.
Quem quoniam non aequa mihi vobisque negarunt
Fata; (manuque simul veluti lacrimantia terSit
Lumina) quis magno melius succedat Achilli,
Quam per quem magnus Danaïs successit Achilles?

123 *Finierat* orationem, perorauerat causSam suam. *Murmur* et alias *fremitus*, sermo multorum promiscue loquentium. *Adstitit.* surrexit ad eos. *oculos — moratos* ex Homer. Il. γ, 217 sqq. vbi hoc moris Vlyssi fuisse traditur, vt, antequam verba facere inciperet, staret oculis in terram defixis, immotoque sceptro. CauSSam, cur hoc ita finxerit Homerus, reddit Quinctil. Inst. XI, 3, 158. *Mire auditurum dicturi cura deiecerat, et iudex se ipse composuit. Hoc praecipit Homerus Vlixis exemplo, quem fletisse oculis in terram defixis, immotoque sceptro, priusquam illam eloquentiae procellam effunderet, dicit.* Vt igitur Aiax toruo vultu indignitatem rei profitebatur, sic VlyssES modestiae gratia audituris se commendat. *exspectato*, quia nota omnibus eius facundia. *neque abest* etc. Burm. putat, haec a Propert. I, 2, 29. sumta, *nec desit iucundis gratia verbis*, itaque et ibi malit *facundis*. Sine causSa. — Dicit autem Vlysses oratione seq. composite, moderate, callide, et vbi Aiacis nonnulla et crimina et argumenta diluit, opera sua mirifice enarrat.

128 Incipit cum pio voto, sibi et auditoribus communi, idque fictis adeo lacrimis confirmat. *Valuissent vota.* v. ad vs. 89. *Non foret — heres*, non ambigeretur, quis possideret illa arma, de quibus iam certatur, quorum heres Aiax esse magna contentione vult. *poteremur* antique pro, *potiremur.* v. Heins. et Burm. *potiri* nunc, vti, possidere. *melius*, meliore iure. Tan. Faber neminem natum arbitrabatur, a quo doceri posset, quid sibi hoc vellet, *Danais successit Achilles*, itaque corrigebat, *accessit.* At facile doceri poterat, *succedere* centies poni pro, accedere. Omnia enim sunt illa, *succedere antro, muro, vrbi*, et XI, 142. *succedere aquae.* Igitur et nunc, quo auctore numero Graecorum accessit Achilles. Et de industria hoc idem verb. repetitum, quia quasi vim argumenti habet.

Huic modo ne profit, quod, vt est, hebes esse videtur:
Neue mihi noceat, quod vobis semper, Achiui,
Profuit ingenium: meaque haec facundia, si qua est,
Quae nunc pro domino, pro vobis saepe locuta est,
Inuidia careat: bona nec sua quisque recuset.
Nam genus, et proauos, et quae non fecimus ipsi,
Vix ea nostra voco. Sed enim, quia retulit Aiax
Esse Iouis pronepos, nostri quoque sanguinis auctor
Iuppiter est, totidemque gradus distamus ab illo.
Nam mihi Laërtes pater est, Arcesius illi,
Iuppiter huic: neque in his quisquam damnatus, et
Est quoque per matrem Cyllenius addita nobis (exsul.
Altera nobilitas. Deus est in vtroque parente.
Sed neque materno quod sum generosior ortu,
Nec mihi, quod pater est fraterni sanguinis insons,
Proposita arma peto: meritis expendite caussam.
Dummodo quod fratres Telamon, Peleusque fuerunt,
Aiacis meritum non sit: nec sanguinis ordo,
Sed virtutis honos spoliis quaeratur in iitis.
Aut si proximitas, primusque requiritur heres,
Est genitor Peleus, est Pyrrhus filius illi,
Quis locus Aiaci? Phthiam Scyronue ferantur.

135 Vnus Baf *hebes esse fatetur*, vt sit Graecismus, quem illustrat Heins. et qualis mox vs. 142.

135 *Huic modo* etc. vid. ad vs. 34. *hebes*, destitutus *ingenio*, h. e. prudentia et facundia, quam vtramque virtutem Vlyssis spreverat Aiax. Eam autem Vlysses et praeclare commendat, *quod vobis semper profuit, quae pro vobis saepe locuta est*, et modeste, *si qua est*, tum, *bona nec sua* (quae ipse sibi *fecit*, parauit, non autem natura ei tribuit) *quisque* (quisquam) *recuset*, recusset iis vti. *dominus facundiae*, vt *dominus artis* I, 524. qui eam nouit et exercet. Cf. Q. Cal. 290.

140 Verissime de generis nobilitate iudicat, quam non spreuisset, nisi sciuisset, meritis se posse contendere cum Aiace. *esse pronepos* graeca syntaxis, se esse pronepotem. *damnatus et exsul*, qualis Peleus, quamquam nec Telamon *fraternae caedis insons* ex nonnullorum opinione. v. XI, 267 sqq. Sic vicissim Vlysses Aiaci quandam generis maculam obiicit. cf. vs. 26. *Mater* Vlyssis fuit Anticlea, Autolyci filia, Mercurii neptis. Od. λ, 84. *in parente vtroque*, in stemmate vtriusque parentis. Commode repetit duo illa, quibus sua nobilitas maior Aiacis.

151 Non potest Aiax hereditario iure niti. *Spolia* alias arma hosti detracta, h. l. arma exstincti relicta. *In iitis* tradendis novo domino non *quaeratur*, respiciatur, *sanguinis ordo*, consanguinitas. Sed *virtutis honos*, virtus, quae hoc honore et praemio sola digna est. *proximitas* etiam X, 340. — Cum Achilles in insula *Scyro* lateret, rem habuit cum Deidamia, regis filia, ex qua natus est *Pyrrhus*. Apollod. III, 13, 8. *sperat* fore *vt*.

Nec minus est isto Teucer patruelis Achilli.
Num petit ille tamen, num sperat, vt auferat arma?
Ergo operum quoniam nudum certamen habetur;
Plura quidem feci, quam quae comprendere dictis
In promtu mihi sit: rerum tamen ordine ducar.
Praescia venturi genitrix Nereïa leti
Dissimulat cultu natum: deceperat omnes,
In quibus Aiacem, sumtaé fallacia vestis.
Arma ego femineis, animum motura virilem,
Mercibus inserui. Neque adhuc proiecerat heros
Virgineos habitus, cum parmam hastamque tenenti
Nate Dea, dixi, tibi se peritura reseruant
Pergama. Quid dubitas ingentem euertere Troiam?
Iniecique manum, fortemque ad fortia misi.

151 Multi, *est isti*, *illi*, *istic* aut *illic*. 158 *num sperat, vt auferat arma* dedit. Heins. ex Calandr. Exc. quart. Medic. et Iun. Vulg. *num si petat, auferat arma?* 166 Duo, *deiecerat*, quod non displicet Burm. Heins, malebat, *reiecerat*, improbante Burm. 169 Quidam, *vertere*.

159 *Nudas*, vt *γυμνὸς*, eleganter pro, solus. v. Drakenb. ad Silium I, 219. *rerum ordine ducar* pro vulg. rem ordine referam, quod sollemne in principio narrationum. v. IX, 5.

162 Cf. Apollod. III, 13, 8. Hygin. fab. 96. Festiue et iocose res narratur A. A. I, 689 sqq. *praescia venturi*, futuri, *leti*, nempe filium, si ad Troiam proficisceretur, periturum. *dissimulat cultu*, vestitu virgineo tectum in Scyron insulam misit ad Lycomedem, vbi inter virgines latuit. Secundum Schol. Hom. Il. τ, 332. Vlysses, Phoenix et Nestor oratores missi sunt ad Lycomedem, non autem *Aiax*. Vlysses in vestibulo regio deposuit *femineas merces*, instrumenta textoria. Schol. Hom. *ἐργαλεῖα*. *Arma inserui* Schirach. explicat, arma indui latenti Achilli. Imo, arma addidi istis mercibus. Addunt alii, Vlyssem tubicinem iussisse canere, armorumque crepitum fieri, quo strepitu commotum Achillem clypeum hastamque arripuisse. Sed in verbis, *neque adhuc proiecerat — dixi*, mira est breuitas. *tibi se reseruant* tamquam sponte id faciant, quod fato accidebat. Burm. fabulam inde ortam putat, quod Achilles tum *ἀγάμους* fuerit; hoc enim moris fuisse apud Graecos, vt *νεωστὶ γεγαμηκότας* absoluerent militandi munere. *Ingens Troia* etiam vs. 505.

Ergo opera illius, mea ſunt. Ego Telephon haſta
Pugnantem domui: victum orantemque refeci.
Quod Thebae cecidere, meum eſt: me credite Leſbon,
Me Tenedon, Chryſenque, et Cyllan, Apollinis vrbes,
Et Syron cepiſſe: mea concuſſa putate
Procubuiſſe ſolo Lyrneſia moenia dextra.
Vtque alias taceam; qui ſaeuum perdere poſſet
Hectora, nempe dedi: per me iacet inclytus Hector.
Illis haec armis, quibus eſt inuentus Achilles,
Arma peto: viuo dederam, poſt fata repoſco.
Vt dolor vnius Danaos peruenit ad omnes,
Aulidaque Euboicam complerunt mille carinae;
Exſpectata diu, nulla, aut contraria claſſi,
Flamina ſunt: duraeque iubent Agamemnona ſortes
Immeritam ſaeuae natam mactare Dianae.
Denegat hoc genitor, Diuisque iraſcitur ipſis:
Atque in rege tamen pater eſt. Ego mite parentis
Ingenium verbis ad publica commoda verti.

177 *Alias* e Flor. et vno Medic. dedit Heinſ. vt ad ciuitates expugnatas referatur. Caeteri, *alios*.

et Virg. Aen. III, 462. Referendum τὸ *ingens* vel ad ambitum vrbis (Senec. Troad. 22. victor *lentum Ilium Metitur oculis, ac decem tandem ferus Ignoſcit annis.*) vel ad gloriam. Virg. Aen. II, 325.

171 Operum Achillis indiculum iam XII, 105 ſqq. habuimus, vbi vide not. Etiam ap. Q. Cal. 256 ſqq. de eo gloriatur, quod Achillem adduxerit. Sed longius progreditur, et ſingula quoque eius opera ſibi vindicat, quemadmodem vſ. 236 ſ. partem adeo rerum ab ipſo Aiace geſtarum.

197 *faeuus*, fortis, frequens bellatorum epitheton. *nempe*, certe. Phaedr. II, 2, 2. *nempe exemplis diſcimus. per me*, mea virtute. *quibus eſt inuentus*, quorum auxilio eſt detectus. Immo arma Achillis, de quibus iam certabatur, alia erant, a Vulcano fabricata et accepta.

181 *Vnius*, Menelai, *dolor* ob ereptam coniugem, *peruenit ad omnes*, quatenus omnes iniuriam ei illatam vlciſci voluerunt. Cf. A. A. I, 688. *Sortes*, reſponſum Calchantis. Epitheta *immeritam* et *faeuae* non ſatis commode addita; ita enim apparet, Vlyſſem adiuuiſſe rem atrocem. *Denegat hoc*, totumque adeo exercitium dimitti iubet. *In rege tamen pater eſt.* v. ad XII, 29. *Ego mite — verti*, ego *verbis*, facundia mea, perſeci, vt rex depoſito affectu paterno mallet commodis publicis ſatisfacere. *Vertere* cum praepoſ. *ad* mutationem conſilii, affectus etc. indicat. v. Burm. ad Phaedr. I, 31, 5. Conatus ſuos et propter difficultatem, et quia eloquentia opus

Nunc equidem fateor, faſſoque ignoſcat Atrides;
Difficilem tenui ſub iniquo iudice cauſſam.
Hunc tamen vtilitas populi, fratriſque, datique
Summa mouet ſceptri, laudem vt cum ſanguine penſet.
Mittor et ad matrem, quae non hortanda, ſed aſtu
Decipienda fuit. Quo ſi Telamonius iſſet,
Orba ſuis eſſent etiamnum lintea ventis,
Mittor et Iliacas audax orator ad arces:
Viſaque, et intrata eſt altae mihi curia Troiae:
Plenaque adhuc erat illa viris. Interritus egi,
Quam mihi mandarat communis Graecia, cauſſam:
Accuſoque Parin, praedamque, Helenamque repoſco:
Et moueo Priamum, Priamoque Antenora iunctum.
At Paris, et fratres, et qui rapuere ſub illo,
Vix tenuere manus (ſcis hoc, Menelae) nefandas;

189 Heinſ. putat, *Nunc* (*equidem fateor* etc) *difficilem tenui* c. 191 Vulg. *fraterque*, aeque bene. Et reuocauit Mitſcherl. Mox multi, *Cura mouet ſceptri*, quae varietas etiam V F ſ. 72. Burm. addit, ita *curam* pro imperio millies poni. 193 Quatuor, *oranda*. 195 Quidam *carbaſa ventis*.

erat, cum *cauſſa* forenſi comparat, cui praeeſt *iniquus iudex*, qui aduerſatur petenti. *tenere cauſſam* etiam apud Cic. pro, vincere, obtinere cauſſam. *ſumma ſceptri dati*, ſumma imperii (vt Cic. loquitur), ſummum imperium, cuius ſignum eſt ſceptrum, ei creditum. Agamemnon ἀχηττέχος apud Homer. v. c. Il. α, 279. *laudem cum ſanguine penſare*, gloriam et ſanguinem filiae in trutina ponderare, h. e. non ſolum affectu paterno, ſed gloriae etiam ſtudio duci.

193 *Mittor et ad matrem* vel ſolus, vel Diomede comite, ad Iphigeniam arceſſendam. Illam *aſtu decepit*, mentiens, filiam nupturam eſſe Achilli. Sic etiam Dictys Cretenſis lib. I. et Hygin. fab. 98. Verum apud Eurip. Iph. Aul. Menelaus vertit animum fratris, Iphigenia autem cum Clytaemneſtra ipſius Agamemnonis literis arceſſitur in caſtra. — *ſuis*, ſibi fauentibus, ſecundis.

196 Vlyſſes cum Menelao ante bellum ſuſceptum Ilium miſſus erat ad Priamum, vt Helenam repeteret. Il. γ, 205. In hac narratione ſingula valent ad *audaciam*, qua opus fuerit in hac legatione, declarandam. *arces* pro ſingulari arx, Pergamus. v. vſ. 344. *alta Troia*, Ἰλιὸς αἰπεινή Il. ν, 773. vt αἰπεινὴ Γονόεσσα Il. β, 573. Quia vrbes capitales olim ſecuritatis cauſſa in montibus aedificari ſolebant, hinc *altae vrbes*, magna, bene munita. v. Fabri Archaeologiam p. 272. Lenzius vero l. l. non niſi acropolin intel. Ibi, ante Priami aedes, concio-

Primaque lux noſtri tecum fuit illa pericli.
Longa referre mora eſt, quae conſilioque, manuque
Vtiliter feci ſpatioſi tempore belli.
Poſt acies primas, vrbis ſe moenibus hoſtes
Continuere diu: nec aperti copia Martis
Vlla fuit: decimo demum pugnauimus anno.
Quid facis interea, qui nil, niſi proelia, noſti?
Quis tuus vſus erat? nam ſi mea facta requiris,
Hoſtibus inſidior: foſſas munimine cingo:
Conſolor ſocios, vt longi taedia belli
Mente ferant placida: doceo, quo ſimus alendi,
Armandiue modo: mittor, quo poſtulat vſus.
Ecce Iouis monitu, deceptus imagine ſomni,
Rex iubet incepti curam dimittere belli.

211 Iunian. et Leid. *requiras*. Probat Burm.

nes fieri ſolebant. Il. *ν*, 345. Eum locum Noſter *curiam* vocat ex vſu Romano. De legatione autem illa cf. et Carm. Cypr. *praedam*, opes, quas vna cum Helena abduxerat Paris. Il. *ν*, 363. *Antenor*, Priamo affinitate *iunctus* pacem ſuaſit. Homer. Il. *ν*, 363. *Antenor*, Priamo affinitate *iunctus*, pacem ſuaſit. Homer. Il. *ν*, 348 ſqq. Eam ob cauſſam omne ius belli ab eo abſtinuiſſe Achivos memorat Liv. I, 1. *qui rapuere ſub illo*, miniſtri, qui illo duce Helenam rapuere. *tenuere*, retinuere. *nefandas*, quia legatis intentabantur.

210 Seqq. praeclare oſtendunt, quantum valeat in bello conſilium, nec parum premunt Aiacem. Putidus in hoc argumento eſt Vlyſſes ap. Quint. Cal. vſ. 238 ſqq. vbi, tamquam in ſchola verſaretur, plurimis exemplis et rationibus docet, quanta ſit vis eloquentiae et ſapientiae. *Munimen* illud, *ἀλεωρὴν*, deſcribit Homer. Il. *μ*, 52—57. Foſſam latam vtrimque cingebant praecipitia decliuia, *κρημνοὶ ἐπηρεφέες*, deſuper valli acuti, *σκόλοπες ὀξέες*, defixi erant. Sed illa opus Vlyſſis fuiſſe, Homerus non dicit.

216 Heinſium offendebat concurſus plurium ſubſtantiuorum vni verbo iunctorum; itaque ſuadebat, *Ecce Iouis monitos deceptus imagine ſomnos*. Duriſſimus graeciſmus. Sed illum concurſum non eſſe inſolentem, et *monitu* dictum pro, *ex monitu*, oſtendit Burm. *Monere* autem eſſe verb. ſomniorum, iam ſaepius vidimus, v. c. IX, 700. Caeterum quod hic commemoratur, ſumtum ex Il. *β*, 1—332. Iupiter, perniciоſo ad Agamemnonem ſomnio miſſo, monuit, vt inuaderet Troianos; fore enim, vt vrbem eorum capiant. Agamemnon autem, vt tentaret milites, iuſſit *incepti curam dimittere belli*, deſiſtere a bello, atque nauibus in mare deductis in patriam redire. Quod vix audiuerant milites, cum laeti magnoque cum clamore ad naues feſtinarent, reditumque pararent.

Ille poteſt auctore ſuam defendere cauſſam,
Non ſinat hoc Aiax, delendaque Pergama poſcat;
Quodque poteſt, pugnet. Cur non remoratur ituros?
Cur non arma capit? dat, quod vaga turba ſequatur?
Non erat hoc nimium nunquam niſi magna loquenti.
Quid? quod et ipſe fugis? vidi, puduitque videre,
Cum tu terga dares, inhoneſtaque vela parares.
Nec mora, Quid facitis? quae vos dementia, dixi,
Concitat, o ſocii, captam dimittere Troiam?
Quidue domum fertis decimo, niſi dedecus, anno?
Talibus atque aliis, in quae dolor ipſe diſertum
Fecerat, auerſos profuga de claſſe reduxi.
Conuocat Atrides ſocios terrore pauentes:
Nec Telamoniades etiam nunc hiſcere quidquam
Auſit: at auſus erat reges inceſſere dictis
Therſites, etiam per me haud impune, proteruis.
Erigor, et trepidos ciues exhortor in hoſtem,
Amiſſamque mea virtutem voce repoſco.
Tempore ab hoc, quodcunique poteſt feciſſe videri

218 Vulg. *defendere vocem*. Quidam, *culpam*. 229 Vulg. *aduerſos*, et mox Langerm. et Argent. *retraxi* Sed Burm. alterum retinet, quia profugi facundia Vlyſſis moti et in pudorem dati facile et quaſi ſua ſponte redierint. 232 Magna hic varietas. *Auſit. at auſus erat* ductu Mſſ. dedit Heinſ. 235 Multi, *voce refundo*. Berneg. pr. Baſ. et Arond. pro diuerſa lect. *repono*. Vnus, *rependo*. Heinſ. putat, *reprendo*, vt ad fugientes ſocios reſpiciat.

Hic Vlyſſes vnus fuit, qui feſtinantes vel verbis reduxit, vel verberibus coercuit, et pro concione milites ad bellum continuandum cohortatus eſt. Hom. vſ. 284 ſqq. In hoc igitur nunc exſultat eius oratio *auctore*, auctoritate Iouis, quem ſibi ſuaſiſſe reditum mentiebatur. — *dat*, vel proponit conſilium, vel dat exemplum. *magna loq.* I, 751.

226 *Captam*, iam capiendam, quam obſidebant, vt caperent. Sic *captiuum coelum* I, 184. et *captas iam deſpectare terras* ap. Virg. Aen. I, 396. vbi valde laborarunt Intt. *dimittimus* loca ea, a quibus abimus.

229 *Auerſos* a Troia, aut etiam, ego auerti eos a claſſe, qua fugam parabant, et inde reduxi in caſtra.

233 *Therſites*, homo omnium turpiſſimus, ſolebat *κατὰ κόσμον ἰρίζειν βασιλεῦσιν*, et tum maxime Agamemnoni. Eum Vlyſſes ſceptro percutiebat, vt vibex cruenta in dorſo exoriretur. Il. *β*, 266. Caeterum peracerba comparatio Aiacis cum Therſita.

Fortiter iſte, meum eſt, qui dantem terga retraxi.
Denique de Danais quis te laudatue petitue?
At ſua Tydides mecum communicat acta;
Me probat; et ſocio ſemper confidit Vlixe.
Eſt aliquid, de tot Graiorum millibus vnum
A Diomede legi. Nec me ſors ire iubebat:
Sic tamen et ſpreto noctisque hoſtisque periclo,
Auſum eadem, quae nos, Phrygia de gente Dolona
Interimo: non ante tamen, quam cuncta coëgi
Prodere, et edidici, quid perſida Troia pararet.
Omnia cognoram, nec, quod ſpecularer, habebam:
Et iam promiſſa poteram cum laude reuerti.
Haud contentus ea, petii tentoria Rheſi,
Inque ſuis ipſum caſtris comitesque peremi:
Atque ita captiuo victor votisque potitus,

237 Vulg. *quem dantem.* Sed v. Burm. 240 Florent. *Vlixi.* v. Burm. ad X, 69. 244 Heinſ. coni. *Auſum eadem nobis.* 247 Vulg. *nec quid ſpecularer*, vt Virg. Ecl. II, 2. 248 *Praemiſſa* e compluribus recepit Heinſ. qui et *promerita* legi poſſe putabat.

237 *Qui* poſt *meum eſt*, vt III ex Pont. 4, 91. *Nec mea verba leges, qui ſum ſubmotus ad Iſtrum.* Et ſic ſaepius.

238 *Petitue*, comitem in periculis adeundis. *mecum communicat acta*, me ſocium ſumit actorum. *Diomedis* laus ſumma inter Graecos. Dictus eſt δαίμονι ἴσος, Homer. Il. ε, 438. quippe Martem etiam et Venerem vulnerare auſus. Sed in Theodectae Aiace alia reddebatur cauſſa, cur is Vlyſſem potius ſocium actorum ſuorum appetierit: ὅτι ὁ Διομήδης προείλετο Ὀδυσσέα, ἀ τιμῶν, ἀλλ' ἵνα ἥττων ᾖ ὁ ἀκολαθῶν. Ariſtot. Rhet. II, 23. *Eſt aliquid.* v. ad XII, 93. Cf. Q. Cal. 253 — 5. vbi idem vrgetur.

243 *Sic tamen*, licet ſorte nulla iuſſus ire. Similiter *ſic quoque* VIII, 603. et alibi. *Auſum eadem, quae nos*, explorare caſtra hoſtilia. De *Dolone* et *Rheſo* v. ad vſ. 98 *perſida Troia*, vel quia Paris hoſpitii iure violato perfidus Horat. I od. 15, 1. 2.). vel propter id, quod XI, 205 ſqq. narratum eſt. Sed Vlyſſes hic eam ſibi laudem ſoli vindicat, quae ſecundum Homer. maximam partem debebatur Diomedi. *Praemiſſa cum laude reuerti* recte drr. imperator e bello, cum Fama aut literae ipſius militumque rerum ab eo geſtarum gloriam iam divulgarunt in patria. Sed an idem aeque bene de hoc facinore nocturno dicatur, dubito. Praeſtat haud dubie lect. vulg. *promiſſa cum laude*, quam etiam Tan. Faber defendit, cum gloria, vel quam mihi ex hoc facinore promiſeram, (*ſibi promittere* pro ſperare etiam XI, 662.) vel quam mihi Graeci promiſerant. Nempe Neſtor ei promiſerat μέγα κλέος. Il. κ, 212. Lenzius praefert *praemiſſa*, vt doctiorem lect.

Ingredior curru laetos imitante triumphos.
Cuius equos pretium pro nocte popoſcerat hoſtis,
Arma negate mihi: fueritque benignior Aiax.
Quid Lycii referam Sarpedonis agmina ferro
Deuaſtata meo? cum multo ſanguine fudi
Coeranon Hippaſiden, Alaſtoraque, Chromiumque,
Alcandrumque, Haliumque, Noëmonaque, Prytanin-
Exitioque dedi cum Cherſidamante Thoona. (que:
Et Charopen, fatisque immitibus Ennomon actum:
Quique minus celebres noſtra ſub moenibus vrbis
Procubuere manu. Sunt et mihi vulnera, ciues,
Ipſo pulchra loco: nec vanis credite verbis:

254 Muretus emendabat, *ferat haec vt dignior.* 256 Francof. *Marte deuaſtata meo*, quod grauius altero.

252 *Ingredior* pro, inuehor. Diſerte haec diſtinguit Plin. pan. cp. 22. *Iam hoc ipſum, quod ingreſſus es, quam mirum laetumque! Nam priores inuehi ſolebant quadriiugo curru et albentibus equis.* Sic etiam Vlyſſes, hinc *laetos imitante triumphos.* Sed Ouidius oblitus ſui Vlyſſem facit Romanum. De reditu Vlyſſis cum curru v. Il. κ, 497 ſqq.

253 *Hoſtis*, Dolon, cum ſpeculator mitteretur, *pro nocte*, pro exploratione illa nocturna *equos* Achillis pretium popoſcit. Homer. Il. κ, 392. Virg. Aen. XII, 346 ſqq. Cf. etiam Noſter Ib. 629. Triſt. III, 4, 34. *Arma negate mihi* iuſto impetuoſius dictum eſt, et melius conueniret irato Aiaci, quam blandienti auditoribus Vlyſſi. Neque hic habet argumentum iuſtum. Date mihi arma Achillis. Cur? quia eum cepi, qui equos Achillis popoſcerat. In verbis *fueritque benignior Aiax* laborarunt Interpretes. Heinſ. τὸ *benignior* paſſive ſumebat pro eo, qui benigne habetur, cuius tamen ſignificationis exemplum ſe ignorare fatebatur. Burm. explicat, magis popularis, blandus, vt adeo obtineat quae velit. Mſſ. quidam, *quia* aut *quoque dignior*, vnde Heinſ. coni. *fuerit his dignior*, aut, *tuleritque ea dignior.* Prius placebat etiam Capoſer. Koeppenius pro *Aiax* ſuadebat *Hector*; nam is Doloni promiſerat equos Achillis.

255 *Sarpedon*, Iouis filius, Lyciis praeerat. Is cum, Tlepolemi haſta vulneratus, elatus eſſet a ſuis e proelio, Vlyſſes *agmina* eius *deuaſtauit ferro*, plures e ſociis eius interfecit, quorum nomina hic ex Homer. Il. ε, 677 ſqq. recenſentur. *Agmina deuaſtare* felix locutio ad augendam cladem Sarpedonis ſociis illatam. Ap. Cic. Piſ. 33. *vaſtitatem efficit* morbus, ex quo multi moriuntur. *Hippaſiden*, vt Il. λ, 426. Charops Hippaſides. De *Cherſidamante*, *Thoone* et reliquis v. Il. λ, 422.

263 *Pulchra*, honeſta, *ipſo loco*, quippe corpore aduerſo accepta, quae ſola laudabilia. Contra *vulnera inhoneſta* in tergo. Faſt.

Adſpicite en! (veſtemque manu deducit) et, Haec ſunt
Pectora ſemper, ait, veſtris exercita rebus.
At nihil impendit per tot Telamonius annos
Sanguinis in ſocios: et habet ſine vulnere corpus.
Quid tamen hoc refert, ſi ſe pro claſſe Pelasga
Arma tuliſſe refert contra Troasque, Iouemque?
Confiteorque, tulit. Neque enim bene facta maligne
Detrectare meum eſt: ſed nec communia ſolus
Occupet, atque aliquem vobis quoque reddat hono-
Repulit Actorides, ſub imagine tutus Achillis, (rem,
Troas ab arſuris cum defenſore carinis.
Auſum etiam Hectoreo ſolum concurrere Marti
Se putat, oblitus regisque, ducumque, meique;
Nonus in officio, et praelatus munere ſortis.

265 Gronov. pr. et duo alii, *veſtris exercita curis, vt curis exercita corpora* VII. 634 et XV, 768. 266 Sixii et vnus Heinſ. *expendit.* 268 Quinque *claſſe, Pelaſgi.* 271 Multi, *detractare*, vt V. 246 Mox vulg. *modo ne.* plerique. *ſed ne* 275 Vulg. *Hectoreis telis.* 276 *ducumque* pro *ducisque* emendauit Heinſ.

II, 211. Ea bellatores periclitantes iudicibus populoue oſtendere ſolebant veſte detracta aut ſciſſa, magno plerumque ſuo bono, vt M. Manlius ap. Liuium VI, 20. M. Aquilius, cuius patronus *non orationis habuit fiduciam, ſed oculis populi Romani vim attulit.* Quinctil. Inſt. II, 15. Cf Cic Or. II, 23. Idem periclitantibus ſuadet Quinctil. Inſt. VI, 1. Itaque et Vlyſſes efficace hoc artificio vtitur. *vanis*, quae vana eſſe poſſunt, et ſaepe ſunt. Mox dubitatur, vtrum *diducit* legendum ſit, quod recepit Burm. an *deduxit*, quod tuetur Heinſ. meliorum Mſſ auctoritate, pro quo prim. Hamb. et quinque alii *deducit.* Vbique fere haec duo verba a librariis confuſa reperiuntur. *diducere veſtem*, eam in diuerſas partes trahere; nam *diducere* ſeparationem notat. *deducere*, eam a ſuperiore corporis parte detrahere, vt III, 480. Tunica quidem Graecorum et Romanorum vix *diduci* potuit, niſi ſciſſa. Hinc nos *deducit* reuocavimus. *Exercitus*, multas moleſtias, labores perpeſſus. II, 287. VII. 634. Nominatim milites veterani drr *exerciti.* *Veſtris rebus*, pro ſalute veſtra, cum opem ferrem vobis laborantibus. *Impendere ſanguinem in ſocios* pro vulgari, fundere ſanguinem pro ſociis. Etiam Curt IV, 10, 3. *In vnius hominis iactationem tot millium ſanguinem impendi.*

270 Obſerua veteratorium Vlyſſis ingenium, non modo in verbis, *neque enim bene facta* etc. ſed etiam in illis. *ſed nec communia — honorem*, quae vniuerſis Graecis odioſum faciunt Aiacem. *Occupat*, ſe immittit in poſſeſſionem eorum. *reddat*, relinquat, cedat. Cic. Sull. 30. *Non modo nihil mihi aſſumo, ſed etiam reddo ac remitto.*

273 *Actorides*, Patroclus, Actoris nepos, *ſub imagine tutus Achillis*, quia armis Achillis tectus tam fortiter pugnabat, vt Troiani exiſtimarent, Achillem rediiſſe in caſtra Graecorum, fugamque capeſſerent. Il. π, 280 ſqq. *cum defenſore*, nempe Aiace. *Hectoreus Mars*, quia additur v. *concurrere*, eſt ipſe Hector pugnans. Facilius, nec ſine grauitate, certamen hoc ſingulare Hectoris dictum foret *Hectoreus Mars*, de quo v. ad vſ. 87 ſqq. *regisque ducumque*, Agamemnon κατ' ἐξοχήν dictus *rex, rex regum*, caeteri vero *duces*. v. Heinſ. In eo *officio* Aiax ſecundum Homer. erat tertius, Vlyſſes vero *nonus*. Igitur mentitur rurſus, vt detrectet facta Aiacis. *munere*, beneficio, ope. *vulnere nullo.* Immo et haſta et lapide miſſo vulneratus eſt ab Aiace. Il. χ, 260 ſqq.

281 *murus*, tutela, praeſidium. Sollemne enim poëtis, heroa virumque fortem *murum, turrem, clypeus* etc. vocare. Achilles ἔρκος Graecorum Il. α, 284. Aiax πύργος eorumdem. Od. λ, 555. v. Drakenb. ad Sil. XVI, 68. — *ſublime*, ſublatum humo. *corpus et arma.* Sic et ap. Q. Cal. 286. Ἐσάωσα δ' ὁμῶς τευχεσσιν ἰαυοντα. *His humeris* repetit, quia negauerat Aiax, parem eum eſſe ferendis iſtis armis. Sed ipſe rurſus, quod paullo ante in Aiace vituperauerat, ſolus communia occupat. v. Quint. Cal. II, 384. vbi duces communiter Achillem e proelio referunt. Apud Antiſth. p. 53. Aiax *corpus* fert Achillis, Vlyſſes *arma. laboro*, contendo, operam do. *Eſt animus.* Hic exſpectaſſes animum intrepidum. Sed en converſionem modeſtam et gratioſam! Subicit enim, *veſtros certe ſenſurus honores*, qui iis tangitur, commouetur, gratumque exhibet animum erga eum, qui tribuit.

289 *Ambitioſa* eleganter, quae ambierat Vulcanum, blanda oratione eum rogauerat, vt filio fabricaret arma. Il. σ, 369 ſqq. *coeleſtia*, a Deo fabricata. Ea Aiax vſ. 110. negat timido conuenire, Vlyſſes, rudi militi. *miles* nunc contemtim, ſola manu fortis, cum dux etiam conſiliis excellere debeat. Vellei. II, 18. de Mithridate, *Conſiliis*

Sed tamen euentus veſtrae, fortiſſime, pugnae
Quis fuit? Hector abit violatus vulnere nullo.
Me miſerum, quanto cogor meminiſſe dolore
Temporis illius, quo, Graium murus, Achilles
Procubuit! nec me lacrimae, luctusque, timorue
Tardarunt, quin corpus humo ſublime referrem.
His humeris, his, inquam, humeris ego corpus Achillis
Et ſimul arma tuli, quae nunc quoque ferre laboro.
Sunt mihi, quae valeant in talia pondera, vires:
Eſt animus veſtros certe ſenſurus honores.
Scilicet idcirco pro gnato caerula mater
Ambitioſa ſuo fuit, vt coeleſtia dona,

289 Graevian. pro diuerſa lect. *Vulcania dona.*

Artis opus tantae, rudis et ſine pectore miles
Indueret? neque enim clypei caelamina norit,
Oceanum et terras, cumque alto ſidera coelo
Pleïadasque, Hyadasque, immunemque aequoris Ar-
Diuerſasque vrbes, nitidumque Orionis enſem. (cton,
Poſtulat, vt capiat, quae non intelligit, arma.
Quid? quod me, duri fugientem munera belli,
Arguit incepto ſerum acceſſiſſe labori?
Nec ſe magnanimo maledicere ſentit Achilli?
Si ſimulaſſe vocat crimen, ſimulauimus ambo.
Si mora pro culpa eſt; ego ſum maturior illo.
Me pia detinuit coniux: pia mater Achillem:
Primaque ſunt illis data tempora, cetera vobis.
Haud timeo, ſi iam nequeo defendere crimen
Cum tanto commune viro. Deprenſus Vlixis
Ingenio tamen ille; at non Aiacis, Vlixes.
Neue in me ſtolidae conuicia fundere linguae
Admiremur eum: vobis quoque digna pudore
Obiicit. An falſo Palameden crimine turpe

294 Bonon. pr. *diuerſosque orbes*, ſcil. ſtellarum. 295 H. vſ. vncis incluſit Mitſcherl. 296 Quidam, *munia belli*. 303 Vulg. *timeam* et *ne ueam*. Heinſ. coni. *Haud timeo, ne grande queam def. cr.* vt ironice haec dicantur. 304 Caeſen. *Vlyſſes*. Hinc Heinſ. coni. *Vlyſſei* vel *Vlyſſi*, vt XIV, 159. 671. et alibi. 305 Baſil. *at non illius*, quod placet Heinſio.

dux, miles manu. Etiam alibi *miles* cum contemtu dr. Terent. Eun. II, 2, 57. *rudis*, non imbutus literis. *ſine pectore*, ſine ingenio. *caelamina*, argumenta caelata, vt mox, *quae non intelligit*, quorum argumenta non edoctus eſt. *Pleïadas* etc. Ea ipſa ſidera Homer. nominat. Etiam *immunem aequoris* ex eodem, vſ. 489. ἄμμορος λοετρῶν ὠκεανοῖο. v. II, 172. *diuerſas vrbes*, in quibus diuerſa negotia, belli et pacis, tractantur. Il. σ, 490 ſqq. Sed Lenz. diſiunctas intel. vt magnitudo clypei indicetur.

296 Inſigni calliditate ſe tegit exemplo Achillis, et mox grauiſſima crimina a ſe amolitur in reliquos duces. *munera belli*, omnia, quae ad bellum pertinent, bellum ipſum, ex imitatione Lucret. apud quem *moenera militiai* I, 30. et *belli moenera* vſ. 33. *labori*, bello.

300 *Maturior*, maturius acceſſi. *illis data*, coniugis et matris cauſſa, pio officio fungentes, cunctabamur primis temporibus; poſt tamen Graecorum cauſſae acceſſimus. *Admiremur*, miremur. *ſtolida lingua* vt alibi *acerba, docta* etc. *fundere verba* conuenit irato, vt XII, 469.

Accuſaſſe mihi, vobis damnaſſe decorum eſt?
Sed neque Naupliades facinus defendere tantum,
Tamque patens, valuit: nec vos audiſtis in illo
Crimina: vidiſtis, pretioque obiecta patebant.
Nec Poeantiaden quod habet Vulcania Lemnos,
Eſſe reus merui: factum defendite veſtrum,
(Conſenſiſtis enim) nec me ſuaſiſſe negabo,
Vt ſe ſubtraheret bellique viaeque labori,
Tentaretque feros requie lenire dolores.
Paruit: et viuit. Non haec ſententia tantum
Fida, ſed et felix; cum ſit ſatis, eſſe fidelem.
Quem quoniam vates delenda ad Pergama poſcunt,
Ne mandate mihi: melius Telamonius ibit,
Eloquioque virum morbis, iraque furentem
Mollier, aut aliqua producet callidus arte.
Ante retro Simoïs fluet, et ſine frondibus Ide
Stabit, et auxilium promittet Achaïa Troiae,
Quam, ceſſante meo pro veſtris pectore rebus,
Aiacis ſtolidi Danais ſollertia proſit.

310 Duo, *defendere notum*. 317 Multi veteres, *finire dolores* aut *labores*. 319 Heinſ. malit, *fideli*. 323 Vulg. *perducet*. Heinſ. ſcribendum cenſet *alia arte*, quia et eloquium ars eſt.

309 De *Palamede* cf. vſ. 60. *In illo*, illius. *obiecta*, crimina ei obiecta *pretio*, auro in eius tentorio reperto, patebant.

314 Pro *factum* ante Heinſ. legebatur, *crimen*, quod ille mutauit partim Codd. auctoritate, partim quia Vlyſſes iam negauerit eſſe crimen. At *crimen veſtrum* eleganter, factum veſtrum, quod crimini datur. *crimen*, ἐγκλημα, διαβολή. Sic Gloſſ. De *Poeantiade* cf. vſ. 45.

319 *felix* propter euentum; vivit enim ille.

320 *Vates*. Nempe *Helenus*, de quo vſ. 99. poſtquam captus erat, Graecis indicauit, Troiam ſine Philocteta capi non poſſe. Leſches in Iliade parv. p. 36. Sophocl. Philoclt. 604 ſqq. *Producet* e latebris ſuis. *aliqua arte*, callido aliquo conſilio.

324 Cum aliquid fieri poſſe poëtae negant, recurſum fere fluviorum (e graeco prouerb. ἄνω ποταμῶν, Eurip Med. 410.) atque alia naturae contraria commemorant. Cf. XIV, 38. Heroid. V, 29. I Triſt. VIII. init. Horat. I od. 29, 11. Claud. 18, 352 ſqq. Exempla autem haec noſtra accommodata ſunt perſonae loquentis et loco, vbi haec gerebantur. *Simois* prope Troiam cum Scamandro aquas miſcebat. Il. ε, 774. Mox quaeritur, vtrum *ſine frondibus*, an cum vno Mſ. Heinſii *ſine fontibus* legendum ſit. *Ide* tam *humida*, X, 71. *fontibusque celeberrima*, II, 218. vbi v. not. quam *umbroſa* XI, 762. Pinetis

Sis licet infeſtus ſociis, regique, mihique,
Dure Philoctete; licet exſecrere, meumque
Deuoueas ſine fine caput, cupiasque dolenti
Me tibi forte dari, noſtrumque haurire cruorem,
[Vtque tui mihi, ſic ſiat tibi copia noſtri:]
Te tamen aggrediar; [mecumque reducere nitar.]
Tamque tuis potiar, faueat Fortuna, ſagittis,
Quam ſum Dardanio, quem cepi, vate potitus:

329 Multi, *Iure Philoctete.* Tres, *dire.*

inprimis abundabat. Virg. Aen. IX, 80 ſqq. vnde naues fabricari ſolebant. Horat. I od. 15. Etiam IV Faſt. 249. eadem varietas eſt, vbi pro *amoenam fontibus Iden*, quatuor Codd *frondibus*. H. l. praefero, *ſine frondibus*, auctoritate plurimorum Mſſ. Burm. putat, τῷ *ſtabit* melius conuenire *frondibus*. Sed hoc nihili eſt. Mons eleganter *ſtare* dr. pro ſimplici, *eſſe*, adeoque h. v. *fontibus* non minus, quam *frondibus*, conuenit. Horat. I od. 9, 1. *Vides, vt alta ſtet niue candidum Soracte.* — *pectus* rurſus eſt ingenium.

329 *Durus*, iratus, inexorabilis. Reſpicit autem Sophoclis fab vbi Philoctetes duriſſimis verbis inſectatur reliquos duces, Vlyſſem inprimis et Agamemnonem. Cf. v. c. vſ. 314. ſeqq. *Haurit cruorem* (etiam ap. hiſtoricos, v. c. Curt. IV, 14, 17.) is, qui vulnere inflicto facit, vt ſanguis profluat. Verſum ſeq. *Vtque — noſtri* plurimi poſtponunt ſequenti, vnus omittit, et Heinſ. poſt Muretum aut adulterinum aut certe valde deprauatum iudicat. Si genuinus eſt, poſtponi certe debet ſequenti. Sed et in hoc valde diſcrepant Mſſ. Multi habent, *Te tamen aggrediar, nec inultus ſpero relinquar.* Nonnulli, *aggrediar longe formidine pulſa.* Sex, *aggrediar ſollerti pectore fidus.* Duo, *caſtrisque reducere nitar,* quod Burm. non diſplicebat, nec Lenzio. Sed haec mera ſunt librariorum ſupplementa. In pr. Palat. inter lineas erat ſcriptum, *Te tamen aggrediar*, reliquis omiſſis. Id probat Heinſ. Non enim dubitat, hunc et plures verſus ab Ouidio relictos eſſe imperfectos. Mihi vero parum credibile videtur, ſecundum Ouidii ingenium, tam verba quam ſententias ſaepenumero temere profundens et cumulans, verſus reliquiſſe imperfectos; putem potius, poſteriorem huius verſus partem in antiquiſſimo Codice, vnde reliqui deſcripti ſunt, fuiſſe deletam, hinc librarios, pro ſuo quisque ingenio, lacunam expleſſe. Ex his igitur ſupplementis, cum neſciamus, quid Ouidius ſcripſerit, licet eligere, quod cuique lectori praeceteris probatur.

335 *Dardanius vates*, Helenus, de quo vſ. 99. *reſponſa Deum*, ſcil. exitio fore Troianis, ſi Palladium auferatur. *ſignum penetrale*, ſtans in penetralibus, vt *penetrales Dii* ap. Cic. N. D. II, 27. — *ſine illis*, Heleno et Palladio. Ita dedit Burm. ex quatuor Mſſ. Francf. Sixii, Francii et Moreti, cum reliqui omnes *ſine illo* habeant, quod dupliciter intelligi poteſt, vel ſine Palladio, vel ironice, ſine Aiace. Sed *illis* multo melius. Mitſcherl. tamen alterum reuocauit.

Quam reſponſa Deûm, Troianaque fata retexi,
Quam rapui Phrygiae ſignum penetrale Mineruae
Hoſtibus e mediis. Et ſe mihi comparet Aiax?
Nempe capi Troiam prohibebant fata ſine illis.
Fortis vbi eſt Aiax? vbi ſunt ingentia magni
Verba viri? cur hic metuis? cur audet Vlixes
Ire per excubias, et ſe committere nocti?
Perque feros enſes, non tantum moenia Troum
Verum etiam ſummas arces intrare, ſuaque
Eripere aede Deam, raptamque efferre per hoſtes?
Quae niſi feciſſem, fruſtra Telamone creatus
Geſtaſſet laeua taurorum tergora ſeptem.
Illa nocte mihi Troiae victoria parta eſt:
Pergama tum vici, cum vinci poſſe coëgi.
Deſine Tydiden vultuque, et murmure nobis
Oſtentare meum: pars eſt ſua laudis in illis.
Nec tu, cum ſocia clypeum pro claſſe tenebas,
Solus eras: tibi turba comes, mihi contigit vnus,
Qui, niſi pugnacem ſciret ſapiente minorem
Eſſe, nec indomitae deberi praemia dextrae,
Ipſe quoque haec peteret: peteret moderatior Aiax,

342 Vnus Heinſ. *per inſidias.* 348 Medic *victoria pacta eſt*, quod placet Burm. qui comparat *deſponſatam* (verius *deſponſam*) *laudem* e Cic. de Haruſp. Reſp. 3. 351 Vulg *in illo.* Heinſ legit, *pars et ſua laudis in illis*, vel, *pars eſt ſua laudis et illi.*

340 Iam hic rurſus habet, in quo exſultet ſua oratio. Cf. Virg. Aen. II, 162 — 179. vnde apparet, non temere hoc facinore gloriari Vlyſſem. *Magna verba* gloriantis ſunt, vt alibi vidimus; ſed exſultans Vlyſſes *ingentia* potius ei tribuit. In *metuis* Lenzius vrget Praeſens, putat ue, Vlyſſem fingere, eo ipſo tempore, quo haec loqueretur, Aiacem metu eſſe correptum. Immo per totum h. l. Praeſentia ſunt pro Praeteritis. — *ſummas arces*, vbi vigiles trucidauit. Virg.

350 Ingenioſe, nec ſine auctoritate aliorum oratorum, hoc finxit. Praeſentis ingenii eſt, ea arripere, iisque in rem ſuam vti, quae inter dicendum ante oculos geruntur. *oſtentare*, demonſtrare indicare, Diomedem fuiſſe ſocium iſtius facinoris.

356 *Aiax.* Oileos. vid. XII, 622. *Eurypyli* plures fuere. v. Burm. H. l. intel. Euaemonis filius, qui ex Ormenio Theſſaliae copias adduxerat. Il. β, 734. ε, 76. *ferox*, bellicoſus. *Andremone natus*, Thoas Aetolorum dux. Il. β, 638. *Idomeneus*, dux Cretenſium, δαΐφλυτος. Il β, 651. cuius auriga *Meriones*, fortiſſimus et ipſe, Horat. I od. 6,

Eurypylusque ferox, claroque Andremone natus:
Nec minus Idomeneus, patriaque creatus eadem
Meriones: peteret maioris frater Atridae.
Quippe manu fortes (nec sunt tibi Marte secundi)
Consiliis cessere meis. Tibi dextera bello
Vtilis: ingenium est, quod eget moderamine nostri.
Tu vires sine mente geris: mihi cura futuri est.
Tu pugnare potes: pugnandi tempora mecum
Eligit Atrides: tu tantum corpore prodes;
Nos animo: quantoque ratem qui temperat, anteit
Remigis officium, quanto dux milite maior;
Tanto ego te supero, Nec non in corpore nostro
Pectora sunt potiora manu: vigor omnis in illis.
At vos, o Proceres, vigili date praemia vestro,
Proque tot annorum curis, quas anxius egi,
Hunc titulum meritis pensandum reddite nostris.
Iam labor in fine est: obstantia fata remoui:
Altaque posse capi faciendo, Pergama cepi.

360 Heins. *Quippe animae fortes, tibi nec Mavorte secundae.* Duo Leidenses, *Mihi Marte secundi*, quod placet Burm. vt sit oppositio seqq. 362 Gronov. et vnus Heins. *moderamine certo.* 365 Bersm. in margine et editi quidam, *corpore polles.* non male. 368 *Tanto* recepit Burm. pro vulg. *tantum.* 371 Heins. suadet e tribus, *quos anxius egi*, improbante Burm. Recepit Mitsch. qui et *cura* habet e Florent.

15. et ἀτάλαντος Ἄρηι dictus II. β, 651. *consiliis cessere meis*, mihi cessere in hoc certamine armorum, quia consiliis ego abundo.

361 sqq. Comparatio manu fortis ducis cum sapiente. Sallust. Cat. I, 5. *Sed dis magnum inter mortales certamen fuit, vine corporis, an virtute animi res militaris magis procederet. Nam et prius, quam incipias, consulto, et, vbi consulueris, mature facto opus est. Ita vtrumque per se indigens, alterum alterius auxilio eget. — nostri*, ingenii. Mss. tamen omnes, praeter vnum, *nostro*. Cf. de hoc principatu Q. Cal. 241 sqq.

370 Cum singula nunc argumenta sine taedio repeti non possent, quod interdum magnam habet vim in peroratione, reliqua quidem grauissimis his verbis, *Proque — egi* breuiter complectitur, validissimum autem de Palladio erepto, quo omnis salus Troianorum nitebatur, nominatim vrget. Vulgare fuisset, etiam in posterum suam operam promittere sociis, sed hoc grauiter et inexspectato ita conuertit, vt per futura facinora, siue sapientiam, siue audaciam requirant, obtestetur iudices, quorum animos callide etiam ab Aiace auertere conatur extremis verbis, *Huic date.* Formulam, *curas agere*, multis exemplis comprobat Burm. ad Heroid. XVI, 302. *Hunc titulum*, glorioſum hoc praemium. IV, 644 *faciendo*, efficiendo.

Per spes nunc socias, casuraque moenia Troum,
Perque Deos oro, quos hosti nuper ademi,
Per, si quid superest, quod sit sapienter agendum,
Si quid adhuc audax, ex praecipitique petendum:
Si Troiae fatis aliquid restare putatis;
Este mei memores: aut si mihi non datis arma;
Huic date. Et ostendit signum fatale Mineruae.
Mota manus procerum est: et, quid facundia posset,
Re patuit: fortisque viri tulit arma difertus.
Hectora qui solus, qui ferrum, ignemque, Iouemque
Sustinuit toties; vnam non sustinet iram:
Inuictumque virum vincit dolor. Arripit ensem:
Et, Meus hic certe est. An et hunc sibi poscet Vlixes?
Hoc, ait, vtendum est in me mihi: quique cruore
Saepe Phrygum maduit, domini nunc caede madebit;
Ne quisquam Aiacem possit superare, nisi Aiax.
Dixit: et in pectus, tum demum vulnera passum,
Qua patuit ferro, letalem condidit ensem.
Nec valuere manus infixum educere telum:
Expulit ipse cruor; rubefactaque sanguine tellus
Purpureum viridi genuit de cespite florem,

375 Vnus Moreti, *Per spes vos socias*, quod adblanditur Heins. 378 Heins. suspectus est hic vs. *Etiam* vs. seq. agnoscit manum alienam. Posse tamen *putatur* legi. Vncis hos 2 vss. inclusit Mitsch. 380 Vnus Heinsii, *at si mihi*, quod elegantius iudicat Burm. 383 *Re* multi ex melioribus Heinsio suggesserunt pro, *Tum* aut *tunc.*

375 *Socias*, communes nostras. *Deus* saepe pro Dea, et h. l. rei augendae causa etiam plural. pro sing. *Ex praecipiti*, scil. loco, *petere* de periculoso et audaci facinore. *Huic date*, in huius templo consecrata suspendite.

382 *Manus*, consilium, collegium. *res*, factum. III, 368. *Re minas firmat.* IX, 228. *dicta re probat.* et sic saepius. — *non sustinet iram*, non par est coercendae irae. Non improbandus hic verborum lusus.

386 *ensem*, eundem, quem ab Hectore dono acceperat. Hygin. f. 107. Q. Cal. 483.

391 *Passum* pro, patientem. *qua patuit ferro*, qua parte vulnus accipere poterat, nempe διὰ φρενῶν. Pindar. Nem. 5. nam superiora ossibus munita. Burm. tamen, quem Lenzius sequitur, putat, respexisse Ouid. his verbis fabulam, quae reliquum Aiacis corpus a vulneribus immune fuisse tradebat. Schol. Sophocl. ad Aiac. vs. 844. Ap. Sophocl. latere incidit in gladium terra fixum. *telum*, ensem.

395 V. ad X, 215. *puero.*

Qui prius Oebalio fuerat de vulnere natus.
Litera communis mediis pueroque, viroque
Inscripta est foliis: haec nominis, illa querelae.
Hecuba Victor ad Hypsipyles patriam, clarique Thoantis,
Et veterum terras infames caede virorum,
Vela dat, vt referat, Tirynthia tela, sagittas.
Quae postquam ad Graios, domino comitante, reuexit:
Impolita est fero tandem manus vltima bello.
Troia simul Priamusque cadunt; Priameiaque coniux
Perdidit infelix hominis post omnia formam;
Externasque nouo latratu terruit auras.

400 Voss. et duo alii, *Ad veterum*. Medic. tert. *Et Veterum ad*. Post hunc vs nonnulli interserunt alium: *Transierat tandem portis votoque potitus*. 403 Vulg. *fero*. Vnus Heinl. *faeuo*.

Hyacintho, *viro*, Aiaci. Huius nomen, illius genitus exprimunt literae Al,

FAB. II. vs. 399 — 595 *Hecuba in canem*. Graeci, deleta vrbe Troiana, distributisque mulieribus captiuis, naues soluunt, appelluntque mox ad Thraciam, vbi *Polydorus*, Hecubae filius, a Polymestore interfectus erat. Ibi Achillis vmbra apparet, postulatque, vt *Polyxena* ad sepulcrum suum immoletur. *Hecuba* dolens sortem filiae dum in litore ambulat, conspicit corpus Polydori, quem in viuis adhuc esse et a Polymestore clam educari crediderat. Luctu igitur et ira incensa excaecat Polymestorem, et, cum Thraces eam lapidibus peterent, mutatur in canem. Sumtum est hoc argumentum luctu pleniissimum, et egregie tractatum, ex Eurip. Troadd. et Hecuba. Cf. Tzetz. Chil. III, 74. Hygin. fab. 111.

399 — 428 Breuiter recensentur, quae inde a iudicio armorum vsque ad profectionem Graecorum gesta sunt in agro Troiano. Vlysses, *victor* in iudicio armorum, nauigat in insulam Lemnon, vbi olim, tempore Argonautarum, *Hypsipyle*, quae, cum reliquae Lemniades, a Venere impulsae, *viros* omnes interficerent, *Thoantem* patrem clam imposuit naui, vt seruaretur. Apollod. 1, 9, 17. Hygin. fab. 15. et quos ibi laudat Munker. *Sagittas*, nempe *Tirynthia tela*, (vt II, 616. *Gait temeraria tela, fagittas*) tela Herculis, quorum *dominus* nunc Philoctetes. v. ad vs. 44.

406 Canis facta est. cf. 567. sqq. Etiam VII, 362. *Maera nouo latratu terruit agros*. Namque *terrere* de voce ingrata dr. v. c. vaccae I, 638. asini, Phaedr. I, 11, 5. *vt insueta voce terreret feras*. Talis vox terret proprie homines et feras, hinc vrbes et agros. VII, 362. et apud poëtas etiam *auras*, vt I Fast. 567. *fragor aethera terruit ipsum*. Male igitur h. l. multi, *aures*. *Nouus* sollemne de corporibus transformatis. *Externas*, peregrinas, in terra peregrina.

407 Cf. XI, 195 sqq. *consederat*, exstinctus erat; nam qui *considunt*, requiescunt, nec progrediuntur Secundum nonnullos Ilium sub discessum demum Graecorum est combustum. Arctin.

Longus in angustum qua clauditur Hellespontus
Ilion ardebat; neque adhuc confederat ignis:
Exiguumque senis Priami Iouis ara cruorem
Combiberat. Tractata comis antistita Phoebi
Non profecturas tendebat ad aethera palmas.
Dardanidas matres patriorum signa Deorum,
Dum licet, amplexas, succensaque templa tenentes
Inuidiosa trahunt victores praemia Graii.
Mittitur Astyanax illis de turribus, vnde

407 Quidam, *qua pontus clauditur Helles*. 410 *Tractata* habent quinque, in quibus Thuan. pr. Moret. Cantabr. Oxon. vnde accepit Heins. qui tamen olim legebat, *raptata*. Vulg. *tractisque* aut *tractaque*.

p. 38. Eurip. Troad. 1260. sqq. vbi Talthybius id imperat. *Priamus* ad *Iouis aram* trucidatus est a Neoptolemo, Achillis filio. Virg. Aen. II, 512 sqq. *senex*. v. ad XII. 607. *exiguum*, quia senes minus sanguinis habent, quam iuuenes, qui apud poëtas fere *multo cum sanguine* vitam fundunt. Cf. VII, 315. Expressit Nostrum Seneca Agam. vs. 656. *Vidi senis in iugulo Telum Pyrrhi vix exiguo Sanguine tingui*.

410 *Tractata*, antique pro, tracta, rapta. Exempla e Pacuv. Lucret. et Ennio habet Heins. Etiam *antistita* antique pro, antistes, sacerdos femina, et miratur Gellius N. A. XIII, 20. ipsum Ciceronem, qui insolentias verborum a veteribus dictorum sedulo respuerit, huius tamen verbi sonitu delectatum esse Verr. IV, 45. Intelligitur autem h. l. Cassandra ab Aiace Oilei f. e Mineruae templo abstracta. v. Eurip. Troad. 69 s. Virg. Aen. II, 403. quem Noster ante oculos habuit. *Ecce trahebatur passis Priameia virgo Crinibus a templo Cassandra, adytisque Mineruae, Ad coelum tendens ardentia lumina frustra: Lumina; nam teneras arcebant vincula palmas*. Erat autem secundum Arctin. Mineruae antistita, sed a *Phoebo* vaticinandi artem edocta.

412 Captiuas mulieres ad Scamandrum ducebant, ibi distribuendas. Desiderium patriae religiose declarabant, amplectendis ex more veterum tali tempore signis Deorum etc. *Dii patrii* vel Penates, vel Dii ἐγχώριοι. *Inuidiosa* varie accipi potest, vel quorum species ingrata et tristis, vt V, 573. vel quae inuidiam faciebant inter eos, a quibus expetebantur, vt IX init. *spes inuidiosa*, vel denique quae odio prosequebantur victores.

415 *Astyanax*, paruulus filius Hectoris, consilio et manu Vlyssis *mittitur*, praecipitatur, de turribus Troianis, quia metuebant Graeci, ne quando regnum Troianum restitueret. Arctin. p. 38. Lesches ap. Pausan. p. 861. Eurip. Troad. 720. et Act. V. *vnde videre solebat* etc. v. ad VIII, 21. Consuetudo ibi notata suggessit poëtae commodam hanc circumlocutionem. Expressit Nostrum Senec. Troad. vs. 1066 — 72. *pro se* et ad Hectorem et ad Astyanacta referri potest. *proauita*, quae diu sub maioribus suis floruerant, adeoque carissima esse

Pugnantem pro ſe, proauitaque regna tuentem
Saepe videre patrem mouſtratum a matre ſolebat,
Iamque viam ſuadet Boreas; flatuque ſecundo
Carbaſa mota ſonant: iubet vti nauita ventis
Troia, vale: rapimur, clamant, dantque oſcula terrae
Troades, et patriae fumantia tecta relinquunt.
Vltima conſcendit claſſem (miſerabile viſu)
In mediis Hecube natorum inuenta ſepulcris.
Prenſantem tumulos, atque oſſibus oſcula dantem
Dulichiae traxere manus. Tamen vnius hauſit,
Inque ſinu cineres ſecum tulit Hectoris hauſtos.
Hectoris in tumulo canum de vertice crinem,
Inferias inopes, crinem, lacrimasque relinquit.

416 Quidam, *regna tenentem.* 425 Nonnulli, *rapuere manus.* 427 Heinſ. e quinq e Mſſ. probat, *canum de vertice raptum.* Burm. mallet, *cano de vertice raptum.*

debebant Hectori. Bene etiam ad affectum, *monſtratum a matre.* Talia non facile negligit ingenium Ouidii. Andromachen autem cum Aſtyanacte ſpectaſſe pugnantes e turri, teſtatur Hom. Il. ζ. 372 et 86.

418 *Viam*, nauigationem, *ſuadet*, monet, vt naues ſoluant. Sic Virg. Aen. II, 9. *ſuadentque cadentia ſidera ſomnos.* Sed Burm. elegantior etiam videtur vnius Cod. Leidenſ lectio, *viam ſpondet*, promittit proſperum curſum. *nauita* pro plural. nauitae, rectores nauium. In ſeqq. cum multa breuitate multa etiam vis. *Oſculabantur* et nouam patriam, quam ingrediebantur III, 24. et veterem, quam relinquebant. Mox *flammantia*, quod pro *fumantia* duo Mſſ. habent, poſſet quidem e vſ. 408. defendi, *neque adhuc confederat ignis*, ſed praeſtat auctoritatem plurimorum Mſſ. ſequi. Etiam apud Eurip. Troad. in abitu Graecorum *famans* Ilium deſcribitur. vſ. 8. νῦν καπνεται. vſ. 146. τύφεται Ἴλιον. et Virg. Aen. III, 3. vbi proficiſcitur Aeneas, *omnis humo fumat Neptunia Troia.*

422 Hecuba *vltima* conſcendit *claſſem*, nauem, ex Eurip. Troad. vſ. 1330. Sed Noſter cauſſam morae ſatis piam addidit. Notus mos amplectendi ſepulcra amicorum. Cf. II, 338. *prenſantem*, amplectentem. Mſſ vltra viginti, *preſſantem*, ſcil. pectore, vt II d. l. *incubuit* et lapidem *aperto pectore fouit.* et ap. Prudent. Peri-ſteph. II, 535. in ſimili officio, *Qui pectus in terram premit*, ſed propter *traxere* tueor *prenſantem. Dulichiae*, quia Vlyſſi tributa Hecuba. Eurip. Troad. 1285. *hauſit*, effodit, vt XI, 187. *hauſta terra.* Cineres amicorum peregre mortuorum in patriam interdum portari ſolebant, plerumque in *ſinu.* Sic ap. Martial. IX Epigr. 31. *Retulit oſſa ſinu cari Nigrina mariti.* Sic etiam Agrippina cineres Germanici ſui ſecum attulit Romam. Tacit. An. 2, 75, 1. *Inopes*, viles, quales ſunt inopum hominum. Eas

Eſt, vbi Troia fuit, Phrygiae contraria tellus,
Biſtoniis habitata viris. Polymeſtoris illic
Regia diues erat, cui te commiſit alendum
Clam, Polydore, pater, Phrygiisque remouit ab armis.
Conſilium ſapiens, ſceleris niſi praemia magnas
Adieciſſet opes, animi irritamen auari.
Vt cecidit Fortuna Phrygum, capit impius enſem
Rex Thracum, inguloque ſui defigit alumni:
Et, tamquam tolli cum corpore crimina poſſent,
Exanimem e ſcopulo ſubiectas miſit in vndas.
Litore Threïcio claſſem religarat Atrides,
Dum mare pacatum, dum ventus amicior eſſet.

430 Vulgo ſcribitur *Polymneſtor.* Sed Heinſ. praetulit *Polymeſtor*, vt legitur ap. Eurip. Tzetz. et alios. Similiter veteres ſcribebant, *Clytemeſtra.* 436 Vulg. *demiſit alumni.* 440 Vulg. *ventus mitior.* Vnus Leidenſ. *mare placatum* e perpetua permutatione.

nunc offerre cogitur regina modo beatiſſima. Contra ap. Eurip. Troad. 1249. πλάσια κτερίσματα, diuites inferiae, quas ibi ſpernit ipſa Hecuba hoc tali tempore.

429 Thraciam deſignat *contrariam* (vt I, 65.) e regione Phrygiae. Thraciae partem extremam *Biſtones* tenebant, ſed h. l. pro vniuerſis Thraciae incolis commemorati ſunt; nam Polymeſtoris regia in Cherſoneſo Thracica erat, v. Eurip. Hec. 8 et 569 quamquam eam ad Hebri oſtia tranſtulit Virg. Aen. III, 13 ſqq. v. Heynii Excurſ. I. *committi* de iis, qui traduntur alterius curae. *Polydorus* ap. Homer. Il. υ, 407 ſqq. ab Achille interficitur. Sed Noſter cum Virg. ſecutus eſt Eurip. Hec. init. Alii aliter. v. Hygin. fab. 109. Serv. ad Virg. Aen. III, 49. *irritamen*, vt I, 140. *opes*, *irritamenta malorum.* Similem ſententiam addit Virg. *Quid non mortalia pectora cogis Auri ſacra fames.* Etiam a Propert. III, 11, 55. abominabile hoc auaritiae exemplum commemoratur.

435 Singulis terris vrbibusque *Fortuna* tribuebatur, quae cum illis vel ſtare vel *cadere* et vinci dicebatur. *e ſcopulo mittitur in vndas* etiam apud Eurip. Hec. 26. 697. Apud Virg. autem vſ. 45. telis obruitur. Atque hunc ſecutus eſt Auſon. Epit. XIX.

439 In Thracia Graeci Achilli, in agro Troiano ſepulto, κενοτάφιον exſtruxerant. Cum igitur diſcedere vellent, vmbra eius apparet, et poſtulat, vt manibus ſuis Polyxena, Hecubae filia, immoletur. Eurip. Hec. 35 ſqq. 110. ſqq. Senec. Troad. 191. Q. Calab. XIV. Exſtat in eam Auſonii Epit. XXVI. E traditione antiquiore, quam Arctin. et auctor carminis Νόστοι ſeruarunt, Achillis vmbra Graecis in agro Troiano apparuit. Sed Noſter hic quoque Eurip veſtigia premit. *Religarat* retinaculis. *dum*, donec. vid. Burm. ad Phaedr. III, 10, 13. *amicior*, vt I Triſt. V, 17. *vento ferri amico.* Docte ex Homer. Il. κ, 188 ſqq.

Hic ſubito, quantus, cum viueret, eſſe ſolebat,
Exit humo late rupta, ſimilisque minaci
Temporis illius vultum referebat Achilles,
Quo ferus iniuſto petiit Agamemnona ferro.
Immemoresque mei diſceditis, inquit, Achiui?
Obrutaque eſt mecum virtutis gratia noſtrae?
Ne facite; vtque meum non ſit ſine honore ſepulcrum,
Placet Achilleos mactata Polyxena manes.
Dixit: et immiti ſociis parentibus Vmbrae,
Rapta ſinu matris, quam iam prope ſola fouebat,
Fortis, et infelix, et plus quam femina, virgo
Ducitur ad tumulum, diroque fit hoſtia buſto.
Quae memor ipſa ſui, poſtquam crudelibus aris
Admota eſt, ſenſitque ſibi fera ſacra parari:

442 *Minaci* pro *minanti* ex vno Leid. et Zulich. dedit Heinſ. qui olim etiam maluerat. *ſimilemque.* 447 Brouckh. malebat, *ne ſit.* 454 Nonnulli, *fera fata.* Vnus Medic. *fera buſta*, vnde Heinſ. coni. *fera iuſta.*

certum quoddam tempus memorat, quo minacem habuerat vultum. *Refert* et *reddit* vultum alterius, qui ei ſimilis eſt. v. Drakenb. ad Sil. II, 634. *petiit*, petere voluit.

446 *Gratia* placet prae altero, *gloria*, quod tuentur multi Mſſ. Illa enim grauius incitamentum ad officia perſoluenda, quam haec. *Sine honore*, ſine inferiis, vt ſacra ſaepe *honores* drr.

449 *Sociorum* ſententiae diuiſae erant, aliis non *parendum immiti vmbrae* cenſentibus, ſed hic quoque vicit eloquium Vlyſſis. Eurip. vſ. 119 ſeq. *fouebat* eleganti metaphora amorem exprimit, quo parentes amplectuntur liberos. *Solus* et *ſolitudo* de iis dr. qui parentibus, coniugibus, liberis priuati ſunt. *plus quam femina*, ſuperans ſexum ſuum tolerandis calamitatibus. IX, 543. *plus quam ferre puellam Poſſe putes, ego dura tuli.* Tan. Faber h. vſ. ad artis regulas moroſe examinans, valde eum improbat, emendatque, *Fortiter infelix.* Aeſium eius componit Burm. qui ſuadet, *Fortis (at infelix).* Verum illud *at* hic vix habet ſuum locum. Ordo verborum debebat eſſe, virgo, infelix, ſed fortis et plus quam femina. Sed licuit poetae haec verba transponere, vt centies factum videmus.

453 *Memor ſui*, ſe eſſe virginem regiam, et animum fortem feruans. Hos mores ſpirat tam quae ſequitur oratio, quam praeclara caedis ipſius narratio vſ. 475 — 80. ad exemplum Eurip. vſ. 345 ſqq. *ſibi ſacra parari*, pro, ſe deſtinatam eſſe hoſtiam, etiam apud Virg. Aen. II, 132. Non autem tum demum ſenſit, ſed iam ante cognorat. *Neoptolemus* ſacerdos erat conſtitutus huius ſacrificii. Eurip. vſ. 223. Quomodo interfecta ſit, diligenter matri refert Talthybius ibid. vſ. 521 ſqq.

Vtque Neoptolemum ſtantem, ferrumque tenentem,
Inque ſuo vidit figentem lumina vultu:
Vtere iamdudum generoſo ſanguine, dixit:
Nulla mora eſt. At tu iugulo, vel pectore telum
Conde meo: iugulumque ſimul, pectusque retexit.
Scilicet aut vlli ſeruire Polyxena ferrem,
Aut per tale ſacrum numen placabitur vllum,
Mors tantum vellem matrem mea fallere poſſet.
Mater obeſt, minuitque necis mihi gaudia: quamuis
Non mea mors illi, verum ſua vita gemenda eſt.
Vos modo, ne Stygios adeam non libera manes,
Eſte procul; ſi iuſta peto: tactuque viriles
Virgineo remouete manus; acceptior illi,
Quisquis is eſt, quem caede mea placare paratis,
Liber erit ſanguis. Si quos tamen vltima noſtri
Verba mouent oris: Priami vos filia regis,

458 *At tu* pro, *aut tu e* Moreti et aliis tribus dedit Heinſ. 460 *ferrem* plurimi. Vulg. *vellem* ex interpretatione. 462 „Anguidi et ſimul duriſſimi hi numeri, tribus vocibus in mugientem illam literam *m* exeuntibus, et tribus ibidem ſpondeis ſe inſequentibus. Ego mallem, *Mors tamen haec vellem mea matrem fallere poſſet.*“ Burm. 470 Vulg. *Verba mouent*, et mox peſſime, *Nunc captiua.*

457 *Iamdudum*, continuo, quam primum, vt XI, 482. *At tu* eleganter ſic ponitur. v. I, 760. Remed. Am. 371 et alibi. Ap. Eurip. vſ. 563. rupto peplo, Ἰδού, inquit, τόδ' εἰ μὲν σέργον, ᾧ νεανία, Παίειν προθυμῇ, παῖσον. εἰ δ' ὑπ' αὐχένα χρήζεις, πάρεστι λαιμὸς εὐτρεπὴς ὅδε. Dictis et factis ſic oſtenderat, ſe libentiſſime oppetere mortem; iam vſ. 460 ſ. cauſſam addit, malo equidem morte mea numen aliquod placare, quam ſeruitutem ſeruire. Cum librarii hunc nexum non perſpicerent, prius *aut* mutarunt in *haud. Polyxena* cum vi, pro, ego. v. ad vſ. 17. Eurip. vſ. 361. ἐμὲ τὴν Ἑκτορός τε κἀτέρων πολλῶν κάρα. *ferrem*, ſuſtinerem, vt Heroid. V, 12. *ſeruo nubere tuli*, et ſaepius ap. Noſtrum — *fallere*, latere.

465 Adſtabant lecti iuuenes Graecorum, qui apprehenderent virginem. Eurip. vſ. 545. Hos *eſſe procul* vult, vt *libera*, volens, non coacta, quod ſeruile foret, moriatur. Hoc quoque ſumſit ab Eurip. vſ. 548. Ἕκασα θνήσκω, μή τις ἅψηται χροὸς πάμαν. παρέξω γὰρ δέρην εὐκαρδίως. Ἐλευθέραν (non apprehenſam) δέ μ', ὡς ἐλευθέρα θάνω, Πρὸς θεῶν μεθέντες, κτείνατ'. Ἐν νεκροῖσι γὰρ δόλῳ κεκλῆσθαι, βασιλὶς ἅδ', αἰσχύνομαι. Alio ſenſu ap. Senec. Troad. 144. *felix Priamus Dicite cunctae: liber manes Vadit ad imos.* Etiam Geſtar ap. Sil. II, 367. *liber Acheronta videre* cupit.

Non captiua, rogat: genetrici corpus inemtum
Reddite: neue auro redimat ius triſte ſepulcri,
Sed lacrimis Tunc, cum poterat, redimebat et auro.
Dixerat. At populus lacrimas, quas illa tenebat,
Non tenet. Ipſe etiam flens inuitusque ſacerdos
Praebita coniecto rupit praecordia ferro.
Illa, ſuper terram defecto poplite labens,
Pertulit intrepidos ad fata nouiſſima vultus.
Tunc quoque cura fuit partes velare tegendas,
Cum caderet, caſtique decus ſeruare pudoris.
Troades excipiunt, deploratosque recenſent
Priamidas: et quid dederit domus vna cruoris.
Teque gemunt, virgo, teque, o modo regia coniux.
Regia dicta parens, Aſiae florentis imago;

477 Multi, *deflexo*, alii *defeſſo poplite*.

471 *Inemtum*, vt ἀπρίατον ap. Homer. Il. α, 99. vbi explicationis cauſſa ſubiicitur ἄποινον. *neue auro redimat* etc. Cic. Verr. V, 45. in ſummae crudelitatis Verrinae ſpeciminibus numerat hoc, quod parentes occiſorum liberorum coacti fuerint *redimere pretio ſepeliendi poteſtatem*. — *Tunc — auro*. Hectoris corpus auro redemerat Priamus. Homer. Il. ω, 229. ſqq. Quod ille fecerat, id nunc Hecubae tribuitur.

474 *Populus*, exercitus graecus tumulum cingens. *tenebat*, reprimebat. Magna in his et in ſeqq. virginis commendatio. *flens inuitusque*. Οὐ θέλων τε καὶ θέλων, οἵκτῳ κόρης. Eurip. vſ. 566. *defectus*, deficiens, vt IX, 154 *Succidimus poples* labanti tribuitur X, 458.

479 De ſtudio moribundorum decore cadendi poſt Cortium et Geſner. ad Plin. Ep. IV, 11, 9. nonnulla collegit Klotzius ad Tyrtaeum p. 63. Idque ſtudium inprimis decebat virginem ingenuam. Sed haec quoque translata ex Eurip. vſ. 569. Πολλὴν πρόνοιαν εἶχεν εὐσχήμως πεσεῖν, κρύπτειν θ' ἃ κρύπτειν ὅμματ' ἀνδρῶν χρεών. *partes tegendas* modeſte.

483 Praeclare ad commiſerationem faciendam valet haec priſtinae et praeſentis fortunae comparatio, vt et quae ſeq. vſ. 509. ſqq. *Aſiae florentis imago*, cuius felicitas reſpondebat opulentiae Aſiae minoris, cuius florentiſſima pars parebat Priamo. Virg. Aen. II, 556. *tot quondam populis terrisque ſuperbum Regnatorem Aſiae*. Senec. Troad. vſ. 6. Troia *columen pollentis Aſiae, — praedae mala ſors*, vilis praedae pars, quae ſorte diſtribuebatur. Ipſa Hecuba ap. Senec. vſ. 53. *praeda quem vilis ſequar? Mea ſors timetur. niſi tamen* correctioni aut exceptioni declarandae inſeruit, vt vſ. 507. *ſi tamen. dominum — Hector*, Hector virtute ſua vix effecit, vt quisquam hoſtium matrem ſuam ſeruam habere vellet. Quo nihil triſtius.

Nunc etiam praedae mala ſors: quam victor Vlixes
Eſſe ſuam nollet, niſi quod tamen Hectora partu
Edideras. Dominum matri vix reperit Hector.
Quae corpus complexa animae tam fortis inane,
Quas toties patriae dederat, natisque, viroque,
Huic quoque dat lacrimas: lacrimas in vulnera fundit.
Oſculaque ore tegit, conſuetaque pectora plangit,
Canitiemque ſuam concreto in ſanguine verrens,
Plura quidem, ſed et haec laniato pectore dixit:
Nata tuae (quid enim ſupereſt?) dolor vltime matri,
Nata, iaces, videoque tuum, mea vulnera, vulnus.
En, ne perdiderim quemquam ſine caede meorum,
Tu quoque vulnus habes. At te, quia femina, rebar
A ferro tutam: cecidiſti et femina ferro,
Totque tuos idem fratres, te perdidit idem
Exitium Troiae, noſtrique orbator, Achilles.

487 *Edideras* de ſuo dedit Heinſ. Vulg. *ediderat*. Fragm. Boxh. *Hectora partum*, vt ſit appoſitio. 491 Thuan. *ore petit*, non male iudice Heinſ. qui etiam, *terit* coni. 494 Heinſ. ſuadet, *Nata tuae (quis enim ſupereſt dolor?) vltima matri*. 495 Vulg. *meum, tua vulnera pectus*. Quidam, *meum tua vulnera vulnus*. Alii aliter. Heinſ. coni. *tuum mea funera funus*.

488 Coniunge, *inane animae*, vnde diſceſſerat anima tam fortis. Heroid. III, 60. *Sanguinis atque animi pectus inane*. — *in vulnera fundit*. IV, 140. *vulnera ſupplenit lacrimis*. — *legit* ex octo Mſſ. in quibus ſec. Palat. Oxon. quart. Medic. dedit Heinſ. et comparat e Virg. Aen. IV, 684. *extremum halitum ore legere* et e Senec. Herc. Oet. *ſpiritum ore legere*. Sed aliud eſt *halitum legere*, aliud, *oſcula*. Rectius hoc diceretur de amantibus oſcula furtim rapientibus. Nempe non mouenda erat lectio vulg. *tegit*. Tegit ore ſuo os filiae ex more, de quo v. ad XII, 423. quamquam anima nunc iam aufugerat. Lenzius tamen *legit* exquiſitius iudicat, atque explicat, colligit oſcula, oſculatur. *Canitiemque* etc. Pr. verrit ſanguinem canis, ſed maluit inuerſe, canos verrit in ſanguine, vt vſ. 961. *caeſuriem per aequora verrere*.

493 *Sed et haec*, quae deploratam Hecubae ſortem egregie pingunt, et commiſerationem extorquent legentibus. *Dolor vltime*, vt X, 198. *Tu dolor es facinusque meum*. Sine cauſſa Heinſius *matris* Mſſ. Ambr. et vnius Patav. auctoritate, mutavit in *matri*. Abſtractis pro concretis poſitis frequentius etiam Genitiuus additur, quam Datiu. XII, 612. Achilles *timor Phrygum*. v. omnino Bentlei. ad Horat. I od. 15, 21. *tuum, mea vul. vulnus* eadem forma, quae X, 197. *videoque tuum, mea crimina, vulnus*.

500 *Exitium Troiae* etiam Paris vr. a vetere poëta ap. Cic. de Diu. I, 21. et Vlyſſes ab Horat.

At poſtquam Paridis cecidit, Phoebique ſagittis,
Nunc certe, dixi, non eſt metuendus Achilles.
Nunc quoque mi metuendus erat. Cinis ipſe ſepulti
In genus hoc ſaeuit: tumulo quoque ſenſimus hoſtem:
Aeacidae fecunda fui. Iacet Ilion ingens:
Euentuque graui finita eſt publica clades.
Si finita tamen. Soli mihi Pergama reſtant,
In curſuque meus dolor eſt. Modo maxima rerum,
Tot generis natisque potens, nuribusque, viroque,
Nunc trahor exſul, inops, tumulis auulſa meorum,
Penelopae munus: quae me data penſa trahentem
Matribus oſtendens Ithacis, Haec Hectoris illa eſt

503 Multi, *cinis ipſo ſepultus*, vt vſ. 61[illegible]. Virg. Aen. IV, 34. Vrbin. mox, *tumulum* 50, Boxh. *fuit Ilion*, vt Virg. Aen. II, 325. 507 Tres, *Vni mihi*, vt Heroid. I, 53.

Iod. 15, 21. Achilles *exitium Troiae* ob captas tot vrbes, interfectosque tot viros, Hectora inprimis, qui vnus omnium fortiſſime defendebat patriam.

503 *Cinis — ſaeuit* et, in *tumulo*, (iuxta tumulum) *quoque ſenſ. hoſtem* eodem redeunt. Itaque iam Scaurus ap. Senec. Controv. 28. Ouidium vituperat, quod nec hoc, nec aliis locis ſcierit, quae bene ceſſerint, relinquere. Sed morоſus ille nimis eſt, cum etiam ſeqq. *Aeacidae fecunda fui*, abeſſe vult. His enim verbis vtique aliquid noui additur. Achilles etiam mortuus in genus noſtrum ſaeuit, vt adeo ei ſoli tot liberos peperiſſe videar. Quamquam nec alterum vrgendum eſt. Lugentium enim affectus verboſus eſſe ſolet, miſeriamque ſuam varie expreſſam repetere. Caeterum cf Q. Cal. 14, 297 ſ vbi eadem ſententia.

505. *Ilion ingens*. v. ad vſ. 169. *Euentus grauis*, exitus triſtis, ipſum Ilii excidium. *Si finita tamen*, quod Heinſ. e Mſſ. pr. Reg. et vno Med. recepit, bene habet v. ad vſ. 486. quamquam nec male cum Mſ. Palat. legeres, *Sit finita tamen*. Temere autem Schepper. emendabat, *Sed finita aliis*, vt valida oppoſitio eſſet. Atqui oppoſ. ſatis valida in *publica clades*, quae ad omnes pertinet, et *ſoli mihi*. *Pergama reſtant*, reſtant pericula et metus, tamquam Pergama adhuc oppugnarentur. Etiam Heroid. I, 51. Penelope Vlyſſi, *vni mihi Pergama reſtant*, nempe quia Vlyſſes non redibat domum cum caeteris Ilio exciſo. *In curſu dolor eſt* etiam IV ex P. XI, 18. v. ad X, 401. *maxima rerum*, vt *pulcherrime rerum* VIII, 49. *potens*. v. ad vſ. 22. *trahor* non modo quia inuita, ſed etiam quia longiore itinere maritimo ſequebatur. v. ad VII, 67. *exſul* nunc, quae abducitur captiua e patria. *penſa* lanificii, Virg. G. I, 390. *penſa carpere*. *Ithacus* pro, *Ithacius* aut *Ithacenſis* etiam apud Virg. perpetuo. Commoda μιμικὰ voces ipſae Penelopes hic ponuntur, quas iam audire ſibi videbatur Hecuba.

Clara parens: haec eſt, dicet, Priameïa coniux.
Poſtque tot amiſſos tu nunc, quae ſola leuabas
Maternos luctus, hoſtilia buſta piaſti.
Inferias hoſti peperi. Quo ferrea reſto?
Quidue moror? quo me ſeruas, damnoſa ſenectus?
Quid, Di crudeles, niſi quo noua funera cernam,
Viuacem differtis anum? quis poſſe putaret
Felicem Priamum, poſt diruta Pergama, dici?
Felix morte ſua, nec te, mea nata, peremtam
Adſpicit, et vitam pariter regnumque reliquit.
At, puto, funeribus dotabere, regia virgo;
Condeturque tuum monumentis corpus auitis.
Non haec eſt Fortuna domus. Tibi munera matris
Contingent ſletus, peregrinaeque hauſtus arenae.
Omnia perdidimus: ſupereſt, cur viuere tempus
In breue ſuſtineam, proles gratiſſima matri,
Nunc ſolus, quondam minimus de ſtirpe virili,
Has datus Iſmario regi Polydorus in oras.
Quid moror interea crudelia vulnera lymphis
Abluere, et ſparſos immiti ſanguine vultus?
Dixit: et ad litus paſſu procedit anili,

517 Mſſ. *annoſa ſenectus*. Paullo ante quatuor, *quid ferrea*. Sec. Vatic. *quid ahenea*. 523 Medic. Flor. et Neap. *donabere*. 532 Vnus Heinſ. *inſonti ſanguine*. Alius, *ſtillanti*. 533 Tres, *properauit anili*, vt Virg. Aen. IV, 641. *gradum ſtudio celerabat anili*.

516 *ferream* nunc ſe dicit, quia par erat calamitatibus tot tantisque perferendis, neque mortem ubi conſciſcebat. *damnoſa*, meras mihi calamitates infligens. *differre* de homine, vt XII, 76.

523 *Funera* rurſus exſequiae, pompa funebris, vt XI, 540. *dotabere* pro, honorabere, aut, vt Mſſ. Medic. Flor. Neap. habent, donabere. Nam *dotare* ſaepe omnino eſt, ornare, donare, ſed h. l. bene delectum cum reſpectu ad *virginem*. — *hauſtus arenae*, particula hauſta arenae. Quam inuidioſe ita humationem in terra peregrina declarat!

527 — 30 Praeclare definit in hoc ſolatio. Ita enim fortius ſentis dolorem, quo miſerrima mater cruciabatur conſpecto repente huius quoque filii corpore. *cur* pro, propter quem.

532 *Immitis ſanguis*, qui profluit per hoſtem immitem.

533 *Anili* non puto hic tarditatem aut tremorem pedum notare, ſed ornat tantum, vt paſſim *virgineus*, *femineus* etc. Quia anus erat, propterea *anili* paſſu procedit. Hic deſerit Euripidem, apud quem vſ. 678. ancilla, aquam marinam hauſtum miſſa, adfert Polydori corpus.

Albentes laniata comas. Date, Troades, vrnam,
Dixerat infelix, liquidas hauriret vt vndas
Adſpicit eiectum Polydori in litore corpus,
Factaque Threïciis ingentia vulnera telis.
Troades exclamant: obmutuit illa dolore;
Et pariter vocem, lacrimasque introrſus obortas
Denorat ipſe dolor, duroque ſimillima ſaxo
Torpet, et aduerſa figit modo lumina terra:
Interdum toruos ſuſtollit ad aethera vultus:
Nunc poſiti ſpectat vultum, nunc vulnera nati,

542 Permulti, *extollit.* Quidam, *attollit.* Quatuor, *tollit torvos ad ſidera.*

537 *Ingentia vulnera* illuſtrat Burm. e Flor. II, 7. *vulnera, non ſpiculis — ſed ingentibus pilis, nec minoribus adacta gladiis vltra mortem patebant.* Addit explicandi *τῆ vltra mortem* cauſſa, tam ingentia fuiſſe vulnera, vt etiam mors potuiſſet minori vulnere inferri, ex vno illorum potuiſſe quaſi plures homines morti dari.

539 *Et*, quippe, ſiquidem. Vlterius enim declarat *τὸ obmutuit. Denorat* accommodatius doloris rabiei, quam, retinet aut ſimile verbum, *introrſus obortas*, expreſſas quidem, ſed non profluentes. Et hoc ad rei veritatem obſeruatum; ira enim furentium oculi hument quidem, ſed nullas lacrimas emittunt. *obortae lacrimae* etiam I, 350. Pro *eſt* multo elegantius *torpet*, quod et naturae ſaxi et obſtupeſcenti conuenit. Per *aduerſam terram* Regius male Troadem intelligebat, e regione Thraciae ſitam. Rectius Micyllus, quam ex aduerſo intuebatur oppoſita, vt XIV, 5. *aduerſa moenia Rhoeti.* Eo ſenſu ſaepe *aduerſa arma, aduerſi hoſtes* etc. v. ad XII, 116. Nam aether et Troas minus bene ſibi opp. quam aether et terra. Res etiam clara eſt ex Heroid. II, 26. quem loc. laudauit Burm. *Haeſit, in oppoſita lumina fixus humo.* De v. *ſuſtollere*, ſurſum tollere, v. Voſſ. lib. 3. de Analog. cp. 37. *poſiti* et dormientes drr. et mortui, et omnino iacentes. *vulnera praecipue*, quippe quae clara eſſent indicia perfidiae Polymeſtoris. *Inſtruit* i. q. *armat*, et e copia poëtica additum, excitat iram, qua vlciſcatur perfidam regis crudelitatem. Sic *armari artibus*, *inſtrui dolis* etc. Burm. tamen praefert Vatic. et Neap. Mſſ. lectionem, *et inſtruit iram.* Iratam enim iamdudum fuiſſe Hecubam, ſed nunc inſtruxiſſe iram, h. e. paraſſe ea, quibus in ardorem exſequendi, quae irata concepiſſet, dari poſſet. Sed vir doctus non attendit ad loci ſeriem. Conſpecto corpore obſtupeſcit, ſpectatis paullisper vulneribus ira excandeſcit. *Qua ſimulac exarſit*, tum demum *vlciſci ſtatuit* perfidiam Polymeſtoris. Praeclare additum, *tamquam regina maneret;* ſaepe enim caſu graui iacentibus redit priſtinus animus, veteris dignitatis recordatio. *poenae in imagine tota eſt* etiam VI, 586 omnem animum intendit ad poenam inueniendam.

Vulnera praecipue: ſeque armat et inſtruit ira.
Qua ſimul exarſit, tamquam regina maneret,
Vlciſci ſtatuit, poenaeque in imagine tota eſt,
Vtque furit catulo lactente orbata leaena,
Signaque nacta pedum ſequitur, quem non videt, hoſtem:
Sic Hecube, poſtquam cum luctu miſcuit iram,
Non oblita animorum, annorum oblita ſuorum.
Vadit ad artificem dirae, Polymeſtora, caedis,
Colloquiumque petit: nam ſe monſtrare relictum
Velle latens illi, quod nato redderet, aurum.
Credidit Odryſius, praedaeque adſuetus amore,
In ſecreta venit, cum blando callidus ore,
Tolle moras, Hecube, dixit, da munera nato.
Omne fore illius quod das, quod et ante dediſti,
Per Superos iuro. Spectat truculenta loquentem,
Falſaque iurantem; tumidaque exaeſtuat ira.
Atque ita correptum captiuarum agmine matrum
Inuolat, et digitos in perfida lumina condit,

554 Heinſ. ſuadebat vel *amori*, vel *allectus amore.*

552 *Relictum.* Et opes in agro Troiano deſoſſas, et pecunias ſecum allatas ſe indicaturam ſimulabat: Eurip. vſ. 1002 — 20. *Odryſius.* VI, 490. In *adſuetus amore* non haerebis, cum v. *adſuefcere* ſaepe Ablat. addatur. v. Burm. *Tolle moras.* v. ad XI, 685.

561 *Inuolare* aliquem, aut in aliquem frequenter de impetu in aliquem facto. v. Heinſ. Idem ad A. A. I, 714. *correptum* explicabat, obiurgatum, ſed h. l. rectius illuſtrat e Phaedr. I, 1. *Atque ita correptum lacerat iniuſta nece.* Ante *agmine* ſubint. *ab.* Troades erant *αἰχμάλωτοι.* Eurip. 882. 1043. *Exſpoliare* verb. probum et antiquum, quod ap. Cic. Salluſt. aliosque auctores egregios legitur. v. Graeu. ad Cic. Attic. X, 4. Itaque miror, ab Heinſ. et Burm. eius confirmandi cauſſa non niſi Nonium, Cyprianum et ſimilis notae ſcriptores laudatos eſſe. Eſt autem h. l. ſimpliciter priuare, vt *ſpoliare lucum ramo* IV Faſt. 753. *ſpoliare anima* aliquem Ibid. 623. Quaeri tamen poteſt, an ab Ouid. manu fluxerit h. v. quod non niſi quinque Mſſ. agnoſcunt, cum multo plures aeque bene habeant, *expilatque*, quod eandem habet vim. Et centies *ſpoliatus expilatusque* coniunctim leguntur. Eſt et tertia lectio, *expellitque*, cui fauet *τὸ genis oculos*, quod, praeter vnum Reg. exhibent Mſſ. omnes. Ap. Eurip. vſ. 1170 fibulis effodiunt oculorum pupulas. *valentem*, validam, vires dat. Talia adſpergit Noſter, cum mulieres inſigne facinus auſas eſſe narrat. *Non lumen — hau-*

Exſpoliatque genas oculis: (facit ira valentem,)
Immergitque manus, foedataque ſanguine ſonti
Non lumen, neque enim ſupereſt, loca luminis haurit.
Clade ſui Thracum gens irritata tyranni,
Troada telorum, lapidumque, inceſſere iactu
Coepit. At haec miſſum rauco cum murmure ſaxum
Morſibus inſequitur: rictuque in verba parato
Latrauit, conata loqui. Locus exſtat, et ex re
Nomen habet; veterumque diu memor illa malorum,
Tum quoque Sithonios vlulauit moeſta per agros.
Illius Troasque ſuos, hoſtesque Pelasgos,
Illius Fortuna Deos quoque mouerat omnes,
Sic omnes, vt et ipſa Iouis coniuxque, ſororque,
Euentus Hecubam meruiſſe negauerit illos.
Memnon. Non vacat Aurorae, quamquam isdem fauerat armis,

562 Vnus Ciofan. tert. Medic. et multi alii, *ira potentem.* Plurimi, *nocentem.* 566 Vnus Ambroſ. et Heinſ. *lapidumque laceſſere.* 568 Plurimi, *ad verba.*

rit. Haec verba condonabimus luxurianti Ouid. ingenio. Si oculis iam exſpoliauerat genas, ſane non potuit eos denuo *haurire*, effodere. *Loca luminis* (VIII, 805. *locus ventris*) non poſſunt effodi, itaque nunc cogitabimus vicinas oculis partes.

567 Canis facta eſt, vt praedixerat Polymeſtor ap. Eurip. Hec. 1265. Ingenioſe, *ſaxum morſibus inſequitur*, accurrit, vt mordeat ſaxum miſſum, more canum. *in verba parato*, cum conformaret et aperiret os, vt voces humanas proferret, vt Lycaon I, 233 et Io vſ. 637. *Exſtat*, adhuc oſtenditur, et *e re* dictus Cynoſſema (κυνὸς τυλωθείσης σῆμα Eurip. vſ. 1275.) quod Iul. Pollux V, 5. ad Seſtum, Dictys lib. V. p. 137. ad Abydum collocat. V. et Strabo lib. XIII. p. 812. Steph. Byz. h. v. Nempe Hecuba ob animi acerbitatem quandam et rabiem in canem tranſiiſſe tradita eſt, et ſepulcrum eius dictum Cynoſſema. Cic. Tuſc. III, 26. Dictys d. l. A Graecis eam eſſe lapidatam narrat Schol. Eurip. ad Hec. vſ. 1257. Alii aliter, v. Hygin. fab. 111. Seru. ad Virg. Aen. III, 6. Ille, *in Helleſpontum mare ſe praecipitavit, et canis dicitur facta eſſe, vnde et Cyneum eſt appellatum.* Cf. et Q. Cal. 14, 345. ſqq. — *Iouis coniux*, quae ſtabat a partibus Graecorum.

FAB. III. vſ. 576 — 622. Memnon, Aurorae et Tithoni filius, rex Aethiopum, opem ferens Troianis, interficitur ab Achille. Iupiter Aurorae precibus motus cineres eius mutat in aues Memnonides, quae quotannis ad ſepulcrum Memnonis bella gerunt; Aurora autem rore luget filium. Fab. tractata, vt ex Arg. Lact. apparet, ab Heſiodo, tum ab Arctino Mileſio in vetuſto carmine Aethiopis. Exſtabat etiam Sophoclis Memnon. Cf. et Q. Calab. II fere tot. Nempe rex aliquis Orientis auſtralis Omnibus beatis coelicolis inſeſocios adduxerat Troianis; inde rior.

Cladibus, et caſu Troiaeque, Hecubaeque moueri,
Cura Deam propior, luctusque domeſticus angit
Memnonis amiſſi: Phrygiis quem lutea campis
Vidit Achillea pereuntem cuſpide mater.
Vidit; et ille color, quo matutina rubeſcunt
Tempora, palluerat: latuitque in nubibus aether.
At non impoſitos ſupremis ignibus artus
Suſtinuit ſpectare parens: ſed crine ſoluto,
Sicut erat, magni genibus procumbere non eſt
Dedignata Iouis, lacrimisque has addere voces:
Omnibus inferior, quas ſuſtinet aureus aether,
(Nam mihi ſunt totum rariſſima templa per orbem,)
Diua tamen venio, non vt delubra, diesque
Des mihi ſacrificos, caliturasque ignibus aras.
Si tamen adſpicias, quantum tibi femina praeſtem,
Tum cum luce noua, noctis confinia ſeruo;
Praemia danda putes. Sed non ea cura, neque hic eſt
Nunc ſtatus Aurorae, meritos vt poſcat honores,

579 Pro *lutea* vnus Reg. *caerula.* 581 Prior Gronov. pro div. lect. *et ille Deus*, vnde Heinſ. coni. *decor.* Oxon. etiam *rubeſcit*, vt ſit Graeciſmus. 582 Exc. Langerm. *ſub nubibus.* 587 Quia modo praeceſſit *aether*, propterea Heinſ. malit ex vno Argent. *aureus axis.* Idem etiam volebat, *quot ſuſtinet.* 594 Argent. *meritos ſibi poſcat.*

Omnibus beatis coelicolis inferior.

Aethiopes autem Graecis et Aſiae orientalis incolae.

579 *Lutea*, flaua. v. ad VII, 703. Mater ſe abſcondidit, vt Lucifer in morte Ceycis XI, 570. Tryphiod vſ. 29. ἣ δ' ἐπὶ πότμῳ Μέμνονος ἠϊθέην νεφέλην ἀνεδύσατο μήτηρ etc. Sic et Q. Cal. verſ 548. et Senec Troad. 237. *Achillea cuſpide*, quemadmodum ab eo interfectus Antilochus. Homer. Od. δ, 187. Hygin fab. 112.

585 *Genibus*, ad genua. — *ſuſtinet*, habet. *aureus*, pulcher.

590 *Sacrificum* poëtis eſt, quidquid ad ſacra pertinet. *Sacrifica ſecuris*, *ſacrifica ara*, *ſacrifici ritus*. Ergo etiam licuit *ſacrificos dies* dicere, quibus ſacra fiunt. Non igitur erat, cur Heinſ. et Burm. h. l. haererent, et ille ſuaderet, *popasque ſacrificos*, hic vel *dapes ſacrificas*, vel *focos ſacrificos*. Schirach. interpretatur, ſacerdotes, quod ferri non poteſt. *caliturae ignibus* pro, in quibus victimae adoleantur. Cf. XII, 12.

592 *Confinia lucis et noctis* amat Noſter de crepuſculo et Aurora. IV, 401. VII, 706. *noua*, exoriente. *ſeruo*, teneo.

594 *ſtatus*, conditio, fortuna.

Memnonis orba mei venio: qui fortia fruſtra
Pro patruo tulit arma ſuo, primisque ſub annis
Occidit a forti, ſic vos voluiſtis, Achille.
Da, precor, huic aliquem, ſolatia mortis, honorem,
Summe Deûm rector, maternaque vulnera leni.
Iuppiter annuerat; cum Memnonis arduus alto
Corruit igne rogus, nigrique volumina fumi
Infecere diem. Veluti cum flumina natas
Exhalant nebulas, nec Sol admittitur infra.
Atra fauilla volat, glomerataque corpus in vnum
Denſatur, faciemque capit, ſumitque calorem,
Atque animam ex igni. Leuitas ſua praebuit alas.
Et primo ſimilis volucri, mox vera volucris
Inſonuit pennis: pariter ſonuere ſorores
Innumerae, quibus eſt eadem natalis origo.
Terque rogum luſtrant: et conſonus exit in auras

596 Vatic. Baſil. duo Moreti, *ſub armis.* 597 Tres, *concidit* Moreti. *a magno.* Plurimi, *ſic Di voluiſtis.* vid. l. 2. 599 Quidam, *pectora leni.* 602 Prior Baſ. *nigras — nebulas* Burm. ſuadet, *latus.* 603 Quidam, vt S. Marc. Neap. pr. Palat. *denſatur*, quod probat Heinſ. 610 Ciofanio placet ex vno, *et ter ſonus*; male.

pro patruo, nam Tithonus, pater Memnonis, frater erat Priami. Inde Aurora *iisdem fauerat armis* vſ. 576. *primis ſub annis*, v. ad XII, 183 *Occidit a forti.* v. ad V, 192. *Sic vos vol.* vt *ſic viſum Superis*, ſollemnis formula ſolatii in rebus duris.

601 *Volui fumum* dixerat Virg. Aen. III, 206. Hinc eleganter ei *volumina* tribuuntur. Etiam *vndare* ſuaui metaph. dr. Aen. II, 609. *natas exhalant*, exhalant ſic, vt naſcantur, exhalant naſcendas, ex vſitata poëtarum loquendi ratione, quam illuſtrauimus ad I, 32. et alibi. Fruſtra igitur hic ſe torquet Burm. *nec ſol admit. infra*, ſolis radii non admittuntur in terram. Cf. I, 603.

604 *glomerataque — Denſatur*, vt IX, 222. *ſpiſſa glomerari grandine corpus — calor*, vis vitalis, hinc cum *anima* coniungitur. *Leuitas ſua*, leues particulae fauillae praebuerunt materiam alarum. *Plumae* et *alae* ſollemni epitheto *leues* drr. *vera volucris*, v. ad X, 250. *inſonare* de clangore alarum. Etiam V, 294. *pennis ſonuere per auras.* Satis fuiſſet, *eadem origo*, ſed addidit *natalis*, quia *natalis dies*, *natale ſolum* dr.

610 *conſonus*, quia coniunctim ſonant. *Exit in auras*, fit in aëre. *feducunt caſtra* bene pro, diſcedunt, in diuerſa loca volant; bella enim gerunt. Minime ergo praeferam alteram lectionem, *ſuccedunt aſtra*, quae Heinſ. non diſplicebat. *populus*, vt *gens* et ap. Graecos ἔθνος, ſaepe de animantibus. *diuerſa de parte*, partibus factis. *iras exercent.* v. ad XII, 581.

Ter clangor: quarto ſeducunt caſtra volatu.
Tum duo diuerſa populi de parte feroces
Bella gerunt, roſtrisque et aduncis vnguibus iras
Exercent, alasque, aduerſaque pectora laſſant:
Inferiaeque cadunt cineri cognata ſepulto
Corpora; ſeque viro forti meminere creatas.
Praepetibus ſubitis nomen facit auctor: ab illo
Memnonides dictae, cum Sol duodena peregit
Signa, parentali perituraе Marte rebellant.
Ergo aliis latraſſe Dymantida flebile viſum:
Luctibus eſt Aurora ſuis intenta, piasque
Nunc quoque dat lacrimas, et toto rorat in orbe.
Nec tamen euerſam Troiae cum moenibus eſſe *Anius.*

619 Dan. Heinſ praefert, quod eſt in Palatinis, *parentali moriturae more rebellant* 620 Deeſt hic verſ. in multis. 622 Schepper. mallet, *rorat ab ore.*

615 Plin. X, 26. *Auctores ſunt, omnibus annis aduolare Ilium ex Aethiopia aues, et conſligere ad Memnonis tumulum, quas ob id Memnonidas vocant. Hoc idem quinto quoque anno facere eas in Aethiopia circa regiam Memnonis, exploratum ſibi Cremutius tradit.* Cf. Aelian. Nat. An V, 1. Helleſpontii tradebant, eas quotannis ad Memn. ſepulcrum aduolantes humum euerrere, eamque aqua pennis collecta adſpergere, Pauſan. X, p. 875. Graecis illae aues, monente Burm. dictae ſunt ἀντίψυχοι, quia pro anima Memnonis ſuam perdunt. Apud Q. Cal. II vſ. 550 ſqq. venti auferunt Memnonis corpus, et e guttis decidentibus oritur fluuius Paphlagonius, qui, quoties funeſta Memnonis dies illuceſcit, ſanguinolentus labitur. Corpus a ventis deponitur in Aeſepi ripa, ibique a Nymphis exſtruitur monumentum. Milites Memnonis, dum lugent ducem, ab Aurora mutantur in aues, quae partibus factis quotannis pugnant ad monumentum illud, donec aut altera alteram conficiat, aut ambae pereant. *Rebellant.* v. ad IX, 81. *parentali Marte*, pugna, qua parentatur, h. e. inferiae fiunt in honorem Memnonis. I Amorr. XIII, 3. *Sic Memnonis vmbris, Annua ſollemni caede parentet auis.* Pro *morte* Heinſ. ex ingenio dedit *Marte*, vt alludatur ad gladiatores in funeribus patriciis exhiberi ſolitos. Sed reclamant omnes Mſſ. nec loc. ille ex Amorr. laudatus huic emendationi fauet, quamquam Heinſ. et ibi mallet, *ſollemni Marte.*

620 Hecuba, *Dymantis* filia. Homer. Il. π, 718. Hygin. fab. 111. Euripidi fuit Ciſſei filia. Vid. et Apollod. III, 12, 5. — *rorat in orbe.* Seru. ad Virg. Aen. I, 493. de Memnone, *cuius mortem mater Aurora hodieque matutino rore flere dicitur.*

FAB. IV. vſ. 623 — 704. Aeneas, relicta Thracia, in inſulam Delum venit, ibique ab Anio excipitur, cuius filiae in columbas mutatae erant, et cratera munere accipit, in quo Orio-

Spem quoque fata sinunt. Sacra, et sacra altera patrem,
Fert humeris venerabile onus Cythereïus heros.
De tantis opibus praedam pius eligit illam,
Ascaniumque suum: profugaque per aequora classe
Fertur ab Antandro, sceleratasque limina Thracum,
Et Polydoreo manantem sanguine terram
Linquit: et vtilibus ventis aestuque secundo
Intrat Apollineam, sociis comitantibus, vrbem.

626 Quidam, *eligit vnam.* Pro *eligit* Palat. sec. *excipit.* 628 Vulg. *litora Thracum.* 629 Vnus Bas. *Polydore tuo.*

nis filiae expressae. Auctores vide ad vs. 631. laudatos.

623 Fatale erat, Deos Troianorum patrios Italiae inferre, ibique Lauinium condere, vnde Roma oriunda. *Sacra*, simulacra Deorum patriorum lignea. Docte de iis disputat Heyn. Exc. IX ad Virg. Aen. II. Praeclare additum, *sacra altera*, ob pietatem, quam parentibus debemus. Et ita etiam I Fast. 525. IV, 38. Hectoris vmbra ad Aeneam: *Sacra suosque tibi commendat Troia Penates. Hos cape fatorum comites: his moenia quaere Magna pererrato statues quae denique ponto.* Virg. Aen. II, 293. *Ascanius*, qui et Iulus dictus, dextrae se implicuit patris. *Pius* ergo ille in Deos, in patrem et in filium.

628 Ad Idam montem multi Troiani congregati sunt, quibuscum Aeneas *Antandrum* petiit, inque huius vrbis portu classem fecit. Ex eo portu soluit vel autumno eiusdem anni, quo Troia capta, vt vult Dionys. Halic. I, 63. vel aestate sequentis secundum Virg. v. omnino Heyn. Exc. I et II. ad Aen. III. de Aeneae erroribus et de annis illorum errorum. Primum ad ostia Hebri appulit, ibique vrbem Aenum condidit. Cognita Polymestoris perfidia, inde digressus est. Virg. Aen. III, 13. sqq. quem Noster omni h. l. sequitur. *Antandrus* autem tempore belli Troiani nondum condita fuisse videtur. V. Woodii Addit. ad lib. de Homeri ingenio p. 98. *Limina*, sedes. *manantem* hyperbolice *aestus*, ventus, vt vs. 728 *remisq. e aestuque secundo*, et Aen X, 687. *fluctuque aestuque secundo.*

631 In insulam Delum venit, cum *Anius* ibi regnaret; atque etiam serioribus temporibus multa huius aduentus indicia visebantur. Dionys. I, 50. De *Anio*, qui in veterum poetarum mythis fuit celebratissimus, et de filiabus eius cf. Lycophr. Cass. 570. et Schol. ad e. l. Serv. ad Aen. III, 80. Dictys lib. I. fin. Esse hanc ex antiquissimis tabulis, siquidem Pherecydem et Cypria Epe de ea laudet Tzetz. d. l. monet Heyn. Rex *colit* homines, curam eorum gerit, vt *Dii* homines *colere* drr. VIII, 724 et ap. Cic. N. D. I, 41. vbi v. Davis. *Rite*, e legibus sacris, *colere* Deum formula sollemnis. More antiquo simul rex, simul sacerdos fuit. *templo recepit* nil aliud est, nisi, duxit nos in templum, vt ibi preces faceremus. More suo vni verbo duo diuersa nomina adiunxit. Virg. d. l. *Templa Dei saxo venerabar structa vetusto.* *Vota*, ex voto posita, vt *vota munera*, *votae victimae* etc. passim. Etiam *votiua* talia drr. *Duas*

Hunc Anius, quo rege homines, antistite Phoebus
Rite colebantur, temploque, domoque recepit,
Vrbemque ostendit, delubraque vota, duasque
Latona quondam stirpes pariente retentas.
Ture dato flammis, vinoque in tura profuso,
Caesorumque boum fibris de more crematis,
Regia tecta petunt: positique tapetibus altis
Munera cum liquido capiunt Cerealia Baccho.
Tum pius Anchises, o Phoebi lecte sacerdos,
Fallor? an et natum, cum primum haec moenia vidi,
Bisque duas natas, quantum reminiscor, habebas?
Huic Anius niueis circumdata tempora vittis
Concutiens, et tristis ait: Non falleris, heros
Maxime: natorum vidisti quinque parentem:
Quem nunc (tanta homines rerum inconstantia versat)
Paene vides orbum. Quid enim mihi filius absens
Auxilii? quem dicta suo de nomine tellus
Andros habet, pro patre locumque et regna tenentem.

632 Duo, *quo antistite.* 634 *Vota* e quinque Mss. recepit Heins. Vulg. *nota.* 637 Tres, *de more litatis.* v. ad XIV, 156. 638 *Positique* Heins. recepit e Barber. et vno suo pro, *positisque.* 649 Numeros satis euincere nihil hic Nasonianum esse censet Heins. Suadet ergo, *locos et regna*, vel *loci iam regna* aut *sceptra.*

stirpes, palmam et laurum, a *Latona retentas*, quarum truncos manibus apprehendit Latona parturiens. Eurip. Hec. vs. 458. Vnius palmae mentionem faciunt Homer. h. Apol. vs. 17. Theognis vs. 6. Callim. h. Del. 210. Vetustissimam palmam inde ab Apollinis aetate in insula Delo conspici, narrat Plin. XVI, 44. Cf. ad VI, 335.

637 *Fibrae*, exta. Proprie extorum extremitates. *Positi*, accumbentes. v. ad vs. 540. *Tapetibus*, vestibus stragulis, puluini lectulorum instrui solebant. *altis*, quia puluini alti. Sic etiam Virg. Aen IX, 325.

640 Serv. ad Aen. III, 82. *Ad Anium Anchises ante Troicum bellum consultum venerat, an Salaminam peteret comes Priamo.* Hinc Anius etiam ap. Virg. d. l. *veterem Anchisen agnoscit amicum.*

643 Candida vitta insigne sacerdotum. Virg. vs. 81. Anius *vittis et sacra redimitus tempora lauro.*

646 *Inconstantia rerum*, item cura, spes, pauor, *versare* homines drr. quamquam multis locis librarii ei substituerunt *vexare*, quod notius est, atque interpretationi alterius inseruit. v. Bentlei. ad Horat. Ep. II, 2, 90. Etiam h. l. Basil. Ms. *vexat.*

649 *Pro patre*, relicto patre, *locum et regna*, loci, insulae illius regnum tenebat. VI, 677. *Sceptra loci, rerumque moderamen. Augurium*, vis diuinandi. *altera*, alia. *sorti*, sexui, et VI, 680. IX, 676.

Delius augurium dedit huic, dedit altera Liber
Femineae ſorti voto maiora, fideque
Munera: nam tactu natarum cuncta mearum
In ſegetem, laticemque meri, baccamque Mineruae
Transformabantur: diuesque erat vſus in illis.
Hoc vbi cognouit, Troiae populator, Atrides;
(Ne non ex aliqua veſtram ſenſiſſe procellam
Nos quoque parte putes) armorum viribus vſus,
Abſtrahit inuitas gremio genitoris: alantque
Imperat Argolicam coeleſti munere claſſem.
Effugiunt quo quaeque poteſt. Euboea duabus,
Et totidem natis Andros fraterna petita eſt.
Miles adeſt, et, ni dedantur, bella minatur.
Victa metu pietas conſortia pectora poenae
Dedit: et vt timido poſſis ignoſcere fratri;
Non hic Aeneas, non, qui defenderet Andron,
Hector erat: per quos decimum duraſtis in annum.
Iamque parabantur captiuis vincla lacertis:
Illae tollentes etiamnum libera coelo
Brachia, Bacche pater, fer opem, dixere: tulitque
Muneris auctor opem. Si miro perdere more
Ferre vocatur opem. Nec qua ratione figuram
Perdiderint, potui ſcire, aut nunc dicere poſſim.
Summa mali nota eſt: pennas ſumſere, tuaeque
Coniugis in volucrem, niueas, abiere, columbas.
Talibus atque aliis poſtquam conuiuia dictis

651 Vulg. *femineae ſtirpi.* 662 Fere omnes, *ni reddantur.* 664 Ante Heinſ. edeb. *conſortia corpora*, vt paſſim *ſociorum corpora.*

Ab hoc munere illae dictae ſunt Oenotropae. v. Tzetz. ad Lycophr. Caſſ. vſ. 570. Stephan. in Ἄνδρος, vbi et de conditore Andri agitur. *Diues erat vſus in illis*, maximum emolumentum, magnae diuitiae mihi inde redibant.

656 *Procella*, vt *tempeſtas*, de calamitatibus et turbis bellicis.

663 *Conſortia pectora*, conſortes, vt ſupra *cognata pectora* pro, cognatus. *Conſortes* autem ſunt ſorores, vt *conſors ſanguis*, fraternus, VIII, 445. v. ad XI, 348. *Dedit* nunc eſt a *Dedo*. Mox perquam humaniter additum, *Non hic Aeneas* etc. *duraſtis*, reſtitiſtis.

673 *Summa mali nota eſt* pro vulgari, ad ſummam, aues factae ſunt, vt notum eſt. *Summa* rei, id quo tota res redit, quo definit. *in volucrem*, in volucres, vt V, 298. *ales erant.*

675 *Conuiuia dictis implerunt*, multis variisque, vt fit, conſabulationibus inſtitutis conuiuium

Implerunt, menſa ſomnum petiere remota:
Cumque die ſurgunt, adeuntque oracula Phoebi:
Qui petere antiquam matrem, cognataque iuſſit
Litora. Proſequitur rex, et dat munus ituris:
Anchiſae ſceptrum; chlamydem, pharetramque nepoti,
Cratera Aeneae; quem quondam miſerat illi
Hoſpes ab Aoniis Therſes Iſmenius oris.
Miſerat hunc illi Therſes, fabricauerat Alcon
Myleus, et longo caelauerat argumento.
Vrbs erat: et ſeptem poſſes oſtendere portas:

682 Magna hic varietas. Pro *Aoniis* alii *Haemoniis*, *Hiſpanis*, *Ioniis* etc. Pro *Iſmenius* vnus Heinſ. *Ymeneius*, Graeuian. *Imeneius*, vnde Heinſ. coni. *Minyeius.*

tranſegerunt. *menſa remota.* v. ad IX, 92. *Cum die*, eodem tempore, quo dies illuceſcebat. v. Corte ad Salluſt. Iug. 68, 2. *adeunt oracula* more eorum, qui nouas terras quaerunt. v. ad III, 8. *Antiquam matrem*, terram, vnde priſci gentis Troianae auctores originem ducebant, nempe Italiam, vnde Dardanus venerat. Virg. d. l. vſ. 64. *quae vos a ſtirpe parentum Prima tulit tellus, eadem vos vbere laeto Accipiet reduces. Antiquam exquirite matrem.* Hinc Noſter ex ingenii ſui abundantia addidit *cognata litora.*

679 *Proſequitur* diſcedentes, honoris cauſſa eos comitatur et deducit. *ſceptrum* forte cum ſignificatione futuri imperii, quamquam ſceptrum omnino inſigne hominum honore aut genere conſpicuorum. In muneribus heroum *crater* plerumque eſſe ſolebat, isque *caelatus*. Additur fere ſingulis locis, quis eum elaborauerit, et per quas manus ad nouiſſimum dominum peruenerit. Cf. Homer. Od. O, 115. ſqq. Virg. Aen. V, 535 ſqq. quem Noſter imitatus eſt, *Ipſius Anchiſae longaeui hoc munus habebis, Cratera impreſſum ſignis: quem Thracius olim Anchiſae genitori in magno munere Ciſſeus Ferre ſui dederat monumentum et pignus amorem.* — *Alcon*, faber argentarius, inclytus fortaſſe priſcis temporibus ab arte ſua. *Lydius* Alcon vocatur a Lactant. in Argum. Sed h l. pro *Myleus* Mſſ. prope omnes *Nileus*, vnde Heinſ. coni. *Nileos*, Nilei filius. *Argumentum*, hiſtoria in cratere expreſſa, *longum*, cuius multae partes, multi actus. In operibus artis, v. c. foribus, clypeis, poculis, peplis etiam fabulae plerumque expreſſae erant, quibus enarrandis placent ſibi poetae. Cf. II, 5. ſqq. VI, 69. ſqq. Virg. Aen. VIII, 625. Moſchus Id. II, 37. ſqq.

685 Pro, videre, perſpicere maluit *oſtendere*, nempe alteri ſimul contemplanti. Illae portae docebant, illam vrbem eſſe Thebas ſeptem portis nobiles. Θήβη Ἑπτάπυλος. Thebas illo tempore ſiccitas et peſtis premebant; quas calamitates quomodo artifex expreſſerit, ſeqq. oſtenditur. *Ignesque rogique* per hendiadyn, rogi ardentes. Sine cauſſa Heinſius coni. *vrnaeque rogique.* — *flere videntur.* X, 250. de Pygma-

Hae pro nomine erant, et, quae foret illa, docebant.
Ante vrbem exsequiae, tumulique, ignesque, rogique,
Effusaeque comas, et apertae pectora matres
Significant luctum. Nymphae quoque flere videntur,
Siccatosque queri fontes. Sine frondibus arbos
Nuda riget: rodunt arentia saxa capellae.
Ecce facit mediis natas Orione Thebis,
Hanc non femineum iugulo dare pectus aperto,
Illam, demisso per fortia vulnera telo
Pro populo cecidisse suo; pulchrisque per vrbem
Funeribus ferri, celebrique in parte cremari.
Tum de virginea geminos exire fauilla,
Ne genus intereat, iuuenes, quos fama Coronas
Nominat, et cineri materno ducere pompam.
Hactenus antiquo signis fulgentibus aere

691 Vulg. *lambunt arentia.* Vnde Heins. *per Martia*, vt respiciat. 694 Florent. *per inertia vulnera*, vt ad originem Thebarum a Marte 700 Duo Bas. et vnus Moreti, *signis exstantibus*, vt XII. 235.

lionis statua, *quam viuere credas. Riget.* v. ad XI. 150. *rodere saxa* egregie de capellis sparsas in saxis et breuissimas herbas carpentibus.

692 *Orion* Thebanus duas habebat filias, Metiocham et Menippam. Cum aliquando pestis saeuiret per Boeotiam, et responsum esset, Deorum iram placari non posse, nisi duae immolarentur virgines, caeteris recusantibus, hae pro salute patriae se obtulerunt. Cf. Anton. Lib. cp. 25. *fecit* ab artifice translatum ad ipsum opus, quod exhibet argumentum. *non femineum.* Supra vs. 451. *plus quam femina. fortia vulnera*, quae quis forti animo patitur. *pulchra funera*, pompa funeralis frequens, adeoque gloriosa mortuo. *Sic pulchra mors, pulchra vulnera* etc. *celebri in parte.* Illustribus hominibus illustri loco sepultura apud Graecos et Rom. assignabatur. Corn. Nep. X, 10, 2. de Dione, *Itaque in vrbe celeberrimo loco, elatus publice, sepulcri monumento donatus est.* — v Kirchm. de Funeribus lib. II. cp. 25 et 26. — *quos fama Coronas Nom.* Lactant. Arg. *qui et virginum nomine Coronae sunt nominati.* Anton. Lib. d. l. Προσαγορεύεσθαι δ' αὐτὰς ἄχρι νῦν Αἰολεῖς Κορωνίδας παρθένας.

700 *Summus crater*, os crateris, erat *asper, inaurato acantho*, h. e. in eo aureo sculpta erat figura aspera acanthi. *Acanthus* herba nobilis et mollis (Nobis Baerenklau. v. Intt. ad Virg. Ecl. III, 45) qua et ansae poculorum ornari solebant, Virg. d. l. Eiusdemque crateris *signa* eminentia *hactenus*, adhuc *fulgebant antiquo aere.* v. ad XII, 235. *Remittunt*, vicissim dant. *facerdoti*, Anio, quatenus sacerdos erat,

Summus inaurato crater erat asper acantho,
Nec leuiora datis Troiani dona remittunt;
Dantque sacerdoti, custodem turis, acerram;
Dant pateram, claramque auro, gemmisque coronam.
Inde recordati Teucros a sanguine Teucri
Ducere principium, Creten tenuere, locique
Ferre diu nequiere Iouem: centumque relictis
Vrbibus, Ausonios optant contingere portus.

707 Olim, *nequiere luem. properant.* 708 Sex, *aptant.* Heins. conl.

dant acerram et pateram, quatenus rex, coronam. *Acerra* non est turibulum, ara, in qua tus adoleretur, vt vulgo putant, sed, vt hic ipse locus satis docet, vasculum aut arcula, in qua tura conseruabantur, vt inde depromta in ignem coniicerentur; hinc *custos turis*, vt VIII, 320. pharetra *custos telorum. Corona* hic non est sacrificantium, ea enim non gemmis ornata erat, sed vittis et infulis aut frondibus sacris implexa; verum diadema, intel. insigne regium, vt apud Virg. Aen. I, 655. (quem Noster imitatus est,) Aeneas ferri iubet inter alia munera, *duplicem gemmis auroque coronam.* V. ibi Heyn.

FAB. V. vs. 705 — 968. Aeneas, relictis variis locis, ad *Scyllam* venit, cuius fatis, abrupta orationis serie, immoratur poëta. Scyllae enim *Galatea* narrat *Polyphemi* amores *Acidisque* obitum. 740 — 897. Ei deinde apparet *Glaucus*, in Deum marinum mutatus. 898 — fin. Auctores horum v. ad vs. 755 et 898.

705 Cum oraculum antiquam matrem petere iussisset, Anchises reuoluens animo veteres historias, Cretam intelligi putat, vnde olim *Teucer* venerat in agrum Troianum. Huc ergo alacres tendunt, ibique et agrum colunt et vrbem Pergameam condunt. *Sed loci ferre diu nequiere Iouem*, nempe cum vnum atque alterum annum hic transegissent, aëris grauitas, lues corporibus infesta, et siccitas agrorum relinquere illa loca eos coëgit. Virg. Aen. III. vs. 102 — 133. *Iupiter* saepe pro aëre, sed h. l. cum dilectu, quia Creta solum natale Iouis. Cum iterum oraculum consuluissent, non Cretam, sed *Ausoniam* s. Italiam petere iussi sunt. Virg. vs. 137 — 191. *Centum* vrb. IX, 665. *Saeuit hiems*, quia procellosum mare in his plagis esse solet. v. Heyn. ad Virg. vs. 192. *Strophades*, duae insulae in mari Ionio, occidentali Peloponnesi litori obuersae. Huc ex domo Phinei expulsae erant a Zeto et Calai Harpyiae, in quibus vna Aëllo. v. ad VII, 3. Virg. vs. 209 sqq. *exterruit* horrifico alarum clangore, dira voce, tetro odore, dapibus partim direptis, partim immundo contactu foedatis, tristique oraculo edito. *Same* postea Cephalenia dicta. Iuxta eam *Dulichium. Neritos*, Ithacae mons. Sed Noster diuersam facit ab Ithaca insulam, secutus Virg. vs. 270 sqq. *Iam medio apparet fluctu nemorosa Zacynthos, Dulichiumque, Sameque et Neritos ardua saxis. Effugimus scopulos Ithacae, Laertia regna, Et terram altricem saeui exsecramur Vlixi.*

Saeuit hiems, iactatque viros: Strophadumque receptos
Portubus infidis exterruit ales Aello.
Et iam Dulichios portus, Ithacamque, Samenque,
Neritiasque domos, regnum fallacis Vlixei.
Praeter erant vecti: certatam lite Deorum
Ambraciam, verſique vident ſub imagine ſaxum
Iudicis, Actiaco quae nunc ab Apolline nota eſt,
Vocalemque ſua terram Dodonida quercu,
Chaoniosque ſinus: vbi nati rege Molosſo

711 Vulg. *Samumque.* Sed v. Heinſ. ad Remed. Amor. vſ. 268. 713 Vulg. *praetereant vecti.* 715 Nonnulli, *Indicis.* Palleratius ad Propert. III, 10. legit *Vindicis.*

714 Ad Actium appulerunt, ſinus Ambracii promontorium. Inde in vrbem *Ambraciam* venerunt, in qua regnabat Ambrax, Herculis nepos. Dionyſ Halic. I, 51. De ea olim *certauerunt* Apollo, Diana et Hercules. Cragaleus, *iudex* electus a Diis, cum Ambraciam adſeruiſſet Herculi, ab Apolline in *ſaxum verſus* eſt. Anton Lib. cp. 4 Ibi etiam nobile templum *Apollinis Actiaci.* Strabo lib. X. p. 451.

716 Nunc male deſerit ducem ſuum. Ap. Virg vſ. 291. ſ. relicto Ambracio ſinu praeterueheuntur *Phaeaciam* ſ. Corcyram, tum litora Epiri legunt, portum Chaonium intrant et Buthrotum adeunt. Sed apud Noſtrum prius conſpiciunt *Dodonam*, quod fieri non potuit; Dodona enim in ſeptemtrionali Epiri parte ſita fuit. Secundum Dionyſ. Hal. I, 51. Aeneas, relicta claſſe apud Buthrotum, cum lectiſſimis viris, duorum dierum itinere per terram confecto, Dodonam peruenit, Iouis oraculum conſulturus. Ea olim a *Chaonibus* habitata, poſtea *Molosſis* paruit. Euſtath ad Homer. Od. ξ, p. 544. Ibi nobile quercetum, cuius quercus voce humana locutae eſſe atque oracula ediditſe traduntur, vnde προσηγόροι et μαντικαὶ δρῦες dictae ſunt. *Molosſorum rex* Munichus tres habuit filios et vnam filiam, qui, cum latrones ignem iniecitſent domibus, a Ioue in aues mutati ſunt. Anton. Lib. cp. 14. — *felicibus obſita pomis.* Reſpicit ad Alcinoi hortos, qui per totum annum abundabant omnis generis fructibus. Homer. Od. η, 112 ſqq. *Buthrotos* aut Buthrotum ad portum Pelodem. Hic regnabat *vates Phrygius*, Helenus, Priami filius, (cf. vs. 320.) qui Pyrrhi et coniuge et regno potitus, priſtinae patriae nomina ad nouas ſedes tranſtulerat, more eorum, qui colonias deducebant in alias oras Hinc *ſimulata Troia*, aſſimilata priori Troiae. Virg. vſ. 349 *Procedo, et parvam Troiam ſimulataque magnis Pergama, et arentem Xanthi cognomine riuum Agnoſco.* Et vſ. 302 *falſus Simois* eodem ſenſu. Apud Dionyſ. d. l. Aeneas cum ſociis Dodonam profectus in Helenum incidit. Sed Virg vnde Noſter pendet, ad Buthrotum illum occurſum tranſtulit.

Irrita ſubiectis fugere incendia pennis.
Proxima Phaeacum felicibus obſita pomis
Rura petunt. Epiros ab his, regnataque vati
Buthrotos Phrygio, ſimulataque Troia tenentur.
Inde futurorum certi, quae cuncta fideli
Priamides Helenus monitu praedixerat, intrant
Sicaniam. Tribus haec excurrit in aequora linguis:
E quibus imbriferos obuerſa Pachynos ad Auſtros:
Mollibus expoſitum Zephyris Lilybaeon: at Arcton
Aequoris expertem ſpectat, Boreamque Peloros.
Hac ſubeunt Teucri, remisque aeſtuque ſecundo:
Sub noctem potitur Zanclaea claſſis arena
Scylla latus dextrum, laeuum irrequieta Charybdis
Infeſtant. Vorat haec raptas, reuomitque carinas:
Illa feris atram canibus ſuccingitur aluum,

718 *Irrita* pro *impia* dedit de ſuo Heinſ. qui malit etiam *ſubuectis pennis.* Mitſche l. *impia* reuocauit. 724 Heinſ. legit, *trinis excurrit* et τὸ *haec* inepti gloſſatoris figmentum eſſe putat. 725 *obuerſa* pro *eſt verſa* e ſeptem Mſſ. repoſuit Heinſ quia illud verb. ſaepius fere Ouidio 728 Vulg. *Hanc ſubeunt.* Mox Flor. S. M. *patitur arenam*, vnde Heinſ. *potitur arenam*, vt III Faſt. 421, *potiturque cupitam.*

722 Cum orientalis Italiae pars iam prope in conſpectu eſſet Troianorum, ab Heleno *mouentur*, ad occidentales oras ſe a ſatis duci; itaque antea Siciliam adeundam eſſe. Simul ab eo docentur, quae loca tranſeunda aut praetereunda, quid petendum quidque vitandum, et in quo loco conſidendum ſit. Virg vſ. 374—462.

724 *Lingua* frequenter de promontorio. v Heinſ Sic et fluviis *labia*, montibus *ſupercilia*, mari *brachia* tribuuntur vid. Gataker. Miſcel. p. 364. Verba in hac re ſollemnia *excurrere* et *procurrere*, vnde promontoria ipſa *procurſus* vrr. De Siciliae promontoriis cf. V, 350. *aequoris exp* II, 172.

729 *Potitur arena*, vt XI, 55. et Virg. Aen. I. 172. *Zancle* olim Meſſana dicta a forma falcata, quam habet promontorium portum illius vrbis includens. *aeſtu*, vſ. 630.

730 De Scylla et Charybdi v. ad VII, 63. Cf. Virg. vſ 420 — 32. Digreditur nunc ad Galateae et Scyllae fata; ad Aeneam autem demum lib. XIV, 75 redit. *irrequieta* Virg. *implacata*, quod et h. l. vnus Medic agnoſcit, et Heinſ. ex *impacata* ortum temere putabat. *Vorat* etc. Idem. *imo barathri ter gurgite vaſtos Sorbet in abruptum fluctus, rurſusque ſub auras Erigit alternos, et ſidera verberat vnda.* Copioſius *Scyllam* deſcribit. V. ad XIV, 60. *aliquo quoque* parum placet auribus. *Virginis* huius mutationem habet lib. XIV init. Mater eius mox vſ. 749. memoratur.

Virginis ora gerens: et, si non omnia vates
Ficta reliquerunt, aliquo quoque tempore virgo.
Hanc multi petiere proci: quibus illa repulsis
Ad pelagi Nymphas, pelagi gratissima Nymphis,
Ibat, et elusos iuuenum narrabat amores.
Quam, dum pectendos praebet Galatea capillos,
Talibus adloquitur, repetens suspiria, dictis:
Te tamen, o virgo, genus haud immite virorum
Expetit: vtque facis, potes his impune negare.
At mihi, cui pater est Nereus, quam caerula Doris
Enixa est; quae sum turba quoque tuta sororum:
Non nisi per fluctus licuit Cyclopis amorem
Effugere: et lacrimae vocem impediere loquentis.
Quas vbi marmoreo detersit pollice virgo;
Et solata Deam est; Refer, o carissima, dixit,
Neue tui caussam tege, sum tibi fida, doloris.
Nereis his contra resecuta Crataeide natam:
Acis erat, Fauno, Nymphaque Symaethide cretus,
Magna quidem patrisque sui, matrisque voluptas,
Nostra tamen maior. Nam me sibi iunxerat vni

741 Nonnulli, *negari*. 745 Heinf. malebat, *loquenti*. 749 Vulg. *Crateide*. Sed v. Heinf.

740 *Te tamen*, vt IX, 326. *haud immite*, quia mox vf. 759. Polyphemus *immitis* vr. *Negare* apud Noſtrum ſaepe abſolute, negare conſuetudinem, concubitum. v. Burm. *cui pater eſt*, quamquam mihi antiquiſſimus Deus marinus pater eſt. *turba sororum*, nempe quinquaginta, vt admonitum ad II, 11. Nomina earum Hygin. praef. habet, in quibus et *Galatea*. Cum fugam *per fluctus*, tamquam rem periculoſiſſimam, commemorat, non meminit, Galateam eſſe nympham pelagi. Neque vero arbitror, Ouid. ita ſcripſiſſe, namque Mſſ. omnes habent, *per luctus* praeter vnum Baſ. qui *fluctus* habet pro diuerſa lect. vnde recepit Heinſ. *Per luctus effugere* poſſet accipi, vt Liv. I, 5. *per luſum atque laſciuiam currere*.

746 *Marmoreo*, candido. Virg. G. IV, 523. *marmorea ceruix* Orphei, vbi v. Cerda. *Refugi*, reſpondere, vt VI, 36. VIII, 862. *Crataeis* mater Scyllae etiam ap. Hom. Od. μ, 73. Heſych. in Κρατηΐς et Plin. H. N. III, 5. Multa de Scyllae parentibus diſputat Munker. ad Hygin. fab. 199. Steſichoro fuerat Lamiae filia. Schol. Apollon. IV, 828. Eo reſpicit Virg. Cir. vf. 66.

750 *Symaethis* in orientali Siciliae parte fluuius. v. Cluuer. Ital. antiq. I, 10. De *Fauno* v. ad I, 193.

752 Burm. qui praeferebat e tribus libris, *se mihi*, non attendebat ad antecedentia, *Noſtra tamen maior*. Nunc additur cauſſa; namque et pulchritudo et iuuentus eius faciebant, vt, ſpretis aliis procis, eo vno tenerer. *dubia lanugo*, vt IX, 398. *dubiam lanuginis vmbram* dixit Claudian. XXXI, 42. *ſignarat lanugine* pro, lanugo ſignarat, tegebat malas.

Pulcher; et, octonis iterum natalibus actis,
Signarat dubia teneras lanugine malas.
Hunc ego, me Cyclops, nullo cum fine petebat.
Nec, si quaesieris, odium Cyclopis, amorne
Acidis in nobis fuerit praesentior, edam.
Par vtrumque fuit. Pro quanta potentia regni
Est, Venus alma, tui! nempe ille immitis, et ipsis
Horrendus siluis, et visus ab hospite nullo
Impune, et magni cum Dis contemtor Olympi,
Quid sit amor sentit: nostrique cupidine captus
Vritur; oblitus pecorum, antrorumque suorum.

757 *Praesentior* ex Neap. placuit Heinſ. Florent. *praesentius*. Caeteri, *praestantior*. 761 Cantabr. et vnus Heinſ. *magnis*, quod non temere repudiandum iudicat Burm. quia *magni* pr. dicantur Dii, quibus Olympum habitare datum ſit.

755 Polyphemus ex Homer. Od. ι, 182. ſqq. et Virg. Aen. III, 610. ſqq. adumbratus, quorum ille Vlyſſem, hic Aeneam ad illud monſtrum deducit. Atque etiam infra XIV, inde a vf. 167. plura de eo cognoſcemus. Hic vero amores eius narrantur, et quomodo *Acin* interfecerit. De amore eius nihil Homer. habet, ſed Siculi poetae eum certatim cecinerunt, Alexis, Nicochares, Poſidippus, Philoxenus, et, cuius carmen reſtat, Theocrit. Id. XI. — *praesentior*, maior, ardentior, vt *praesens gloria*, *praesens beneuolentia*, *praesentes fructus* etc. Cum *Par vtrimque* comparat Heinſ. e Stat. Theb. X. *Par vtrimque dolor*. Verum ibi ſermo eſt de vno affectu, qui *vtrimque*, vtraque ex parte, par fuerit. Nunc autem vterque affectus in Galatea par fuiſſe notatur; itaque reſtituendum putaui *vtrumque*, quod Heinſ. duorum Mſſ. auctoritate eiecit, pr. Bonon. et vnius ſui.

759 Exemplo inſigni epiphonema hoc veriſſimum illuſtratur. *Nempe* nunc eſt cum admiratione rationem reddentis. *Impune* ſaepe eſt, ſine damno aut periculo, h. l. cuius viſceribus non veſceretur. Cf. Virg. vf. 619 et 658. *magni cum Diis cont. Olympi*. Polyphemus Vlyſſi ap. Homer vf. 273. Νήπιος εἰς — ὅς με θεὸς κέλεαι ἢ δειδίμεν, ἢ ἀλέασθαι. Οὐ γὰρ Κύκλωπες Διὸς αἰγιόχα ἀλέγουσιν, Οὐδὲ θεοὺς μακάρους, ἐπεὶ πολὺ φέρτεροί εἰμεν. Cf. Eurip. Cycl. 319. ſqq. et infra vf. 857.

763 Amor naſcens duplici fere ſe modo prodit, neglecto priore ſtudio et cura placendi. Cf. X, 529. ſqq. Cyclopes non domos habebant, ſed *antra*. Eurip. vf. 113. *pecoribus*que habendis operam dabant. Homer. vf. 219. ſqq. *raſtris*, *falce*. Haec inſtru-

Iamque tibi formae, iamque eſt tibi cura placendi:
Iam rigidos pectis raſtris, Polypheme, capillos:
Iam libet hirſutam tibi falce recidere barbam:
Et ſpectare feros in aqua, et componere vultus.
Caedis amor, feritasque, ſitisque immenſa cruoris
Ceſſant: et tutae veniuntque, abeuntque carinae.
Telemus interea Siculam delatus ad Aetnen,
Telemus Eurymides, quem nulla fefellerat ales,
Terribilem Polyphemon adit: lumenque, quod vnum
Fronte geris media, rapiet tibi, dixit, Vlixes.
Riſit, et, O vatum ſtolidiſſime, falleris, inquit:
Altera iam rapuit. Sic fruſtra vera monentem
Spernit, et aut gradiens ingenti litora paſſu
Degrauat, aut feſſus ſub opaca reuertitur antra.
Prominet in pontum cuneatus acumine longo
Collis: vtrumque latus circumfluit aequoris vnda,
Huc ferus adſcendit Cyclops, mediusque reſedit.

766 Duo, *Iam placet.* 770 Multi, *Siculum*, quod non temere reiiciendum iud cat Burm. cum montium nomina ſaepe maſculino genere ponantur. 780 Florent. *mediosque per aeſtus*, quod non diſplicet Heinſ. Multi, *medioque reſedit.*

menta Ouidius fero giganti convenire putauit.

766 *Libet* declarat eum animi habitum, cum, conſuetudine priore relicta, aliquid facimus antea non ſoliti. *componere vultus*, eos fingere ad hilaritatem. Cf. IV, 318. *Aqua* pro ſpeculo vtebantur veteres.

770 Haec ex Homer. vſ, 508. commode huc translata. Ibi Polyphemus iam priuatus oculo reminiſcitur huius vaticinii. Ad *Aetnen* Cyclopas collocant etiam Eurip. Virg. et Tibul. IV, I, 56. vnde II ex Pont. 2, 115. *Aetnaeus Polyphemus;* ad Drepanum et Erycem alii. *quem nulla fefellerat ales*, augur, vates longe certiſſimus. Homer. Τήλεμος Εὐρυμίδης, ὃς μαντοσύνῃ ἐνέκαστο. Inde ſua habet Hygin. fab. 125. — *Altera*, alia, *iam rapuit*, quia puellae ocellos eorum, a quibus amantur, *rapere* drr. II Amorr. 19, 19. *Tu quoque, quae noſtros rapuiſti ocellos.*

776 *grad. ingenti paſſu* Homeric. μακρὰ βιβασθών. Virg vſ. 656. Polyphemus *vaſta ſe mole mouens.* Illam vaſtam molem exprimit verb. *degrauat litora. ſub*, in.

778 Sumtum hoc ex Theocrit. vſ. 14 ſqq. Sed Noſter, more ſuo, diligentius ſiue ex rei veritate, ſiue ex ingenio illam rupem deſcripſit. *Cuneatus acumine*, cuius acumen cunei formam habebat. *medius*, in medio, vt X, 144. v. et Heinſ. *nullo ducente.* Theocrit. αὐτομάτη ἀκίνδυνος.

Lanigerae pecudes, nullo ducente, ſecutae.
Cui poſtquam pinus, baculi quae praebuit vſum,
Ante pedes poſita eſt, antennis apta ferendis,
Sumtaque arundinibus compacta eſt fiſtula centum;
Senſerunt toti paſtoria ſibila montes;
Senſerunt vndae. Latitans ego rupe, meique
Acidis in gremio reſidens, procul auribus hauſi
Talia dicta meis, auditaque mente notaui.
Candidior niuei folio, Galatea, liguſtri;
Floridior pratis; longa procerior alno;
Splendidior vitro; tenero lasciuior haedo;
Laeuior adſiduo detritis aequore conchis;

788 Vulg. *verba notaui.*

782 *Pinum* habet e Virg. vſ. 659. *Truncа manum pinus regit et veſtigia firmat*, nam Homer. vſ. 319. ei dat *μέγα ῥοπαλον Ἐλαΐνεον.* Sed ſeqq. *antennis apta ferendis* ex Homer. vſ. 322. Ὅσσον τ' ἰσόν νηὸς ἐεικοσόροιο. *Fiſtulam* ipſe Ouid. accommodauit eius moli. v. ad I, 710. Ad citharam carmina, quibus amori mederetur, canebat apud Philoxenum. V. Schol. Ariſtoph. ad Plut. 290. Fiſtulae *ſibila* tribuuntur. v. Heinſ. Niſi putas, ſonum inconditum nunc h. v. indicari. Ap. Homer. 315. greges ducit πολλὴ ῥοίζῳ, *magno ſibilo*, haud dubie vocis. *Paſtoritia* Heinſ. explicat, rudia. Malim dictam pro, paſtoris, i. eius. v. ad vſ. 533. *ſenſerunt*, audiuerunt.

786 *Rupe*, ſcil. ſub. *Mente* aut *pectore notamus* dicta maxime memorabilia, quae memoria tenere cupimus.

789 In carmine hoc paſtoritio Noſter pendet a Theocrit. Id. XI. Sed in principio inſigne rurſus habemus inepte laſciuientis ingenii exemplum. Breuiter et praeclare Theocriteus Polyphemus: Ὦ λευκὰ Γαλάτεια, τί τὸν φιλέοντ' ἀποβάλλῃ; Λευκοτέρα πακτᾶς, ποτιδεῖν, ἁπαλωτέρα ἄρνός, Μόσχω γαυροτέρα, φιαρωτέρα ὁμφακος ὡμᾶς — Φεύγεις δ', ὥσπερ ὄις πολιὸν λύκον ἀθρήσασα. Sed quid inde Noſter? Cumulatis ad nauſeam vsque ſimilitudinibus, Galateae virtutes et vitia narrat. *Liguſtrum* Italiae flos candidus. Qualis fuerit, non conſtat. v. Martin. ad Virg. Ecl. II, 18. Putant eſſe noſtrum Reinweide. *Floridus* de iuuenili vigore et viriditate. Viriditas autem et *pratis* conuenit. *Laſciua* puella bono ſenſu, hilaris, iocoſa. Atque etiam *haedi* et vituli *laſciuiunt*, cum petulantes et laetos motus dant. VII, 321. *Adſiduo aequore*, adſiduo motu aequoris. *nobilior*, generoſior, praeſtantior. *Nobilior pomis*, quia priſcis temporibus dinitiae maximae in pomis. *conſpectior*, pulchrior, vt IV, 295. et alibi. *Platanus*, pulchra arbor, et Romanis gratiſſima, Plin. XII, 1. *matura — conſto.* v. loc. Theocr. ſupra adſcriptus. *Riguus hortus* etiam VIII, 646. In tali horto omnia laetius proveniunt.

Solibus hibernis, aestiua gratior vmbra;
Nobilior pomis; platano conspectior altā;
Lucidior glacie; matura dulcior vua;
Mollior et cygni plumis, et lacte coacto;
Et, si non fugias, riguo formosior horto.
Saeuior indomitis eadem Galatea iuuencis;
Durior annosa quercu; fallacior vndis;
Lentior et salicis virgis, et vitibus albis;
His immobilior scopulis; violentior amne;
Laudato pauone superbior; acrior igni;
Asperior tribulis; foeta truculentior vrsa;
Surdior aequoribus: calcato immitior hydro;
Et (quod praecipue vellem tibi demere possem,)
Non tantum ceruo, claris latratibus acto,
Verum etiam ventis, volucrique fugacior aura.
At, bene si noris, pigeat fugisse: morasque
Ipsa tuas damnes, et me retinere labores.
Sunt mihi, pars montis, viuo pendentia saxo

804 Medic. vnus et tres alii, *calcata hydra.*

799 *Fallax*, quae, cum eam prehendis, continuo e manibus effluit. *fallax* puella, quam loco destinato non reperis, frustraque exspectas. IV, 128. *Lenta* puellā, difficilis, quae non mouetur precibus lacrymisue amantis, vt et *lentum pectus*, quod non facile mouetur. Sed longe alio sensu, vt n tum, *lenta virga*. *Albarum vitium* meminit etiam Pallad. lib. I. cp. 35. Sed propter τὸ *lentior* malim cum aliis *altis*. Mox vs. 813. *longis in vitibus*, Phaedr. IV fab. 2. *alta in vinea*. *Alta vitis* erit maritata vlmo altae. V Trist. 3, 35. *altam degranet vlmum vitis*. — *acris* et flamma faeuiens, et puella iracunda, torquens amantem. *Acria* enim quaecunque vrunt, pungunt, stimulant. *aspera*, difficilis, morosa. Horat. I od. 33. *aspera Pholoē*. Tibul. I, 9, 20. *aspera est illi difficilisque Venus*. Sed et spinae, e quarum genere *tribuli* (Burzeldorn) in Italia, *asperae*. Virg. G. I, 152. *aspera silua* tribulorum. *Surdae aquae* et *surdior aequoribus*, *freto* proverb. vulgare. I Art. 531. Infra XIV, 711. vbi v. Heins. *Latratibus* pro, a canibus, *agi* sollemne poëtis. v. Drakenb. ad Sil. I, 421.

808 Locus seq. ex parte expressus etiam e Virg. Ecl. II, 19. sqq. *Despectus tibi sum, nec qui sim quaeris* etc. quamquam et Virg. Theocritum ante oculos habuit. *Moras* puellarum difficilium frequentur apud poëtas accusant amantes. *Retinere*, absolute dr. pro, retinere in amore, vt h. l. aut in amicitia, vt Cic. Div. I, 7.

810 *Antra pendentia saxis*, antra, in quibus saxa pendent, saxis camarata et fornicata. Lucret. VI, 194. *Speluncas velut*

Antra, quibus nec Sol medio sentitur in aestu,
Nec sentitur hiems: sunt poma grauantia ramos;
Sunt auro similes longis in vitibus vuae;
Sunt et purpureae: tibi et has seruamus, et illas.
Ipsa tuis manibus, siluestri nata sub vmbra,
Mollia fraga leges: ipsa autumnalia corna.
Prunaque, non solum nigro liuentia succo,
Verum etiam generosa, nouasque imitantia ceras.
Nec tibi castaneae, me coniuge, nec tibi deerunt
Arborei foetus: omnis tibi seruiet arbos.
Hoc pecus omne meum est: multae quoque vallibus errant:
Multas silua tegit: multae stabulantur in antris.
Nec, si forte roges, possim tibi dicere, quot sint.
Pauperis est numerare pecus. De laudibus harum
Nil mihi credideris: praesens potes ipsa videre,
Vt vix sustineant distentum cruribus vber.

820 Quidam, *Arbutei fetus*. 826 *Sustineant* e quinque Mss. et Edd. nonnullis recepit Heins. qui monet, posse etiam *circumagant* legi, quo verbo Horatius vsus sit. Duo, *contineant*. Vulg. *circumeant*.

saxis pendentibus structas. Sed illam formam amant poëtae. Etiam Virg. G. IV, 374. *pendentia pumice tecta*. Nempe *pendere* (Plin. 36, 27. *dependere*) verb. pr. de scopulis et saxis imminentibus. v. Broukh. ad Propert. III, 2, 28.

813 Deliciae, quae hic commemorantur, non satis conuenire agresti et efferatae Cyclopum vitae videri possint. Sed cogitandum est, Aetnam semper fuisse insigni fertilitate. Etiam ap. Theocrit. vers. 46. prope antrum ἀμπελος ἁ γλυκύκαρπος, atque adeo ap. Homer. vs. 358. terra Cyclopibus fert οἶνον ἐριτάφυλον. *fraga. corna*. V. ad I, 104.

817 *Liuentia*, nigricantia. Horat. II od 5, 11. *liuidos racemos*. Sed his *generosiora*, praestantiora, quae colore flauo aut candicante *nouas imitantur ceras*, ot Virg. Ecl. II, 53. *cerea pruna* drr. Plin. XV, 13. de prunis, *Sunt et nigra ac laudatiora cerina atque purpurea*. De *arbuteis foetibus* v. ad I, 104. Sed ego e pluribus Mss. *arborei* reuocaui, quia Polyphemus delicatos fructus promittit, vuas, pruna etc. et addit, *omnis* tibi seruiet *arbos*, *tibi seruiet*, tibi fructus feret. Similiter *seruire* ap. Plin. in Epp. et in Paneg.

821 *Multae*, scil. oues e vs. 781. Theocrit. vs. 34. βοτὰ χίλια βόσκω. Virg. vs. 21. *Mille meae Siculis errant in montibus agnae*. Sed Noster in talibus omnibus copiosior esse solet.

826 *Sustineant*, ferre possint. *cruribus*, inter crura. *foetura*, ipsi foetus, die Zucht. *tepidis* bene e natura stabulorum additum. Dixit, *par actas*, non,

Sunt, foetura minor, tepidis in ouilibus agni:
Sunt quoque, par aetas, aliis in ouilibus hoedi.
Lac mihi semper adest niueum. Pars inde bibenda
Seruatur: partem liquefacta coagula durant.
Nec tibi deliciae faciles, vulgata que tantum
Munera contingent, damae, leporesque, capraeque,
Parue columbarum, demtusue cacumine nidus:
Inueni geminos, qui tecum ludere possint,
Inter se similes, vix vt dignoscere possis,
Villosae catulos in summis montibus vrsae.
Inueni: et, Dominae, dixi, seruabimus istos.
Iam modo caeruleo nitidum caput exsere ponto:
Iam, Galatea, veni: nec munera despice nostra.

831 Patav. et vnus Heins. *diuitiae faciles* 832 Veteres plerique. *caperque.* 835 Heins. coni. *et vix dignoscere quos sit*, quia praecessit *possint.* 838 Admodum variant Mss. *niueum caput, rutilum* etc.

pari aetate, quia *aetas* etiam de hominibus, hinc pecoribus, certae aetatis, in primis tenerae dr. *Aliis in ouilibus*, diligenter enim secundum Homer. vs. 220. varia pecorum suorum genera separabat, seorsimque includebat. Plerumque tamen et oues et caprae vno septo claudebantur, hinc *ouile* etiam stabulum hoedorum, notante Bentlei. ad Horat. I od. 17, 9.

829 Tanta mihi est ouium copia, vt lac *semper*, quouis anni tempore, suppetat. Virg. vs. 22. *Lac mihi non aestate, nouum non frigore desit*, et Theocrit. vs. 36. de caseo, Τυρὸς δ' ἐ λείπει μ' στ' ἐν θέρει etc. *Pars inde bibenda* etc. ex Homer. vs. 246 ἥμισυ μὲν θρέψας λευκοῖο γάλακτος — Ἥμισυ δ' αὖτ' ἔτησεν ἐν ἀγγεσιν, ὄφρα οἱ εἴη Ἱέναι δαινυμένῳ. *Coagula*, particulae ventriculi vitulini sectae et aqua maceratae, quibus immissis lac *duratur*, cogitur in massam. Theocrit. 66. τάμισον δριμεῖαν ἐνεῖσα.

834 Theocrit. vs. 40. Τρέφω δέ τοι ἕνδεκα νεβρώς, Ἥτας μαινοφόρως, καὶ σκύμνως τέσσαρας ἄρκτων. Noster donum commendat multis modis, etiam a difficultate, *summis in montibus.* Hinc vs. 831. opp. *deliciae faciles*, i. parabiles, obuiae. Etiam Virg. vs. 40. *Praeterea duo, nec tuta mihi valle reperti, Capreoli, sparsis etiam nunc pellibus albo, Bina die siccant ouis vbera: quos tibi seruo.* — Ad *laudendum* catuli vrsae non nisi Polyphemo idonei videri poterant. *dominae.* v. ad IX, 465.

838 Sic eam etiam ap. Theocrit vs. 63. inuitat, Ἐξέν θοις, Γαλάτεια, καὶ ἐξενθοῖσα λάθοιο οἴκαδ' ἀπενθεῖν, *egredere, Galatea, et egressa obliuiscere domum redire.* Pro *nitidum*, cum Mss. varient, Burm. coni. *glaucum*, quod sane proprie Deae marinae conuenit. Sed *nitidum* h. l. omnino pulchrum, vt saepius; atque ita amatae suae caput non male vocat amans. Horat. I od.

Certe ego me noui, liquidaeque in imagine vidi
Nuper aquae: placuitque mihi mea forma videnti.
Adspice, sim quantus. Non est hoc corpore maior
Iuppiter in coelo: nam vos narrare soletis
Nescio quem regnare louem. Coma plurima toruos
Prominet in vultus, humerosque, vt lucus, obumbrat.
Nec mihi quod rigidis horrent densissima setis
Corpora, turpe puta. Turpis sine frondibus arbos:
Turpis equus, nisi colla iubae flauentia velent.
Pluma tegit volucres: ouibus sua lana decori est:
Barba viros, hirtaeque decent in corpore setae.
Vnum est in media lumen mihi fronte, sed instar
Ingentis clypei. Quid? non haec omnia magnus

846 Plurimi, *duris horrent.* 847 Probat Heins. ex Genev. *turpe est sine frondibus arbos*, vt in illo. *Turpe senex miles.* improbat Burm, quia sequitur, *Turpis equus.* 848 Vnus Leid. et Florent. *flammantia velent.* 852 Vulg. *magno*, quod reuocauit Mitscherl.

19, 5. *Vrit me Glycerae nitor.* Supra *splendidiorem vitro* et *lucidiorem glacie* Galateam vocabat.

840 Ap. Theocrit. vs. 31. sat habet ostendisse, turpitudinem suam pecorum copia compensari, sed h. l. dignam adeo sibi formam vindicat, idque magna cum arte. *me*, formam meam. *In imagine aquae*, in imagine, quam aqua referebat. Tredecim tamen Mss. *in margine.* Hoc quoque e Virg. vs. 25. *nec sum adeo informis, nuper me in litore vidi, Cum placidum ventis staret mare.* — *sim quantus.* v. Homer. vs. 190 Virg. Aen. III, 619. Ap. illum similis est ῥίῳ ὑλήεντι ὑψηλῶν ὀρέων, *vertici siluoso altorum montium*, apud hunc *alta pulsat sidera.*

844 *Torua frons* Polyphemo tribuitur etiam a Virg. Aen. III, 636. Burm. tamen nescit, an tam stolidum Cyclopa fingere liceat, vt *toruos* suos vultus Galateae, cui placere volebat, iactaret. Praefert igitur e quatuor Mss. *fortes*, idque comprobat ex Heroidd. IV, 73. *Quemque vocant alii vultum rigidumque truculentumque, Pro rigido, Phaedra iudice, fortis erat.* At *toruus* etiam bono sensu accipitur de vultu seuero, et nobilem quandam fiduciam prae se ferente. Ap. Horat. III od. 5, 44. Regulus *virilem Toruus humi ponit vultum.* Toruos igitur vultus suos Cyclops ipse vocare poterat, cum non venustatem, sed austeram quandam dignitatem sibi vindicaret. Etiam Virg. *toruum frontem* tribuit.

846 *Densissima setis*, densissime setis obsita. *Horrent* cum vi pro, sunt; *horrent* enim quae eminent, vt setae suis. Hic fortasse mollius verb. exspectasses. Ei autem λασία ὀφρὺς ἐπὶ παντὶ μετώπῳ ἐξ ὠτὸς τέταται. Theocr. 31.

852 Sumtum hoc ex Virg. Aen. III, 636. *Ingens quod torua solum sub fronte latebat, Argolici clypei aut Phoebeae lampa-*

Sol videt e coelo? Soli tamen vnicus orbis.
Adde, quod in veſtro genitor meus aequore regnat.
Hunc tibi do ſocerum. Tantum miſerere, precesque
Supplicis exaudi: tibi enim ſuccumbimus vni.
Quiquelouem,et coelum ſperno,et penetrabile fulmen,
Nerei, te vereor: tua fulmine ſaeuior ira eſt.
Atque ego contemtus eſſem patientior huius,
Si fugeres omnes. Sed cur, Cyclope repulſo,
Acin amas, praefersque meis amplexibus Acin?
Ille tamen placeatque ſibi, placeatque licebit,
Quod nollem, Galatea, tibi: modo copia detur,
Sentiet eſſe mihi tanto pro corpore vires.
Viſcera viua traham, diuulſaque membra per agros,
Perque tuas ſpargam (ſic ſe tibi miſceat) vndas.
Vror enim, laeſusque exaeſtuat acrius ignis:
Cumque ſuis videor translatam viribus Aetnam
Pectore ferre meo: nec tu, Galatea, moueris.
Talia nequicquam queſtus, nam cuncta videbam,
Surgit, et vt taurus vacca furibundus ademta,
Stare nequit, ſiluaque et notis ſaltibus errat:
Cum ferus ignaros, nec quidquam tale timentes,
Me videt atque Acin: Videoque, exclamat, et iſta
Vltima ſit, faciam, Veneri concordia veſtrae.

853 Vulg. *Solis.* 858 Alii, *te veneror.* 863 Heinſ. legit, *nolim.* 866 Vulg. *ſi ſe tibi miſceat.* 868 Vnus Barberin. pro *viribus* habet *ignibus.* Heinſ. ſuadet, *rupibus.* Cantabr. *translatum.* 872 Plurimi, *notis montibus.* Ambroſ. *vallibus.*

dis inſtar. Etiam Callimach. h. Dian. 53. hunc oculum cum σάκει τετραβοείῳ comparat. Et quia clypeus orbis, κύκλος, formam habet, inde Κύκλωπες dicti ſunt. Heſiod. Theog. 144. *haec omnia* δεικτικῶς, vt verſ. 801. *his ſcopulis. Magnus* proprium Solis epitheton. v. Burm. Luſus in v. *orbis* parum probandus; comparantur enim diſſimilia.

854 *Genitor* Polyphemi Neptunus. v. Homer. Od. α, 68. ſqq. Amantes etiam a genere ſe commendare ſolent. I, 517. IX, 14.

858 *Te vereor*, tuam iram metuo.

864 *Sentiet*, v. ad XII, 595. *Viſcera* etc. atque adeo *viſceribus miſerorum et ſanguine atro veſcebatur.* Virg. vſ. 622 — 27. Sed Acin vult *ſic miſcere* Galateae.

867 *Laeſus*, irritatus. v. ad I, 608. *Vires* tribuuntur igni. II, 280. VII, 81. Atque etiam II, 220. vnus Mſ. *geminatis viribus Aetne.*

875 *Faciam* et alibi *faxo* (quod etiam h. l. Heinſ. mallet) minitantis eſt.

Tantaque vox, quantam Cyclops iratus habere
Debuit, illa fuit. Clamore perhorruit Aetne.
Aſt ego vicino pauefacta ſub aequore mergor.
Terga fugae dederat conuerſa Symaethius heros:
Et, Fer opem, Galatea, precor, mihi: ferte parentes,
Dixerat, et veſtris periturum admittite regnis.
Inſequitur Cyclops, partemque e monte reuulſam
Mittit: et extremus quamuis peruenit ad illum
Angulus e ſaxo, totum tamen obruit Acin.
At nos, quod ſolum fieri per fata licebat,
Fecimus, vt vires adſumeret Acis auitas.
Poeniceus de mole cruor manabat, et intra
Temporis exiguum rubor euaneſcere coepit:
Fitque color primo turbati fluminis imbre,
Purgaturque mora. Tum moles fracta dehiſcit,
Viuaque per rimas, properataque ſurgit arundo,
Osque cauum ſaxi ſonat exſultantibus vndis:

880 Vnus, *mihi precor.* Alius, *aduertite regnis.* 891 *Proceraque* praetulerunt Regius et Ciofan. 892 Quidam *ſaxo*, quod placebat Heinſ.

876 Ex Homer. verſ 395. Σμερδαλέον δὲ μέγ' ὤμωξεν, περὶ δ' ἴαχε πέτρη. Virg. 672. *Clamorem immenſum tollit: quo pontus et omnes Intremuere vndae, penitusque exterrita tellus Italiae, curuisque immugiit Aetna cauernis. habere debuit*, credibile eſt eum habuiſſe.

882 *partemque e monte* etc. Etiam ap. Hom. 481. ἧκε δ' ἀποῤῥῆξας κορυφὴν ὄρεος μεγάλοιο. *Vt vires adſumeret auitas*, vt fluuius fieret, quemadmodum auus Symaethus. *Vires* fluminibus tribuuntur etiam I, 278. et *adſumere* ſic etiam eſt XI, 789. XII, 1.

887 — 90 *Poeniceus — mora.* Putida haec diligentia condonari poteſt garrulitati puellae, Acidis ſui obitum narrantis. Mox *moles iacta* Heinſ. male illuſtrat ex illo, *iactis in altum molibus.* Imo, iacta a Polyphemo, vt recte Glarean. et Micyl. Magis tamen placet, quod duodeuiginti Mſſ. habent, *moles fracta dehiſcit* e familiari illa poëtis et eleganti copia. Sic XII, 488. *fracta diſſiluit.* Virg. G. IV, 410. *in aquas tenues dilapſus abibit.* Hoc igitur recepimus.

891 Quia fluuiorum ora *arundine* fere cincta eſſe ſolent, hinc etiam eorum frontes in monumentis et ap. poëtas. A. A. I, 222. v. et ad IX, 3. Sed pro *proceraque* tueor vulg. *properataque*, i. properanter nata, vt II ex P. XI, 1. *properatum tempore breui opus.* v. ad X, 31. Alibi fere *ſubitus* de corporibus transformatis. V, 560. *ſubitis flaueſcere pennis.* XI, 341. *ſubitis pendentem ſuſtulit alis.*

892 Bona prorumpentis e ca-

Miraque res; subito media tenus exstitit alno
Incinctus iuuenis flexis noua cornua cannis
Qui, nisi quod maior, quod toto caerulus ore est,
Acis erat. Sed sic quoque erat tamen Acis in ar[illegible]
Versus: et antiquum tenuerunt flumina nomen.
Glaucus. Defierat Galatea loqui; coetuque soluto
Discedunt, placidisque natant Nereïdes vndis.
Scylla redit: neque enim medio se credere ponto
Audet; et aut bibula sine vestibus errat arena;
Aut, vbi lassata est, seductos nacta recessus
Gurgitis, inclusa sua membra refrigerat vnda.
Ecce fretum findens alti nouus incola ponti,
Nuper in Euboïca versis Anthedone membris,

904 Non multum egit Heinf. *scindens* e Mff. mutans in *findens*. Etenim tam mare, quam ager, nauis dr. *scindi*, mox *findi* Cum vnus habeat *stridens*, idem coni. *stringens*. Pessime.

verna fluuii descriptio. *Exsultare* vt hic de prorumpente, sic VII, 263. de feruente aqua. *Exstitit* vt II, 264. De *cornibus* Fluuiorum diximus ad IX, 1. Pro *flexis*, Heinf. coniicit *plexis*, quod sane vsitatius. *Maior*, vt IX, 269 Hercules. Habet formam anguitam et plus quam humanam membraque magna. v. ad vs. 962. — *Acis* fluuius (hodie il fiume Freddo) ex Aetna profluens vndas suas gelidissimas maximo cum impetu in mare deuolvit. Plura de eius natura habet Brydone in Reise nach Sicilien P. I. p. 96. Scriptores Siculi ex inscriptionibus antiquis docent, *Acin* fuisse regem antiquissimum, quem Polyphemus gigas, zelotypia incensus, interfecerit.

898 — 968 *Glaucus*, vel Polybi, vel Copei filius, cum herbas quasdam gustasset, in mare se praecipitat, fitque Deus marinus. Cf. Palaeph. cp. 28. Eustath. ad Homer. p. 205. Tzetzes ad Lycophr. p. 107. Schol. Apollon. ad I, 1310. Hygin. fab. 199. Fulgent. Mythol. II, 12. — Ex sententia Palaeph. Glaucus fuit vrinator (κολυμβητής), qui diu sub aqua viuere posset, inde dictus Θαλάττιος. Similis vrinator, Colas nomine, recentioribus temporibus inter Siculos vixit, ab arte sua Pesce, i. piscis, dictus. v. Brydones Reise nach Sicil. P. I. p 63.

898 *coetu* Nereidum. v. vs. 736. *soluto*, dimisso.

902 *Recessus gurgitis*, sinus anguiti, curuaturae maris in litore *seductis*, remoti a conspectu hominum. In iis *inclusa* aqua, non omni, maxima tamen ex parte. Cf. XIV, 51. Solebat autem Scylla *in mari lauari*. Hygin.

905 De *Anthedone* Euboica v. VII, 232. Etiam Palaeph. Glaucus Ἀνθηδόνιος τὸ γένος. Male a Lactant. in Argum. et Fulg. Anthedonis filius vr. *Haeret*, conspecta repente virgine, eius formam stupens constitit. Sic I Amorr. 8, 24. *Haesit, et in vultu constitit usque tuo*. Hinc II, 409. *haerere in virgine*. Erat

Glaucus adest, visaeque cupidine virginis haeret:
Et, quaecumque putat fugientem posse morari,
Verba refert. Fugit illa tamen, veloxque timore
Peruenit in summum positi prope litora montis.
Ante fretum est ingens, apicem collectus in vnum,
Longa sine arboribus conuexus ad aequora vertex.
Constitit hic: et tuta loco, monstrumne, Deusne
Ille sit, ignorans, admiraturque colorem,
Caesariemque humeros, subiectaque terga, tegentem,
Vltimaque excipiat quod tortilis inguina piscis.
Sentit: et innitens, quae stabat proxima, moli,
Non ego prodigium, non sum fera bellua, virgo;
Sum Deus, inquit, aquae: nec maius in aequora Proteus
Ius habet, aut Triton, Athamantiadesue Palaemon.
Ante tamen mortalis eram: sed scilicet altis
Deditus aequoribus, iam tum exercebar in illis.

906 Vulg. *virginis ardet*. 910 Quidam, *coniectus in vnum*. Vnus, *collatus*. 911 Quidam, *conuersus in aequora*. 915 Heinf. et Gronov. Obs. I, 18. coniiciunt, *pristis*, atque etiam vs. 963 *pristes*. vt Virg. Aen. III, 427. de Scylla, *postrema immani corpore pristrix*. Claudian. de Tritone, *Qua pristis commissa viro*. 918 Vulg. *in aequore*. v. Heinf.

autem Scylla *formosissima virgo*. Hygin.

909 *Prope litora*, in litore Italico, Messaniam contra. v. XIV, 17. Montem illum ita describit, vt appareat, quam *tuta loco* virgo fuerit. *Colligi* eleganter drr. quorum partes in angustum coëunt et desinunt. *conuexus*, descendens, declinis, vt XIV, 154. *Sine arboribus* ex Oxon. et tribus aliis Mff. recte praetulit Heinf. τῷ *sub arboribus*. Neque tamen propterea ei assentior, quod etiam VIII, 789. *sine arbore tellus*, sed quod ita facilius in Glaucum despicere et cum eo colloqui poterat.

912 *Monstrum* propter inferiores corporis partes, *Deus* propter superiores. *Tortilis*, Schirach. explicat, qui se facile torquet. Imo, cuius cauda obliqua curuatur in arcum. Ipse Glaucus mox vs. 963. *Cruraque pinnigero curuata nouissima pisce*. Supra III, 681. de delphinis, *falcata nouissima cauda est, Qualia diuiduae finuantur cornua Lunae*. Et ita Tritoni, cui similis Glaucus, δικραίραν ἀλείην, bicornem caudam, tribuit Apollon. Rh. IV, 1640. *bifidum cornu* Claudian. X, 146. Glauci formam exhibet Lippertus in Dactyl. I, 75.

916 *Innitens*, nam sedere non poterat biformis Glaucus. *ius*, potestas. Non minoris dignitatis et potestatis Deus sum marinus. *Palaemon* Deus marinus fit IV, 540.

Nam modo ducebam ducentia retia piſces:
Nunc in mole ſedens moderabar arundine linum.
Sunt viridi prato confinia litora, quorum
Altera pars vndis, pars altera cingitur herbis;
Quas neque cornigerae morſu laeſere iuuencae,
Nec placidae carpſiſtis oues, hirtaeue capellae.
Non apis inde tulit collectos ſedula flores:
Non data ſunt capiti genialia ſerta: nec vnquam
Falciferae ſecuere manus. Ego primus in illo
Ceſpite conſedi, dum lina madentia ſicco.
Vtque recenſerem captiuos ordine piſces;
Inſuper expoſui, quos aut in retia caſus,
Aut ſua credulitas in aduncos egerat hamos.
Res ſimilis fictae: ſed quid mihi fingere prodeſt?
Gramine contacto coepit mea praeda moueri,
Et mutare latus, terraque, vt in aequore, niti.
Dumque moror, mirorque ſimul, fugit omnis in vndas
Turba ſuas, dominumque nouum, litusque relinquunt.
Obſtupui, dubiusque diu, quae cauſa, requiro;

922 Quidam, *capientia retia.* 923 Vnus, *in rupe.* 928 Multi, *collectos ſemine flores.* 930 Heinſ. ſuadet, *ego pronus.* 937 *Mutare* pro *motare* e multis Mſſ. recepit Heinſ. 940 Pleriique, *dubitoque diu* Sed τὸ *diu* non placet Heinſ. qui coni. *Obſtupui, ſubitaeque quae cauſſa requiro.*

926 ſqq. Herbae prorſus intactae, vt adeo nec fera, nec homo vllus vim earum experiri potuerit. *Morſu laedere* exquiſitius, quam, mordere. — *flores*, ſucos florum. *tulit collectos*, plenius, quam, collegit. Virg. G. IV, 54. *metunt flores. genialia ſerta*, coronas conuiuales, quibus ornatur caput, cum genio indulgetur. Sic X, 95. *platanus genialis* et IV, 14 *genialis vua.*

937 *Mutare latus* Heinſ. explicat, vtrinſecus iactare crebro latera ex Apulei. Met. X. vt motus natantium piſcium intelligantur. Sic et Rode, *von einer auf die andere Seite herumſpringen.* Quod non eſt. Deſcribitur potius actus ſurgentium piſcium. Iacuerant in latere, nunc mouentur (Lactant. in Argum. *recuperato ſpiritu, quem amiſerant*) atque vertunt ſe, et erigunt, vt dorſum ſurſum tollant, more piſcium in aqua degentium. Sic *mutare latus* pro, ſe vertere, ap. Virg. Aen. III, 581. de Incelado. *Niti* pr. de hominibus aut quadrupedibus in terra vel ſtantibus vel incedentibus. Hinc etiam *piſces niti in aequore* dr. cum ab eo feruntur et ſuſtentantur. Horat. IV od. 2, 3. de volante *Nititur pennis.*

939 *Suas* cum vi, quibus adſueti. Caeterum hoc ipſum gramen viuax vr. VII, 232.

Num Deus hoc aliquis, num ſuccus fecerit herbae,
Quae tamen has, inquam, vires habet herba? manuque
Pabula decerpſi, decerptaque dente momordi.
Vix bene combiberant ignotos guttura ſuccos;
Cum ſubito trepidare intus praecordia ſenſi,
Alterinsque rapi naturae pectus amore.
Nec potui reſtare loco: Repetendaque numquam
Terra, vale, dixi, corpusque ſub aequora merſi.
Di maris exceptum ſocio dignantur honore:
Vtque mihi, quaecumque feram, mortalia demant,
Oceanum, Tethynque rogant. Ego luſtror ab illis;
Et purgante nefas nouies mihi carmine dicto
Pectora fluminibus iubeor ſupponere centum.
Nec mora: diuerſis lapſi de partibus amnes,
Totaque vertuntur ſupra caput aequora noſtrum.
Hactenus acta tibi poſſum memoranda referre:
Hactenus et memini: nec mens mea cetera ſenſit.
Quae poſtquam rediit; alium me corpore toto,
Ac fueram nuper, nec eumdem mente, recepi.
Hanc ego tum primum viridem ferrugine barbam,

942 Quidam, *quas tamen haec.* 944 Duo, *ignaris.* v. Heinſ. ad I, 134. 945 Heinſ. coni. *trepidare metu.* 947 *loco* pro *diu* ex vno recepit Heinſ. 954 Quidam, *de montibus.* 956. 7 Hos duo verſus, vt valde frigidos et ieiunos, tollendos eſſe opinatur Heinſ. et mox legit, *Vtque animus rediit*, aut, *Mox, vbi mens rediit.* Improbat Burm. Multi, *miranda referre.* 960 *Viridem* pro *viridi* e multis dedit Heinſ. qui etiam in principio malit, *Hac.*

946 *Alterius naturae*, alterius elementi, aquae. Rode, *von einer andern Naturtriebe beſeelt.* Lactant. in Arg. *alienatus mente ex alto ſe praecipitauit in pelagus.*

951 Vt Hercules IX, 262. ſqq. flammis, ſic Glaucus luſtratione mortalitatem exuit. Vſ. 954. neſcio an *partibus* trium Mſſ. auctoritate iure mutatum ſit ab Heinſ. in *fontibus.* *Partes* nunc ſunt coeli regiones, vt II, 160. XI, 490.

958 *Alium me recepi* egregie de transformato. *viridem ferrugine*, caeruleam. *ferrugo* eſt ferri politi et a lento calore temperati color. Hinc Non. 16, 7. *Vere ferrugineus color caeruleus eſt.* — *Verrere*, vt αἰθύσσειν, de fluitante motu capillorum. Claudian. X, 145. de Tritone, *vndoſi verrebant brachia crines.* Proprie *caeſaries verrit aequora*, ſed h. l. *quam verro*, verrendo traho, *per aequora.* Cf. ad vſ. 492. *Ingentes* humeri, et XIV, 8. *magna* manus, quia iam Deus factus. Paullo ante vſ. 895. Acis *maior* factus. *Circes.* V. ad XIV, 10.

Caeſariemque meam, quam longa per aequora verro,
Ingentesque humeros, et caerula brachia vidi,
Cruraque pinnigero curuata nouiſſima piſce.
Quid tamen haec ſpecies, quid Dìs placuiſſe marinis,
Quid iuuat eſſe Deum, ſi tu non tangeris iſtis?
Talia dicentem, dicturum plura, reliquit
Scylla Deum. Furit ille, irritatusque repulſa
Prodigioſa petit Titanidos atria Circes.

963 Gronov. Obſ. I, 18. legit, *pinnigera — priſte.* 965 Vnus, *frangeris.*

P. OVIDII NASONIS METAMORPHOSEON

LIBER DECIMVS QVARTVS.

Iamque Giganteis iniectam faucibus Aetnen, *Scyllae.*
Arnaque Cyclopum, quid raſtra, quid vſus aratri
Neſcia, nec quidquam iunctis debentia bubus,
Liquerat Euboïcus tumidarum cultor aquarum:
Liquerat et Zanclen, aduerſaque moenia Rhegi,
Nauifragumque fretum, gemino quod litore preſſum
Auſoniae, Siculaeque tenet confinia terrae.
Inde, manu magna Tyrrhena per aequora lapſus,

1 Veteres multi, *ingeſtam.* 6 Multi, *Naufragumque.* 7 Heinſ. ſu det, *terit confinia*, vt alibi *reddere* et *rumpere confinia.* 8 Duo et Politiani, *manu ſorti.*

FAB. I. vſ. 1 — 74. Scylla mutatur Circes herbis et cantu in ſaxum ſuccinctum canibus Ita multi poëtae tradiderunt; ita etiam Hygin. fab. 199. A Neptuno patre eam eſſe vitiatam, et ab Amphitrita irata corruptis veneno aquis in monſtrum mutatam, narrant Virg. Cir. 56 — 73 et Tzetz. ad Lycophr. p 13. Allegoricam eſſe libidinis narrationem volunt alii, vt Fulgent. Mythol. II, 12. et Heraclid. in Allegor. p. 496. Dubium hoc relinquit Virg. Cir. 68 ſqq.

1 *Gigauteis* etc. v. V, 346. *Cyclopes* agro colendo non vacabant, ſed terra iis ſponte dabat triticum, hordeum, vites, Homer. Od. ι, 108. ſ. Itaque *arua* improprie dixit agros Cyclopum; *aruum* enim ab arando dictum. *vſus aratri* pro aratro ipſo: V. ad I, 408. Niſi malis cum Mſſ. plurimis, *quis vſus.* — *debentia bubus*, praeparata a bubus frumento ſeminando et ſerendo. Sic Plin. Paneg. 30. *Aegyptus nihil imbribus coeloque debet. Euboicus*, Glaucus, qui in Argum. Lact. aeque recte *Anthedonius* vr. V. ad XIII, 905. *Tumidarum* nunc tantum ornat. *aduerſa.* v. ad XIII, 541. *Rhegium* olim vrbs opulenta. *Naufragum*, vbi fiunt multa naufragia. Tibul. II, 4, 10. *naufraga vnda*, vbi v. Vulp. *Premi* drr. quae terminis incluſa ſunt. Fluminis immenſi quidem, fluminis tamen incluſi ſpeciem praebet fretum Siculum. *tenet*, occupauit olim illam partem, quae erat terra et terminus inter Italiam et Siciliam. v. XV, 291.

8 *Labi* de quouis celeri motu et curſu, h. l. natantis. Cum addit *manu*, qua in primis opus

Herbiferos adiit colles, atque atria Glaucus
Sole satae Circes, variarum plena ferarum.
Quam simul adspexit, dicta, acceptaque salute,
Diua, Dei miserere, precor: nam sola leuare
Tu potes hunc, dixit, videar modo dignus, amorem,
Quanta sit herbarum, Titani, potentia nulli,
Quam mihi, cognitius, qui sum mutatus ab illis.
Neue mei non nota tibi sit caussa furoris,
Litore in Italico, Messania moenia contra,
Scylla mihi visa est. Pudor est promissa, precesque,
Blanditiasque meas, contemtaque verba referre.
At tu, siue aliquid regni est in carmine; carmen
Ore moue sacro: siue expugnacior herba est;
Vtere tentatis operosae viribus herbae.
Nec medeare mihi, sanesque haec vulnera mando,
Fineque nil opus est: partem ferat illa caloris.

12 Quidam, Ciofani, tum Basil. Bersm. et alii, *mei miserere.* Videbatur nempe librariis superbius loqui Glaucus, si se *Deum*, Circen *diuam* vocaret. Sed vid. Burm. qui monet, poëtas promiscue *diuas* et *deas* vocasse. 13 Multi, *dignus amore.* 15 Monet Heins. e consuetudine Nostri scribendum, *qui sim mutatus.* 17 Sex. *Italio* Quinque, *Messania litora contra*, quam repetit. eleganter iudicat Burm. 20 Vulg. *aliquod regnum.* Heins. malit, *At tibi.* 21 Quidam, *expugnantior.*

est natanti, imaginem sensibus subiicit. *magna*, quia Deus. v. ad XIII, 962. — *Circen*, insignem venesicam, *Solis* et Persae filiam, Aeetae, Colchorum regis, sororem, in insulam quandam Oceani occidentalis transtulerat summa antiquitas, locorum situs ignorans. Homer. igitur Od. x, 135. sqq. vt Vlysses eo deferret, illam collocauit iuxta litus Italiae, vbi postea Circaeum promontorium fuit. Siccatis enim paludibus, quibus olim cingeretur, illam insulam partem esse factam continentis Veteres tradunt. v. Heynii Exc. I. ad Virg. Aen. VII. Plura de hac venefica infra videbimus inde a vs. 244. sqq. *Herbis* opus erat in arte magica. Cf. vs. 266. sqq. VII, 224 sqq. Et dictum esse olim illum locum πολύβριζον, auctor est Strabo lib. V. p. 355. De *atriis* et *feris* Circes v. vs. 255. 260. *potentia herb.* I, 522.

20 *Regnum*, potentia, vis magica. Sic *regnum* et *regnare* de potentia etiam apud Cic. *Carmen*, formula incantationis. VII, 137. et alibi. *moue*, incipe, profer, sollemni vsu apud poëtas. v. Bentlei. ad Horat. III od. 7, 20. quia quae proferuntur, proprie *moueri* dici possunt. Heynius ad Virg. Aen. I, 262. *Expugnacior*, efficac or. Supra IX, 620. *expugnare coepta*, perficere coepta. *operosa*, multum operans, efficax. *tentatis*, vsu cognitis.

24 In verbis, *Fineque nil* (aut cum multis Mss. *Fine nihil) opus*

At Circe (neque enim flammis habet aptius vlla
Talibus ingenium: seu caussa est huius in ipsa,
Seu Venus indicio facit hoc offensa paterno)
Talia verba refert: Melius sequerere volentem,
Optantemque eadem, parilique Cupidine captam.
Dignus eras; vltro poteras certeque rogari:
Et, si spem dederis, mihi crede, rogaberis vltro.
Neu dubites, ablitque tuae fiducia formae:
En ego, cum Dea sim, nitidi cum filia Solis,
Carmine cum tantum, tantum cum gramine possim;
Vt tua sim, voueo. Spernentem sperne: sequenti
Redde vices: vnoque duos vlciscere facto.
Talia tentanti, Prius, inquit, in aequore frondes,
Glaucus, et in summis nascentur montibus algae;
Sospite quam Scylla nostri mutentur amores,
Indignata Dea est: et laedere quatenus ipsum

32 Olim edeb. *adfitque.* Male. Sensus: Ne dubites, neue absit etc. Heins. malit, *absitue.* 34 Plurimi, *tantum quoque gramine.* 36 Heins. malit, *pacto*, vt pactum nuptiale intelligatur. Burm. recepit *duos*, quia praevalere debet genus masculinum. Pro *duas* e Vatic et quinque aliis placet Burm. 37 Basil. *Talia captanti*, quod

est, frustra haeserunt Intt. Iusta oppositio in *finire* et *partem ferre.* Otiose ex Heins. emendat. subiiceretur, *Hac ope nil opus est*, et argute nimis aut subobscure e Burm. *Sic quoque nil opis est.*

25 Circe ipsa amore ardescit conspecti Glauci. Hunc amorem memorant et alii auctores. *Aptius* ex more nostri poëtae est accommodatius, quod citius concipit amorem. Burm. *huius*, ingenii s. pectoris. *indicio paterno*, quia Sol indicauerat Veneris adulterium. IV, 171. sqq.

28 *Sequerere*, peteres. *volentem* absolute capi potest, volentem amari. v. Heins. ad II, 128. Idem autem rursus ter dixit, *volentem, optantem eadem, parili cup. captam.*

30 *Te que* in tertium locum translatum, vt saepius, v. Burm. qui tamen malit, *per teque rogari.* Heins. praefert lect. 4 Mss. in quibus pr Erfurt. *vltro certe poterasque* rogari, sed etiam coni. *poterasque vltro (mihi crede) rogari.*

35 *Spernentem*, Scyllam, *sequenti*, mihi. *duos*, te spretum, et me male cupientem Scyllae.

37 De hoc prouerb v. ad XIII, 324

40 *Laedere*, succis et carminibus mutare eius formam. *quatenus*, quia. *Non poterat*, quippe Deum. *Veneris*, in amore *pabula* exquisite pro, gramina. *miscet*, inter terendum recitat. VII, 248. Male Rode, *mischt sie unter einander.* *Hecateia* vel omnino magica. vel quibus invocabatur Hecate. v. VII, 74.

Non poterat, nec vellet amans; iraſcitur illi,
Quae ſibi praelata eſt; Venerisque offenſa repulſa,
Protinus horrendis infamia pabula ſuccis
Conterit; et tritis Hecateia carmina miſcet:
Caerulaque induitur velamina: perque ferarum
Agmen adulantum media procedit ab aula:
Oppoſitamque petens contra Zancleïa ſaxa
Rhegion, ingreditur feruentes aeſtibus vndas:
In quibus, vt ſolida, ponit veſtigia, ripa;
Summaque decurrit pedibus ſuper aequora ſiccis.
Paruus erat gurges, curuos ſinuatus in arcus,
Grata quies Scyllae: quo ſe referebat ab aeſtu
Et maris, et coeli, medio cum plurimus orbe
Sol erat, et minimas a vertice fecerat vmbras.
Hunc Dea praeuitiat, portentiferisque venenis
Inquinat: huic fuſos latices radice nocenti
Spargit, et obſcurum verborum ambage nouorum

43 Plerique, *gramina ſuccis*, quod non prorſus ſpernit Burm. Sed offendit ſonus in *infamia gramina*. Etiam mox multi, *Hecateia gramina*. 51 P o *curuos* Baſil. et Ambr. *paruos*, vnde Heinſ. *patulos*. Certe offendit Burm. ille ſonus, *paruus gurges curuos*.

194. *Caerula*, vt maris accola. *ferarum agmen*, vſ. 255.

48 *Feruentes — vndas* appoſitionem eſſe putant Heinſ. et Burm. Ego ſic interpunxi, *Rhegion, ingreditur feruentes* etc. Ita *petens* non otioſe additum. Neque Circe Rhegion vrbem ingreſſa eſt, ſed *feruentes vndas*, fretum Siculum, vt tenderet in eam partem, vbi ſita illa vrbs. *Contra ſaxa*, ſaxis.

51 V. XIII, 902. *gurges*. Fontem habent alii. Tzetz. d. l. *φάρμακα ἐμβαλόσης τῇ πηγῇ, ἐφ' ᾗ εἰώθει λέεσθαι, ἀπεδηριώθη*. Sic et Fulgent. *ab aeſtu*, vt ibi tuta eſſet ab aeſtu, aut, tempore aeſtus, *plurimus*, acerrimus.

55 *Praeuitiare* nouum verb. vt *praeconſumere* VII, 489. *praedelaſſare* XI, 731. *praecontreſtare* V, 478. et *praecorrumpere* infra vſ. 134. Etiam *portentiferis* nouum, quod dictum eſſe, vt *monſtriferum*, *horriferum* et ſimilia apud Noſtrum, monet Heinſ. Neſcio tamen, an non rectius ante Heinſ. plurimorum Mſſ. auctoritate editum ſit, *portentificisque*. Nam *portentificum*, faciens portenta, mutans in portenta ſ. miras formas, dictum eſt, vt V, 217. *faxifici vultus* Meduſae, et VII, 360. *vulnificus ſus*. Etiam mox antiquam lect. reuocandam arbitror, *Hic preſſos latices. radice*, ex herbis, vt VII, 264. — *Ambages* etiam de obſcuritate ſermonis, vt IV Faſt. 261. *ambages ſortis obſcurae* et lb. 377. *ambages oris obſcuri*. *Ter demurmurat*. V. ad VII, 251.

Ter nouies carmen magico demurmurat ore.
Scylla venit, mediaque tenus deſcenderat aluo,
Cum ſua foedari latrantibus inguina monſtris
Adſpicit; ac primo non credens corporis illas
Eſſe ſui partes, refugitque, abigitque, timetque
Ora proterua canum. Sed quos fugit, attrahit vna.
Et corpus quaerens femorum, crurumque, pedumque,
Cerbereos rictus pro partibus inuenit illis.
Statque canum rabies, ſubiectaque terga ferarum
Inguinibus truncis, vteroque exſtante, coërcet.
Fleuit amans Glaucus; nimiumque hoſtiliter vſae
Viribus herbarum fugit connubia Circes.
Scylla loco manſit: cumque eſt data copia primum,
In Circes odium ſociis ſpoliauit Vlixen.
Mox eadem Teucras fuerat merſura carinas,
Ni prius in ſcopulum, qui nunc quoque ſaxeus exſtat,
Transformata foret: ſcopulum quoque nauita vitat.

63 Schepper. corrigit, *ſed quae fugit, attrahit ora*.

60 *Foedari*, deformari, corrumpi. Scylla ſuccincta *latrantibus inguina monſtris*, canibus marinis, etiam ap. Virg. Ecl. VI, 75. et Cir. 59 ſqq. Item apud Noſtrum VII, 64. vbi cf. not. et Hygin. d. l. Atque ita apparet in Lipperti Dactyl. I, 78. 79. Sed in Winkelm. Mon. ined. n. 37. exhibetur, qualis a Virg. Aen. III, 426. deſcribitur, *Prima hominis facies, et pulchro pectore virgo Pube tenus: poſtrema immani corpore piſtrix, Delphinum caudas vtero commiſſa luporum*. Nempe inde ab Homero Od. μ, 85 ſqq. varie deſcripta eſt. Senſus mutatae eosdem fere expreſſit Virg. Cir. *Piſcibus et canibus rabidis vallata repente, Horribiles circum vidit ſibi ſiſtere formas. Heu quoties mirata nouos expalluit artus! Ipſa ſuos quoties heu pertimuit latratus: — corpus femorum*, femora. Iucunde *quaerens* et *inuenit*.

66. 67 Hi duo verſus mendis laborare viſi ſunt Heinſio, qui ſuaſit, *Statque canum rabie*, h. e. inferiores partes in canum rabiem mutantur. Sed poëta hoc fortaſſe voluit, ſtat mutata in canes rabidos. Id vt grauiter exprimeret, in duritiem quandam incidit. Nihil ergo mutem. Lactant. in Arg. *tenus pube canibus eſt efferata*. Idem Heinſ. cum pro *coërcet* vnus Patav. et Iuret. *cohaeret* haberent, *cohaerent* ſcripſit. Quod mihi paullo languidius videtur. *Coërcet* interpretor, complectitur.

71 Scylla ſex Vlyſſis ſocios e naue deuorauit, quamquam Circe eum admonuerat, vt ſibi caueret ab hoc monſtro. Homer. Od. μ, 85 — 100 et 245 ſqq. Virg. Cir. 57. Sed Aeneas, monitus ab Heleno, fugit conſpecta Scylla. Virg. Aen. III, 684.

Hanc vbi Troianae remis, auidamque Charybdin
Cercopes et Sibylla. Euicere rates, cum iam prope litus adeſſent
Auſonium, Libycas vento referuntur ad oras.
Excipit Aenean illic animoque, domoque,
Non bene diſcidium Phrygii latura mariti,
Sidonis: inque pyra ſacri ſub imagine facta
Incubuit ferro, deceptaque decipit omnes.
Rurſus arenoſae fugiens noua moenia terrae,

80 Vnus Leid *ſub imagine ſicti.*

FAB. II. vſ. 75 — 153. Aeneas cum alia loca, tum Pithecuſas praeteruectus, vbi Cercopes, ex hominibus in ſimias mutati, tandem accedit ad Italiam, et egreſſus ſub promontorio Miſeno Sibylla duce ad inferos deſcendit. In itinere Sibylla naturae ſuae rationem exponit. Preſſo pede Virgil. ſequitur, ſed fabb. de Cercopibus et Sibyllae viuacitate aliunde inſeruit.

75 Redit oratio, vnde XIII, 730. digreſſa erat. Reditum commodum vſ. 72. *Teucrae carinae* praebent. *auidam*, quia abſorbet quaecunque appropinquant. *Euincunt* aut vincunt pericula, qui ea effugiunt. *Euaſere*, quod habet vnus Sixi Mſſ. eſt ex interpretatione. Etiam XV, 706. *euincere fretum.* v. Burm. ad Valer. Flac. III, 482.

77 Cf Virg. Aen. III, 687. ſqq. Litus legunt Siciliae auſtrale et occidentale, ad Drepanum, ſupra Lilybaeum promontorium, faciunt eſcenſum, ibique moritur Anchiſes. Vere anni ſequentis claſſis e Sicilia ſoluit verſus Latium; ſed tempeſtate ab Aeolo Iunonis precibus excitata (Aen. I, 34 ſqq.) naues omnes *Libycas ad oras referuntur*, ſed diuerſis partibus, Aeneas quidem cum ſeptem nauibus eo, vbi nunc Tunitanus ſinus. Egreſſus de colle Carthaginem ſubiectam proſpicit (vſ. 418.), et cum in Iunonis templo ſingula inſtraret, eo inceſſit Dido *Sidonis*, quae Aeneam *animoque domoque excipit*, (IX. 279. *thalamo animoque recipere*) h. e. ipſum in regia tecta ducit, comitibus pecora vinumque mittit, epulum inſtruit lautiſſimum etc. Aen. I, 630. ſqq. Mox correpta inſano Aeneae amore ad nuptias animum intendit. Aen. IV. init. Quod cum a Mercurio edoctus eſſet Aeneas, nec precibus nec lacrymis Didonis retineri potuit, quin abitum pararet, noctuque aufugeret. Hoc eſt *diſcidium Phrygii mariti*, quod Dido *non bene* (non ſine ſummo furore, per λιτοτητα) tulit. Furens igitur dolore *pyram*, ſcrobem ſuperſtructa lignorum mole, facit *ſub imagine ſacri*, ſimulans ſacra magica Hecatae, ſed cum ſola eſſet, conſcendit pyram, *incumbitque ferro*. Atque ita *decepta* ab Aenea *decipit omnes* (luſus non magnopere probandus), Barcen, nutricem, Annam ſororem et famulas, putantes vere ſacra parari. Aen. IV, 504 ſqq. 632 ſqq.

82 *Noua moenia*, vrbem, quae illo ipſo tempore condebatur. Ab *arenis* infamis Africa. Italiam petens Aeneas *refertur*, denuo defertur in Drepani portum. Prope erat *ſedes Erycis*, vrbs Eryx, quam condiderat *Eryx*, Veneris

Ad ſedemque Erycis, fidumque relatus Aceſten,
Sacrificat, tumulumque ſui genitoris honorat.
Quasque rates Iris Iunonia paene cremarat,
Soluit: et Hippotadae regnum, terrasque calenti
Sulfure fumantes, Acheloiadumque relinquit
Sirenum ſcopulos: orbataque praeſide pinus
Inarimen, Prochytenque legit, ſterilique locatas
Colle Pithecuſas, habitantum nomine dictas.
Quippe Deûm genitor fraudem, et periuria quondam
Cercopum exoſus, gentisque admiſſa doloſae

87 Vnus Medic. *flammantes.* 89 Tert. Medic. *Inque arimen.*

et ipſe filius. Ibi etiam *Aegeſtus* Tros, quem Ouid. cum Virg. *Aceſten* nominat, (v. Heyn. ad Virg. Aen. I, 195.) conditor vrbis Aegeſtae ſ. Segeſtae, a quo et nuper erant benigne excepti, et nunc excipiuntur. Hinc ap. Virg. d. l. *bonus Aceſtes*, h. l. *fidus*. Ibi et *tumulum ſui genitoris honorat*, genitori, quem ſuperiore anno eodem die ibi ſepeliuerat, ſacrum facit anniuerſarium. Virg. Aen. V, 45 ſqq.

85 *Iris* a Iunone miſſa mulieribus Troianis, errorum maritimorum peroſis, perſuaſit, vt claſſi ignem inferrent. Quatuor nauibus combuſtis, Iupiter incendium exſtinxit pluuia immiſſa. Aen. V, 606. *Hippotadae regnum*, Aeoliae inſulae, plenae cauernarum et *ſulfuris fumantis*, quapropter et Aeoli regnum et Vulcani officinam huc tranſtulerunt poëtae. *Sirenum ſcopuli*, petrae tres non longe a Capreis, naufragiis infames. De *Sirenibus* v. ſupra V, 551. *Acheloiadum* pro *Acheloidum*, metri cauſſa. *Pinus*, nauis, orbata *praeſide*, gubernatore Palinuro, qui cum gubernaculo excuſſus erat in mare. Aen. V, 867. *Prochyta* et *Pithecuſae* (hodie Procida et Iſchia) inſulae promontorio Miſeno obiectae. Has a figlinis doliariorum (dolium enim Graecis πίθος) nomen traxiſſe, auctor eſt Plin. III, 6. Noſter autem, vt poſtulabat operis ſui ratio, ſequitur eos, qui a ſimiis, πιθήκοις, inſulam dictam eſſe malebant. Hanc eandem eſſe atque *Inarimen* ſ. Aenariam auctoritatibus Geographorum Graecorum contendit Salmaſ. ad Solin. p. 97. Diuerſas faciunt Ouid. Mela et alii. Fluxit autem hoc nomen ex loco vel deprauato vel male intellecto Homeri Il. β, 783. Εἰν Ἀρίμοις, quos Arimos nonnulli in hanc inſulam transferebant. Strabo V, p. 379. addit, ſimios Etruſcis dictos eſſe *arimos*. v. Heinſ. ad h. l. Munker. ad Lactant. Argum. et Heyn. Exc. II ad Virg. Aen. IX.

92 *Cercopes*, Lydiae populus, fraudulentiſſimus, malitioſa verſutia inſignis. Ioui aduerſus Saturnum opem promiſerant; ſed, accepta pecunia, eum riſerunt. Inde verſuti impoſtores Κέρκωπες dicti, et κερκωπίζειν, fraudes moliri. v. Zenobius Cent. I, 5. IV, 50. Sed Graecis *cercopes* et genus ſimiorum caudatorum. *cercopithecos* in Aethiopia memorat et deſcribit Plin. H. N. VIII, 21.

In deforme viros animal mutauit: vt idem
Dissimiles homini possent, similesque videri.
Membraque contraxit, naresque a fronte resimas
Contudit, et rugis perarauit anilibus ora.
Totaque velatos flauenti corpora villo
Misit in has sedes. Nec non prius abstulit vsum
Verborum, et natae dira in periuria linguae.
Posse queri tantum rauco stridore relinquit.
Has vbi praeteriit, et Parthenopeia dextra
Moenia deseruit, laeua de parte canori

93 In simias mutauit. Sed more suo formam simiarum iucunde describit. *Viros*, homines, vt saepe apud Nostrum. *Membra contraxit*. Amm. Marc. XXII, 14. de Iuliano, *Videbatur, vt Cercops, homo breuis. Simae nares*, i. contractae, similis dantur. Etiam qui fastidiunt aliquid retortis naribus, *simare nares* drr. Sed Koster maluit ex emendat. quidem Salmasii ad Solin. p. 68. *resimus*, ἀνάσιμος, quo et Varro, Columella et alii vsi sunt. v. Heins. Ita *contudit resimas* erit, contudit, vt essent resimae, et *a fronte*, sub fronte. Miror tamen, in nullis Mss. τὸ *resimus*, aut saltem vestigium huius lect reliquum; nam plerique exhibent, *remissas*, pauci, *reuulsas*, aut *retusas*. Iam Vulg. *remissas* sensum mihi fundere videtur satis bonum, Nares hominum elatiores et cum fronte coëuntes a fronte remisit et contudit. Exquisite *perarauit* (vt II A. A. 218. Horat. Epod. VIII, 3.) quia rugae veluti sulci sunt. Hinc supra III, 276. *Sulcauit cutem rugis. Posse queri*, vt *posse loqui* II, 483.

101 *Parthenopeia moenia*, Neapolin ab vna Sirenum sic dicta. Sil. XII, 32. *Aeolidae tumulus*, h. promontorium, quod paulo post a Miseno, Aeoli filio, tubicine classis, nomen accepit. Dionys. Halic. I, 53. Aeneas enim infra Cumas egressus statim antrum Sibyllae intrat. Ibi cum responsum tulisset, ante condendum esse corpus amici insepultum, quam oracula consulat rediens ad litus reperit Misenum a Tritone, quocum cantu certauerat, interemtum. Tum corpus eius comburit, reliquiasque sub proximo monte sepelit. Aen. VI, 163 sqq. In illo litore speluncae erant fontes calidi, loca sulfure fumantia, paludes ferrugineis aquis et vluis obsitae, hinc *loca foeta palustribus vluis*. Ibi etiam *antrum* immane, secretum horrendum Sibyllae, cuius responsa, a Phoebo inspirata, per centum ostia antri remeabant. Aen. vs. 43. *Sibyllam* adit Aeneas olim ab Heleno (Aen. III, 441 — 59.) postea ab Anchisa patre in somnis monitus (V, 731 — 37.), vt ea duce in campos Elysios descendat, fataque instantia cognoscat. Fundus fabulae est hic. Aeneas antequam ex Troade discederet, adierat Sibyllam Erythraeam, h. vatem quandam Erythris in Aeolide. Dionys. Hal. I, 55. Iam cum Cumae in Italia ex Cuma Aeolidis colonos accepisse crederentur, in Italia autem non minus Sibyllae alicuius priscae memoria circumferretur, Cumana illa et Erythraea pro eadem a nonnullis haberi coepit, vid. Heyn. ad Tibul. II, 5, 19. *vinacis* v. mox vs. 132 sqq. De *Auernis* v. ad X, 51.

109 De *pietate* Aeneae ad XIII, 623. *nouissima regna* V, 365.

114 E Virg. Aen. VI, 137 sqq. 204 — 11. *Ramo aureo* instructum Aeneam voluit Sibylla, vel vt supplex ad Proserpinam accederet, vel quia Mercurius virga aurea animas deducit ad inferos, vel denique propter mali Punici comestionem, de qua supra V, 535 Et cum omnia Deorum aurea essent, etiam in lucis eorum arbores et rami aurei esse fingebantur. v. Heyn. Exc. VI ad Aen. VI. *Iuno Auerna*, Proserpina. Virg. vs. 138. *Iuno inferna*.

117 *Opes*, multitudo animarum, et quidquid potentiam Orci, omnia ad se rapientis, declarat. *atauos*, omnino maiores. *Iura locorum* dictum e formula, qua peregrinantes cultus, habitus et iura locorum discere drr. IV, 765.

120 *Auersus* pr. ipse Aeneas rediens, hinc etiam trames reducens ad superas auras. *Fallit laborem* eleganter quidem, vt VI, 60. sed aeque eleganter multi Mss. *mollit laborem*, idque parum abest, quin h. l. praeferam; vix enim a librariis profectum videtur,

Aeolidae tumulum, et loca feta palustribus vluis
Litora Cumarum, viuacisque antra Sibyllae
Intrat: et, vt manes adeat per Auerna paternos,
Orat. At illa diu vultus tellure moratos
Erexit: tandemque Deo furibunda recepto,
Magna petis, dixit, vir factis maxime, cuius
Dextera per ferrum, pietas spectata per ignes.
Pone tamen, Troiane, metum: potiere petitis,
Elysiasque domos, et regna nouissima mundi,
Me duce, cognosces, simulacraque cara parentis.
Inuia virtuti nulla est via, Dixit: et auro
Fulgentem ramum silua Iunonis Auernae
Monstrauit, iussitque suo diuellere trunco.
Paruit Aeneas: et formidabilis Orci
Vidit opes, atauosque suos, vmbramque senilem
Magnanimi Anchisae: didicit quoque iura locorum,
Quaeque nouis essent adeunda pericula bellis.
Inde ferens lassos auerso tramite passus,

103 Vulg *palustribus vndis vluis* est ex pr. Gronov. Norico Berneg. pro div. lect. Bersm. et aliis. Duo, *paludibus vdis*. Menard *loca foeda* 105 Quidam, *vt* vel *ad manes veniat*. 112 Auer Strez. *simulacraque magna*. 115 Multi, *deuellere*. Sed Burm. praetulit *diuellere*, quia ab arbore discerpitur et dilaceratur ramus. *Deuellere* vero est, depilare, vellere. 116 Schepper. corrigit. *formidabilis Orco Cernit auos*. Temere. 118 Heins. coni. *didicitque et iura*.

Cum duce Cumaea fallit ſermone laborem.
Dumque iter horrendum per opaca crepuſcula carpit,
Seu Dea tu praeſens, ſeu Dis gratiſſima, dixit:
Numinis inſtar eris ſemper mihi: meque fatebor
Muneris eſſe tui, quae me loca mortis adire,
Quae locá me viſae voluiſti euadere mortis.
Pro quibus aërias meritis euectus ad auras
Templa tibi ſtatuam, tribuam tibi turis honorem.
Reſpicit hunc vates, et ſuſpiratibus hauſtis,
Nec Dea ſum, dixit, nec ſacri turis honore
Humanum dignare caput. Neu neſcius erres,
Lux aeterna mihi, carituraque fine dabatur,
Si mea virginitas Phoebo patuiſſet amanti.
Dum tamen hanc ſperat, dum praecorrumpere donis
Me cupit: Elige, ait, virgo Cumaea, quid optes:
Optatis potiere tuis. Ego pulueris hauſti
Oſtendens cumulum, quot haberet corpora puluis,
Tot mihi natales contingere vana rogaui.
Excidit optarem iuuenes quoque protinus annos.
Hos tamen ille mihi dabat, aeternamque iuuentam,
Si Venerem paterer. Contemto munere Phoebi
Innuba permaneo. Sed iam felicior aetas

122 Politian. ex vet. Cod Medic. et vnus Baſ. *per opaca ſilentia.* 125 Plurimi, *Munus habere tuum.* 137 Vnus Medic. *haberent.* 139 *Excidit optarem* ex altero Hamb. vno Leid. et vno ſuo dedit Heinſ. Caeteri, *Excidit vt peterem.*

cum *fallit* facile potuerit repeti ex VI, 60.

122 *Opaca crepuſcula*, lux maligna et ſimilis crepuſculo, quale apud inferos eſſe ſolet. Sic *obſcura crepuſcula* de veſpera in noctem inclinante V Faſt. 163. inferos vero *opacum mundum* dicit V Met. 507. Burm.

125 *Muneris eſſe tui*, fatebor, me debere me meaque cuncta tibi. V, 343. *Cereris ſumus omnia munus.* II Sab. 2. *patriam meminit muneris eſſe tui. aërias auras* IX, 219.

128 Cf. Virg. d. l. 71 — 74. vbi libris Sibyllinis honorem habendum promittit. De libris illis etiam haec noſtra verba capienda eſſe cenſet Heyn. ad d. l. ſed reclamat loci ſeries. Numinis mihi inſtar eris, templa tibi ſtatuam, et turis honorem tribuam. — Nec Dea ſum, nec ture dignum humanum caput.

134 *Praecorrump. d.* ante corrumpere donis, quam concubitu. Dupliciter corrumpitur virgo *patens*, quae ſui facile copiam facit. *Praecorrupta* etiam IX, 296. vid. ad vſ. 55.

142 Eadem Sibylla ap. Tibul. II 5. 63 *Vera cano ſic — aeternum ſit mihi virginitas.*

143 *Aegra*, quia ſenectus ipſa morbus. Terent. Phorm. IV, 1, 9. vbi vid Lindenbr. Hauſta haec de vinacitate Sibyllae ex ipſis libris Sibyllinis cenſet Heinſ. quem vide. *mulſta* pro vindemiis, et nae, vt *meſſes*, pro annis.

149 *Onus*, molecula.

152 *Mutata ferar* plenius et elegantius, quam, mutabor.

EAB III. vſ. 154 — 440. In litore *Cajetano Macareum*, Graecum, reperiunt, cui *Achaemenides*, Graecus et ipſe, et ab Vlyſſe in Aetna relictus, ſed iam Aeneae comes adhaerens, narrat, quantopere *Polyphemus* poſt Graecorum diſceſſum ſaeuierit, et quomodo ipſe ſeruatus ſit a Troianis 157 — 222. Tum 223 — 440 Achaemenidi viciſſim Macareus refert, quid Vlyſſi et ſociis, relicta Sicilia, acciderit, in primis in *Circes* aedibus. In his transformatio *ſociorum in ſues*, et inde rurſus in homines, 273 — 307. Tum Macareus, Circes artem amplius comprobaturus, *Pici* mutationem ſubiungit, 308 — 440 Totus in his pendet ab Hom. et Virg.

154 *Connexum*, acclive, vt XIII, 911. *connexus apex*, declivis. Lenzius contra excauatam viam interpretatur. At etiam IV, 432. vbi deſcenſus ad inferos deſcribitur, *eſt via declivis*, et X, 53. Orpheus cum coniuge inde rediens, *carpit accliuum tramitem. Euboica vrbs*, Cumae, originem trahentes a Chalcide Euboica. Liv. VIII, 22. Etiam Virg. VI, 2. *Euboicis Cumarum adlabitur oris.* — *Emergit* accommodatius inferis, quam, *exit.*

157 *Caietam* intelligit, vrbem et promontorium in finibus Latii et Campaniae, quibus nomen dedit Caieta Aeneae nutrix. Virg. VII. init. *ſacris litatis* habet a Virg. Aen. IV. 50. qui hoc nouauit, vnde Seruius: *Diis litatis dicere debuit; non enim ſacra, ſed Deo ſacris litamus, id eſt placamus.*

158 In Sicilia deſertus erat vnus ex ſociis Vlyſſis, Achaemenides. Virg. Aen. III, 590 ſqq.

Terga dedit, tremuloque gradu venit aegra ſenectus:
Quae patienda diu eſt. Nam iam mihi ſecula ſeptem
Acta vides: ſupereſt, numeros vt pulueris aequem,
Tercentum meſſes, tercentum muſta videre.
Tempus erit, cum me de tanto corpore paruam
Longa dies faciat, conſumtaque membra ſenecta
Ad minimum redigantur onus. Nec amata videbor,
Nec placuiſſe Deo. Phoebus quoque forſitan ipſe
Vel non agnoſcet, vel dilexiſſe negabit.
Vsque adeo mutata ferar: nullique videnda,
Voce tamen noſcar: vocem mihi fata relinquent.
Talia conuexum per iter memorante Sibylla, *Achaemenides et Macareus.*
Sedibus Euboicam Stygiis emergit in vrbem
Troïus Aeneas: ſacrisque ex more litatis,
Littora adit nondum nutricis habentia nomen.
Hic quoque ſubſtiterat poſt taedia longa laborum

Neritius Macareus, comes experientis Vlixei.
Desertum quondam mediis qui rupibus Aetnae
Noscit Achaemeniden, improuisoque repertum
Viuere miratus, Qui te casusue, Deusue
Seruat, Achaemenide? cur, inquit, barbara Graium
Prora vehit? petitur vestrae quae terra carinae?
Talia quaerenti iam non hirsutus amictu,
Iam suus, et spinis conserto tegmine nullis,
Fatur Achaemenides: Iterum Polyphemon, et illos
Adspiciam fluidos humano sanguine rictus;
Hac mihi si potior domus est, Ithaceque, carina:
Si minus Aenean veneror genitore, nec vmquam
Esse satis potero, praestem licet omnia, gratus.
Quod loquor, et spiro, coelumque, et sidera Solis
Adspicio, (possimne ingratus, et immemor esse?)

160 Vulg. *in rupibus*, et mox, *Quis te.* v. Burm. ad Phaedr. I fab. 13, 6. vbi existimat, veteres certos fuisse elegantiae suae, et vbi *qui*, vbi *quis* praestaret, vsu fuisse doctos, licet nos saepe in his fluctuemus. 165 Heins. putat, *amictum.* 169 H. vs. sic recte e Nauger. et Gronov. restituit Heins. cum antea legeretur, *Haec mihi ni.* Idem Heins. suadet etiam *Ithacaea carina.* 172 Vulg. *lumina Solis.* Mox Burm. mallet, *suspicio*, si libri addicerent. Heins. e Florent. Neap. Berneg. et alius, *respicio* dedit.

Sed *hic quoque* alius substiterat: cuius rei caussa vs. 440. narratur. Et hoc finxit haud dubie Ouid. ipse ad exemplum Virgilii. Nec male. Ita enim cognoscimus reliqua de Polyphemo, et de erroribus Vlyssis. *Neritius* forte a *Nerito*, patre, Ithacae conditore et genus a Ioue ducente, a quo et Nerito, Ithacae monti, nomen inditum. Hom. Od. ρ, 207. ibique Schol. ex Acusilao. *Subsistunt*, qui cessant ab itinere et haerent aliquo. *experiens*, expertus multa, multa subiens. *mediis rupibus*, in antro Polyphemi socii trepidi eum deseruerant. Virg. 616 sqq. *Barbara*, Phrygia, (XI, 162.) Troiana. Et mirum erat, in ea classe esse *Graium.* Itaque ipse Achaemenides hoc vs. 220. repetit.

166 *Suus*, qui iam ad pristinum cultum redierat, vt agnosci posset. *spinis consertum*, consutum, *tegmen*, ne panni dilaberentur. Hoc quoque e Virg. vs. 593. de hoc Achaemenide, *Dira illuuies, immissaque barba, Consertum tegumen spinis: at cetera Graius.*

167 Sequitur oratio animi commotissimi, nec sine horrore reminiscentis grauissimi periculi, ex quo inexspectato seruatus est. Etiam grauis illa obtestatio, *Iterum Polyphemon* etc. perquam accommodata Achaemenidis sorti. *fluidos sanguine*, vnde fluebat sanguis. Etiam Virg. 626. *atro membra fluentia tabo.*

172 *Sidera Solis*, Sol. *anima* pro corpore aut homine interdum ponitur.

Ille dedit. Quod non anima haec Cyclopis in ora
Venit: et vt lumen iam nunc vitale relinquam;
Aut tumulo, aut certe non illa condar in aluo.
Quid mihi tunc animi (nisi si timor abstulit omnem
Sensum, animumque) fuit; cum vos petere alta relictus
Aequora prospexi? volui inclamare: sed hosti
Prodere me timui: vestrae quoque clamor Vlixis
Paene rati nocuit. Vidi, cum monte reuulso
Immanem scopulum medias permisit in vndas.
Vidi iterum, veluti tormenti viribus acta,
Vasta giganteo iaculantem saxa lacerto.
Et, ne deprimeret fluctusue lapisue carinam,
Pertimui, iam me non esse oblitus in illa.
Vt vero fuga vos ab acerba morte remouit,

176 Heins. malebat, *illam condar in aluum*, quia alibi Noster sic loquitur, vt vs. 209. Burm. vero exempla docet, vtrumque recte dici. 177 Multi, *nisi quod.* Paullo ante Basil. vnus et Leid. *nunc animi.* 179 Plurimi, *volui clamare* 180 Quidam, *vestri.* Alii, *vester.* 181 Vulg. *cum monte reuulsu...*, aut. *a monte.* Sed Heins. e Florent. Neap. et sec. Strozzae deest, *reuulso*, approbante Burm. 187 Vulg. *reduxit.* Pauci *redemit*, *reuellit* aut *reuulsit.* Heins. putabat, *ab certa morte.*

175 *Et vt lumen* etc. et quod, etiamsi nunc vitam relinquam, tamen tumulo aliquo condar, aut certe etc. *condar.* VI, 665.

177 *Quid animi* bona et sollemnis Nostro locutio, de qua v. Heins. ad I, 358. Idem amat *nisi si.* v. Heins. ad Heroid. IV, 111.

180 *Clamor*, quo, conscensa iam naue, irridebat Polyphemum. Homer. Od. ι, 475. Etiam in seqq. expressus Hom. vs. 481. Ἦκεν ἀποῤῥήξας κορυφὴν ὄρεος μεγάλοιο, καὶδ' ἔβαλε προπάροιθε νεὸς κυανοπρῴρου. Τυτθὸν δ' ἐδεύησεν ὀϊήιον ἄκρον ἱκέσθαι. Ἐκλύσθη δὲ θάλασσα κατηρεφὴς ὑπὸ πέτρης. *Vidi iterum* etc. Homer. vs. 537. Ἐξαῦτις πολὺ μείζονα λᾶαν ἀείρας, Ἧκε διοτρήσας etc. *veluti tormenti* etc. ἐπέρασε δὲ τὴν ἀπέλεθρον. *Lapis* parum abfuit, quin clauum extremum attingeret, et *fluctus* ἐκλύσθη ὑπὸ πέτρης.

187 Praeclare furentem ob oculum effossum (XIII, 773.) Polyphemum de suo describit. *Acerba mors*, quia in mari perire acerbum admodum et detestabile habebatur, monente Burm. H. l. tamen potius intell. mors, quam multis simul infert hostis saeuus. Praeclare, *praetentat manu silvas*, extensa manu explorat, an obstent arbores. Ibid. 259. *Trepidumque ministro Praetentes baculo, luminis orbus, iter.* Etiam Tibul. II, 1, 77. sic *praetentare iter* dixit. Supra X, 455. *motu caecum iter explorat.* — *fodare* sollemne de profluente *tabo*, san-

Ille quidem totam fremebundus obambulat Aetnam,
Praetentatque manu ſiluas, et luminis orbus
Rupibus incurſat, foedataque brachia tabo
In mare protendens gentem exſecratur Achiuam,
Atque ait: O ſi quis referat mihi caſus Vlixen,
Aut aliquem e ſociis, in quem mea ſaeuiat ira,
Viſcera cuius edam, cuius viuentia dextra
Membra mea laniem, cuius mihi ſanguis inundet
Guttur, et cliſi trepident ſub dentibus artus;
Quam nullum, aut leue ſit damnum mihi lucis ademtae!
Haec, et plura ferox. Me luridus occupat horror,
Spectantem vultus etiamnum caede madentes,
Crudelesque manus, et inanem luminis orbem,
Membraque, et humano concretam ſanguine barbam.
Mors erat ante oculos: minimum tamen illa malorum.
Et iam prenſurum, iam iam mea viſcera rebar

188 *Fremebundus* ex Sprotiano recepit Heinſ. pro vulg. *gemebundus* Alter Hamb. et Francof. *tremebundus*. Multi, *tota Aetna*, quod defendi poſſe ex Il, 851. monet Burm. 189 Vulg. *Pertentat*. 193 Multi, *in quo*, vt V, 516. *in pellice ſaeuae*. 194 Pr. Gronov et ſec. Palat. *viuacia*. 195 Pr. Ambr. *ſanguine*. 196 Baſ. *eliſi crepitent*, quod non diſplicet Burm. 198 Plurimi, *occupat error*, quod Burm. de caligine capit, quae oculis offunditur. 202 Vulg *illa doloris*. Baſ. *laborum*. Vrbinas, *ante malorum*, vt Virg. Aen. I, 198.

guine. Lenzius intel. ſanguinem caeſorum Vlyſſis ſociorum. Potius ex oculo effoſſo. Ipſe vectis oleaginus, quo terebrauerat Vlyſſes oculum, *πεφυσμένος αἵματι πολλῷ* Hom. vſ. 397.

194 *Viſcera cuius edam*. Hoc per partes cogitare iucundum eſt animo ira furenti. Itaque immoratur imagini huic ſoedae, *cuius viuentia — artus*. *Trepident* e Virg. vſ. 627. *Vidi atro cruor membra fluentia tabo Manderet, et tepidi tremerent ſub dentibus artus*. Pro *tepidi* Noſter melius *eliſi*, quod conuenit huic mortis generi.

198 *Luridus*. v. ad I, 147. *luminis orbem*. v. ad XIII, 851. *Membraque*. Vocab. generis ſaepe ponitur inter vocabb. partium. Non igitur erat, cur Schepper. corrigeret, *Mentaque*. *Concr. ſ. barbu* etiam XII, 279.

203 V. ad VI, 651 et 664. *Imago* vt XI, 427. *Bina corpora ſociorum* melius, quam binos ſocios. Quoniam ap. Homer. ter vorat binos, propterea etiam h. l. quidam diſtinguunt poſt *ter*. Melius *Ter quater* coniunguntur, nec definitur, quoties coenam ſibi parauerit e ſociis. Expreſſit autem Homer. vſ. 289 ſqq. *Σὺν δὲ δύω μάψας, ὥστε σκύλακας, ποτὶ γαίῃ κόπτ'. Ἤδη δ', ὥστε λέων ὀρεσίτροφος, οὐδ' ἀπέλειπεν Ἔγκατά τε, σάρκας τε, καὶ ὀστέα μυελόεντα.* Cf. Virg. vſ. 623. vbi reſupinus in antro corpora illa *frangit ad ſaxum*. *Iacere* et *ſtare* ſuper corpora deiecta drr. ferae, idque h. l. minus bene translatum ad Polyphemum. Nec apparet, cur *albitudo* potiſſimum medullarum hic commemorata ſit. Heinſ. e Miſſ. nonnullis praeferebat vel *eſis* vel *obtiſisque medullis*. Burm. mallet vel e coniect. *contuſisque oſſa medullis*, vt ſit quaſi hypallage, pro contuſis oſſibus, medullas condebat in aluum, vel ex 8 Miſſ. *cumque ipſis*, vt voracitas Cyclopis et immanitas indicetur.

211 Ex Homer. vſ. 373. *Φάρυγγος δ' ἐξέσσυτο οἶνος, ψωμοί τ' ἀνδρόμεοι· ὁ δ' ἐρεύγετο οἰνοβαρείων*. Virg. vſ. 632. *ſaniem eructans ac fruſta cruento Per ſomnum commixta mero*. Pro *eiectantem* Heinſ. ſuadebat, *eructantem*. Sed expreſſit haud dubie Eurip. Cyclop. vſ. 583. *ἐξ ἀναιδῆς Φάρυγγος ὠθήσει κρέα. glomerata*, commixta. Aen. IX, 349. *cum ſanguine mixta vina refert*. *Mero* illo eum Vlyſſes inebrianerat.

214 — 19 Totus loc. e Virg. 645 — 52. expreſſus. *fuga*, fugiendi facultas, vt recte Burm. *moui*, animum Aeneae. *Graiumque* etc. vſ. 163.

223 Sequuntur fata Vlyſſis ex Hom. Od. κ. fideliter expreſſa. *Aeolus* regnabat in vna ex inſulis

In ſua merſurum: mentique haerebat imago
Temporis illius, quo vidi bina meorum
Ter quater adſligi ſociorum corpora terrae.
Quae ſuper ipſe iacens, hirſuti more leonis,
Viſceraque, et carnes, cumque albis oſſa medullis,
Semanimesque artus auidam condebat in aluum.
Me tremor inuaſit: ſtabam ſine ſanguine moeſtus:
Mandentemque videns, eiectantemque cruentas
Ore dapes, et fruſta mero glomerata vomentem,
Talia fingebam miſero mihi fata parari:
Perque dies multos latitans, omnemque tremiſcens
Ad ſtrepitum, mortemque timens, cupidusque moriri,
Glande famem pellens, et mixta frondibus herba,
Solus, inops, exſpes, leto, poenaeque relictus,
Haud procul adſpexi longo poſt tempore nauim,
Orauique fugam geſtu, ad litusque cucurri:
Et moui: Graiumque ratis Troiana recepit.
Tu quoque pande tuos, comitum gratiſſime, caſus,
Et ducis, et turbae, quae tecum credita ponto eſt.
Aeolon ille refert Tuſco regnare profundo;

205 Multi, *viua meorum*, quod placebat Mariang. Accurſ. 215 Vnus Baſ. *mortisque timens*. v. Heinſ. ad I, 322. 218 Alii, *Hanc procul*. 222 Vnus Medic. *et turmae*.

Aeolon Hippotaden, cohibentem carcere ventos:
Quos bouis incluſos tergo, memorabile munus,
Dulichium ſumſiſſe ducem: flatuque ſecundo
Lucibus iſſe nouem, et terram adſpexiſſe petitam:
Proxima poſt nonam cum ſeſe Aurora moueret,
Inuidia ſocios, praedaeque cupidine ductos,
Eſſe ratos aurum, demſiſſe ligamina ventis:
Cum quibus iſſe retro, per quas modo venerat vndas,
Aeoliique ratem portus repetiſſe tyranni.
Inde Lami veterem Laeſtrygonis, inquit, in vrbem
Venimus. Antiphates terra regnabat in illa,
Miſſus ad hunc ego ſum, numero comitante duorum:
Vixque fuga quaeſita ſalus, comitique, mihique.
Tertius e nobis Laeſtrygonis impia tinxit
Ora cruore ſuo. Fugientibus inſtat, et agmen
Concitat Antiphates. Coëunt, et ſaxa trabesque
Continuant, merguntque viros, merguntque carinas.
Vna tamen, quae nos ipſumque vehebat Vlixen,
Effugit. Amiſſa ſociorum parte, dolentes,
Multaque conqueſti terris adlabimur illis,

229 Alii, *cupidine victos* aut *captos* 241 Pr. Moret. et pr. Bonon. *fidumque vehebat*, quod librarii e Virg. Aen. I, 113. arripuiſſe Burm. videntur. 243 Quidam, *illabimur*. Heinſ. malebat etiam, *multaque praeſueſti*.

Aeoliis, quae ſitae erant in mari Tuſco. Is ſecundum Homer. vtribus incluſos cohibet ventos, itaque etiam Vlyſſi eos dedit *bovis incluſos tergo*, Homer. vſ. 19. δείρας ἀσκὸν βοὸς ἐννεώροιο. *petitam*, nempe patriam. Hom. vſ. 29 Et h. l. tres Mſſ. pr. Baſ. et 2 Gronov. habent, *paternam*. De *Hippot.* et *carcere* ventorum cf. IV, 662.

229 *Inuidia*, inuidentes Vlyſſi, quem ſolum res pretioſas ſecum in patriam ducere putarent. Homer. vſ. 40 ſqq.

233 Homer. vſ. 81. Ἱκόμεθα Λάμου αἰπὺ πτολίεθρον. *Laeſtrygones* Formias Campaniae inhabitabant. Plin. III, 5. Cic. ad Attic. II, 13. erantque gigantes et ἀνθρωποφάγοι. Homer. vſ. 120 *Incultos*, i. inhumanos, eos vocat Tibul. IV, 1, 59. *Lami vrbs*, in qua olim Lamus regnaverat.

238 *Agmen concitat.* Hom. vſ. 118. ὁ τεύχε βοὴν διὰ ἄστεος etc. *continuant*, ſine intermiſſione iactant, vt Horat. II Sat. 6. *continuare dapes*. vid. Heinſ. qui hoc ex 2 Mſſ. altero Hamb. et pro diuerſ. lect. pr. Erfurt. recepit pro *Coniiciunt*.

Quas procul hinc cernis. Procul hinc tibi, cerne, videnda eſt
Inſula, viſa mihi. Tuque, o iuſtiſſime Troum,
Nate Dea (neque enim ſinito Marte vocandus
Hoſtis es, Aenea) moneo, fuge litora Circes.
Nos quoque Circaeo religata in litore pinu
Antiphatae memores, immanſuetique Cyclopis,
Ire negabamus, et tecta ignota ſubire.
Sorte ſumus lecti: ſors me fidumque Politen
Eurylochumque ſimul, nimiique Elpenora vini,
Bisque nouem ſocios Circaea ad moenia miſit.
Quae ſimul attigimus, ſtetimusque in limine tecti;
Mille lupi, mixtaeque lupis vrſaeque, leaeque
Occurſu fecere metum: ſed nulla timenda,
Nullaque erat noſtro factura in corpore vulnus.
Quin etiam blandas mouere per aëra caudas,
Noſtraque adulantes comitant veſtigia; donec

244 *Procul hinc* etc. Haec verba recte emendauit Heinſ. Vulg. *Procul hinc mihi crede videnda*. Quidam, *tibi credo*. Neap. *tibi crede videndam*. 245 Sixi, *o fortiſſime*. Baſ. *illuſtriſſime*.

244 De Circes inſula v. ſupra ad vſ. 10. Cf. Homer. inde a vſ. 135. Commotus periculo ibi ſuperato commoda conuerſione Aeneam adſtantem alloquitur, quae ſimul facit, vt hunc ante oculos teneat lector. Neque huc appulerunt Troiani, ſed praeteruecti ſunt illa litora. Virg. VII, 21 — 23.

249 Homer. vſ. 199. Μνησαμένοις ἔργων Λαιστρυγόνος Ἀντιφάταο. Κύκλωπός τε βίης μεγαλήτορος ἀνδροφάγοιο. In *immanſuetus* fruſtra haeſerunt Intt. quaſi leuiore nimis voc. pro Polyphemi crudelitate; saeuis enim beſtiis, vt XV, 85. tigribus, tribuitur *immanſuetum ingenium*.

251 Homer. viginti tres miſſos narrat, e quibus non niſi *Eurylochum* ducem, et vſ. 225 *Politen* nomina. Sed lib. κ, 552 et λ, 60 ſqq. *Elpenor* inebriatus de Circes tecto decidiſſe, fractaque ceruice mortuus eſſe refertur. Hinc *nimii vini*, quod Heinſ. et Burm. illuſtrant ex Horat. I od. 36, 13. *multi Damalis meri*, II od. 12. *nimium mero Hylaeum*, Sueton. Aug. 76. *Cibi minimi erat* et Colum. VI, 2. *Multi cibi et edaces*.

255 Homer. in his Noſter ſequi maluit, quam Virg. Apud illum humanam manſuetudinem ferae induerant Circes herbis, apud hunc ex hominibus factae erant ferae. Homer. vſ. 212. Ἀμφὶ δὲ μιν λύκοι ἦσαν ὀρέστεροι, ἠδὲ λέοντες. — Οὐδ' οἵ γ' ὠρμήθησαν ἐπ' ἀνδράσιν, ἀλλ' ἄρα τοίγε Οὐρῇσιν μακρῇσι περισσαίνοντες ἀνέσταν. *blandas*, blande. De *famulis excipientibus* nihil Homer.

Excipiunt famulae, perque atria marmore tecta
Ad dominam ducunt. Pulchro ſedet illa receſſu,
Sublimis ſolio, pallamque induta nitentem,
Inſuper aurato circumuelatur amictu.
Nereides Nymphaeque ſimul, quae vellera motis
Nulla trahunt digitis, nec fila ſequentia ducunt,
Gramina diſponunt, ſparſosque ſine ordine flores
Secernunt calathis, variasque coloribus herbas.
Ipſa, quod hae faciunt, opus exigit: ipſa quis vſus
Quoque ſit in folio, quae ſit concordia mixtis,
Nouit, et aduertens penſas examinat herbas.
Haec vbi nos vidit, dicta, acceptaque ſalute,
Diffudit vultus, et reddidit omnia votis.
Nec mora; miſceri toſti iubet hordea grani,

262 Vulg *ſublimi* Multi, *ſolenni*. Hinc Heinſ. *ſolenni in ſolio*, quemadmodum *ſolennes arae* etc. paſſim. Sed Burm. non placet *ſolemne illud ſolium*, recepit ergo e quinque Mſſ. *ſublimis* ne tot Ap[illegible] iui[illegible]ntur. 265 Heinſ. malit. *trahant* et *ducant*. 267 Vulg. *variisque* Schepper. coni. *variantque*. 268 Thuan. et alter Twed. *fu[illegible]ant*. Quidam. *quid vſus*, vt ſupra vſ. 2. 272 Plurimi veteres. *Omina vocis*. Duo, *omnia voce*.

260 Domus Circes in conualle e lapidibus politis exſtructa, ſoribus ſplendidis ornata, ſupellectile pretioſiſſima inſtructa. Homer. κ, 211 311. 348. Hinc *ſuperba teſta* ap. Virg. VII, 12. De *ſolio* eius v. Homer. vſ. 311. De *receſſu* dictum ad I. 177. *nitens*, candida, ἀργύφεον φάρος Homer. 543 Cincta erat zona aurea et in capite gerebat flammeum, καλύπτρην. Pro his Noſter eam *circumuelat amictu*, vt Hymenaeum X, . *Amictus* enim neque de zona, neque de calyptra intelligi poteſt, quamquam Lenzius ita capi vult.

264 Apud Homer. 221. 254. cantantem Circen reperiunt et telam texentem. Sic et Virg. VII, 12 14. *Secernunt*, ſecretos reponunt in calathis. Ap. Hom. 347 miniſtras habet quatuor, Fontium, Fluminum et Siluarum filias. Negotia earum Ouid. ſic finxit, quia Circe venefica. *Opus exigit*, qui curam operis habet, idque et iubet et examinat. Schwarz. ad Plin. pan. 19, 3.

272 *Diffudit*. v. ad III, 318. *reddidit omnia votis*, nobis bona vouentibus aeque bonis votis reſpondit.

273 Homer. vſ. 234. Ἐν δὲ σφίν τυρόν τε καὶ ἄλφιτα καὶ μέλι χλωρὸν Οἴνῳ Πραμνείῳ ἔκυκα. Valde gratum Graecis antiquis hoc potionis genus, confectum e farina, caſeo, melle, vino. Cf. Il λ, 633. et v. Riccii differt. Homer. To I. p. 181. Dr. Κυκεών et *cinnus*. v. et Foeſius in Oecon. Hipp. h. v. *toſti hordea grani*, farinam hordaceam. *hordea grani* pro grana hordei aut hordacea. *Torreri* autem ſolebant olim grana, vt facilius molaſ frangerentur. *Vis meri*, merum. *coagula*. XIII, 830. *Latere*, non percipi guſtu. *ſuccos adiicit*. Homer. ἀνίμισγε δὲ σίτῳ φάρμακα λυγρά.

Mellaque, vimque meri, et cum lacte coagula paſſo.
Quique ſub hac lateant furtim dulcedine, ſuccos
Adiicit. Accipimus ſacra data pocula dextra.
Quae ſimul arenti ſitientes hauſimus ore,
Et tetigit ſummos virga Dea dira capillos;
(Et pudet et referam) ſetis horreſcere coepi,
Nec iam poſſe loqui; pro verbis edere raucum
Murmur, et in terram toto procumbere vultu:
Osque meum ſenſi pando occalleſcere roſtro;
Colla tumere toris: et qua modo pocula parte
Sumta mihi fuerant, illa veſtigia feci:
Cumque eadem paſſis (tantum medicamina poſſunt)
Claudor hara: ſolumque ſuis caruiſſe figura
Vidimus Eurylochum: ſolus data pocula fugit.
Quae niſi vitaſſet, pecoris pars vna manerem
Nunc quoque ſetigeri: nec tantae cladis ab illo
Certior ad Circen vltor veniſſet Vlixes.

276 Heinſ. malit, *Arripimus*, quod auiditatem ſitientium magis exprimit. 281 Heinſ. coni. *prono*. 282 Nonnulli, *calleſcere*, vel, *coaleſcere*. *Calliſcere* Nonius ex Catone notauit. *Callere* Sulpicius Cic. IV ad Diu. 5. Seuerus in Aetna. *Callent rure manus*. Haec Heinſ. 284 Heinſ. malit, *veſtigia figi* vel *ferri*, vt ſuper oribus haec dependeant. Improbat Burm. 286 Vulg. *Claudor in antra ſuis*. 287 Heinſ. coni. *Pocula vitat*, quia ſeq. *vitaſſet*. 288 *Manerem* pro *maneret* e coniect. Gruteri recepit Burm.

Aridus uiator, Virg. G. IV, 97. *Virga* haec vim magicam habuit. *ſetis* etc. Mutamur in ſues, quos Noſter more ſuo deſcribit, cum Homer. id breuiter et ſimpliciter expreſſerit: Suum habebant capita, vocem, corpus et ſetas. *horreſcere* de piloſa hirſutie. *horreſcere ſetis, pilis, hirto dorſo* ſollemne de ſuibus. v. Drakenb. ad Sil. I, 422. Satis hic appareret, quid hoc mytho docere voluerint antiqui poëtae, vim nempe voluptatum eſſe tantam, vt belluinos mores induant homini-bus. Horat. Epiſt. I, 11, 23. *Circes pocula noſti: Quae ſi cum ſociis ſtultus cupidusque bibiſſet, Sub domina meretrice fuiſſet turpis et excors, Vixiſſet canis immundus, vel amica luto ſus. Veſtigia facere* pro incedere, dixerunt etiam Cic. et Quinct. v. Burm. Manibus, quibus pocula arripuerat, mutatis in pedes, incedere coepi.

286 Eurylochus, qui ante fores manſerat, ad nauem cucurrit, atque Vlyſſi, quid factum ſit, expoſuit. Hom. 244.

Pacifer huic dederat florem Cyllenius album:
Moly vocant Superi: nigra radice tenetur.
Tutus eo, monitisque simul coeleſtibus intrat
Ille domum Circes: et ad inſidioſa vocatus
Pocula, conantem virga mulcere capillos
Repulit; et ſtricto pauidam deterruit enſe.
Inde fides, dextraeque datae: thalamoque receptus
Coniugii dotem, ſociorum corpora, poſcit.
Spargimur innocuae ſuccis melioribus herbae,
Percutimurque caput conuerſae verbere virgae:
Verbaque dicuntur dictis contraria verbis.
Quo magis illa canit, magis hoc tellure leuati
Erigimur, ſetaeque cadunt, bifidosque relinquit
Rima pedes: redeunt humeri: ſubiecta lacertis
Brachia ſunt. Flentem flentes amplectimur illum,
Haeremusque ducis collo: nec verba locuti
Vlla priora ſumus, quam nos teſtantia gratos.

290 Vulg. *Spargimur ignotae. Tum flentem.* 305 Heinſ. coni. *Brachia.*

291 Venienti Vlyſſi occurrit Mercur. χρυσόῤῥαπις, atque tam medicamentum, φάρμακον, ei praebet, quam conſiliis eum inſtruit. Hom. 277 ſqq. *florem album.* Idem 304 ῥίζη μὲν μέλαν ἔσκε, γάλακτι δὲ εἴκελον ἄνθος. Μῶλυ δέ μιν καλέουσι θεοί. Homer. vſ. 302—6. Plin. 25. 4. *Laudatiſſima herbarum eſt Homero, quam vocari a Diis putat Moly, et inuentionem eius Mercurio aſſignat, contraque ſumma veneficia demonſtrat. Naſci eam hodie circa Pheneum et in Cyllene Arcadiae tradunt, ſpecie illa Homerica, radice rotunda nigraque, magnitudine cepae, folio Scyllae, effodi autem difficulter.* — Putant, *Nymphaeam album* (Waſſerlilie) intelligi, cui Plin. XXV. 37 ſ. 26. vim refrigeratricem tribuit. *Vocant Superi.* v. ad XI, 640. *radice tenetur*, radice coniunctus eſt cum terra, radicem habet. Bene *inſidioſa.* — *conantem mulcere*, immo percuſſit reuera ſecundum Homer. vſ. 319. ῥάβδῳ πεπληγυῖα. *Stricto enſe*, ἄορ ἐρυσσάμενος, a Mercurio admonitus, in eam irruit. vſ. 294.

298 *Coniugii dotem*, concubitus pretium. Cupiebat illa ἐυνηθῆναι. Sic *connubium* ſupra, et ſaepe *coniux* pro amante. *ſociorum corpora* pro, ſocios. *Spargimur* etc. προσάλειφεν ἑκάστῳ φάρμακον ἄλλο, quo facto *ſetae cadunt*, τρίχες ἔῤῥεον 392.

300 *Verbere virgae*, virga. — *Leuati erigimur* e copia poëtica dictum; nam et *leuari* eſt erigi. *Flentem* etc. ἔφυν τ' ἐν χερσὶν ἕκαστος. Πᾶσιν δ' ἱμερόεις ὑπέδυ γόος.

Annua nos illic tenuit mora: multaque praeſens *Picus.*
Tempore tam longo vidi, multa auribus hauſi.
Hoc quoque cum multis, quod clam mihi retulit vna
Quatuor e famulis, ad talia ſacra paratis.
Cum duce namque meo Circe dum ſola moratur,
Illa mihi niueo factum de marmore ſignum
Oſtendit iuuenile, gerens in vertice picum,
Aede ſacra poſitum, multisque inſigne coronis.
Quis foret, et quare ſacra coleretur in aede,
Cur hanc ferret auem, quaerenti, et ſcire volenti,
Accipe, ait, Macareu: dominaeque potentia quae ſit
Hinc quoque diſce meae: tu dictis adiice mentem.
Picus in Auſoniis, proles Saturnia, terris
Rex fuit, vtilium bello ſtudioſus equorum.
Forma viro, quam cernis, erat. Licet ipſe decorem
Adſpicias, fictaque probes ab imagine veram.

314 Conſt. Fan. praefert ex vno ſuo, *iuuenale*, quia *iuuenalis* potius, quam *iuuenilis*, ab antiquis dictum ſit. Heinſ. putat, huic vſ. praeponendum eſſe illum, qui ſeq. *Aede ſacra poſitum.* 322 Plurimi, *licet ipſe colorem.* 323 Quinque, *ſub imagine.* Praeterea Viuianus, *formamque probes ab imagine veram*, quod nec Heinſ. diſplicebat.

308—440 *Picus*, Auſoniae rex, Circes veneficio mutatur in picum auem. Cf. Virg. VII, 189 ſq. Comites transformantur in feras, et vxor reſoluta in auras euaneſcit. „Picus „vel picumnus priſcis Italis inter „ſacras fuit aues, inprimisque au„guriis probatus, idem Marti ſa„cer. vid. Serv. ad Aen. VII, „190. Niſi itaque nominis inter„pretatio fabulam iſtam mutatae „formae peperit, nata illa eſſe „potuit ex antiquo ſigno inuenis „cum pico in capite. Tale ſignum „memorat Ouidius in Circes aedi„bus XIV, 313 ſq. vt augurandi „peritia in Pico expreſſa fuiſſe „videatur. Quo ipſo declaratur „id, quod apud Virgil. lituum „manu tenet eius ſignum in Lati„ni regia poſitum, vſ. 187. Ser„vius quoque ad e. l. ex Pontifi„cialibus libris probare vult, Pi„cum augurio clarum fuiſſe.“ Heynius Exc. V. ad Aen. VII. Quod Virg. breuiter attigit, id Noſter more ſuo latius perſecutus eſt.

320 *Auſones*, antiquiſſima gens, late olim per totam fere Italiam diffuſa. H. l. intel. pars Italiae ea, quae poſtea dicta eſt Latium, cuius vetuſtiſſimus rex *Saturnus*, vltra quem Italicae origines et fabulae non procedunt. Huius filius *Picus*. Virg. Aen. VII, 48. 49. *ſtudioſus equorum.* Ap. Virg. vſ. 189. *Picus, equum domitor.* Et reges priſci Italiae plurimos alebant equos.

323 *Fitta*, ad imitationem expreſſa. *probes*, diiudices. *nec adhuc* etc. Nondum per aetatem poterat quater ludos Olympios

Par animus formae: nec adhuc ſpectaſſe per annos
Quinquennem poterat Graia quater Elide pugnam.
Ille ſuos Dryadas Latiis in montibus ortas
Verterat in vultus: illum fontana petebant
Numina, Naïades, quas Albula, quasque Numici,
Quasque Anienis aquae, curſuque breuiſſimus Almo,
Narque tulit praeceps, et amoenae Farfarus vmbrae,
Quaeque colunt Scythicae regnum nemorale Dianae,
Finitimosque lacus. Spretis tamen omnibus vnam
Ille fouet Nymphen, quam quondam in colle Palati
Dicitur ancipiti peperiſſe Venilia Iano.
Haec, vbi nubilibus primum maturuit annis,
Praepoſito cunctis Laurenti tradita Pico eſt:
Rara quidem facie, ſed rarior arte canendi:

325 H. vſ. peſſime in Mſſ. habitum ita conſtituit Heinſ. Pro *Elide* omnes *edere*. Hinc magna lectionum diuerſitas nata. Poſt hunc vſ. in vno Leidenſi erat alter additus, *Gratus erat cunctis et munere dignus amoris.* 327 Florent. *furtiua petebant*, i. furtiuis amoribus dedita. Non diſplicet Heinſ. 330 Olim edeb. *opacae Farfarus vndae.* Sed alterum habet Seruius ad Virg Aen. VII, 715. vnde recepit Heinſ. *Vmbrae* exſtat etiam in Mſſ. nonnullis, vt Flor. Berneg. Hamb. 331 *Regnum* ex Berneg. libenter amplexus eſt Heinſ. cum caeteri habeant, *ſtagnum*. 333 *Fauet* habent vnus Gron. vnus Lun. et alius. Caeteri, *colit*. 334 Nonnulli, *Ionio Iano*. Heinſ. coni. *Inoo Iano*, Ianum enim pro Palaemone ſiue Portuno habitum. 337 Multi, *facies*, ſed *facie* praeferendum, quia ſeq. *arte*.

ſpectaſſe, nondum annum aetatis vigeſimum attigerat, aut omnino, admodum iuuenis erat. Loquitur Graecus, cui nihil memorabilius illis ludis. Spatium interiectum ſaepe πενταετηρὶς, hinc *quinquennem*.

328 *Albula*, poſtea Tiberis. v. Seru. et Cerda ad Virg. VIII, 331. *Anien* aut *Anio* conualles Tiburtinas perfluit. *Almo*, *Nar* et *Farfarus* (Virg. VII, 715 *Fabaris*) in Tiberim influunt. De *Numicio* v. vſ. 598. *regnum nemorale*, nemus Dianae cum *lacu* prope Aniciam, vbi ſerui fugaces regna tenebant. A. A. I, 259. III Faſt. 263. Etiam Lucan. III, 86. *Qua ſublime nemus, Scythiae qua regna Dianae.* Huc translata ara Dianae *Scythicae* ſ. Tauricae. Schol. ad Horat. A. P. 16.

333 *Fouere* de amplexu et amore liberorum, amicorum, amantium. Cic. Diu. I, 9. Virg. Ecl. III, 3. *Ianus*, Deus Latinorum domeſticus. *anceps*, quia duplice capite fingebatur, etiam I Faſt. 95. *Ianus bifrons* Aen. VII, 180. Is ſecundum nonnullos *Veniliam*, quae fuit inter Deas marinas, vxorem habuit, ſecundum alios Cameſen, Camesnam aut Camenam. Heyne Exc. V ad Aen. VII.

337 *Rara*, eximia. *Canens*, Pici vxor, alibi non occurrit. Vide tamen Heyn. d. l. Vox eius eandem vim habebat, quam Orphei, quem *inſecutae ſiluae, ra-*

Vnde Canens dicta eſt. Siluas, et ſaxa mouere,
Et mulcere feras, et flumina longa morari
Ore ſuo, volucresque vagas retinere ſolebat.
Quae dum feminea modulatur carmina voce,
Exierat tecto Laurentes Picus in agros,
Indigenas fixurus apros; tergumque premebat
Acris equi, laeuaque haſtilia bina ferebat,
Poeniceam fuluo chlamydem comprenſus ab auro.
Venerat in ſiluas et filia Solis easdem:
Vtque nouas legeret fecundis collibus herbas:
Nomine dicta ſuo, Circaea reliquerat arua.
Quae ſimulac iuuenem, virgultis abdita, vidit,
Obſtupuit. Cecidere manu, quas legerat, herbae:
Flammaque per totas viſa eſt errare medullas.
Vt primum valido mentem collegit ab aeſtu;
Quid cuperet, faſſura fuit. Ne poſſet adire,
Curſus equi fecit, circumfuſusque ſatelles.
Non tamen effugies, vento rapiare licebit,

341 Heinſ. ex Cantab. placet, *molitur carmina*. Coni. etiam *flexanima voce*, vt *flexanima oratio* ap. Cic. 348 Plerique et optimi, *reliquerat antra*. 350 Plurimi, *herbas*.

pidos morantem fluminum lapſus, Horat. I od. 12, 8. Idem dictus *lenire tigres, rabidosque leones*, et, vt Amphion, *ſaxa mouere*. A. P. 393.

342 *Laurentinus* ager abundabat *apris*; vnde ſaepe *Laurens aper*. v. Bentl. ad Horat. Epod. 5, 28. Obſeruat Rode, *haſtilia* fuiſſe inſignia regiae dignitatis tempore heroico. Sic Cephalus VII, 673. *iaculum* geſtabat. Sed Picus haſtilia venatus cauſſa ſumſerat. Notat Douza, *indigenas* Martial. I, 50. vocaſſe *vernos apros*.

345 Cum Mſſ. hic valde varient, et alii habeant *contactus*, alii *comprenſus*, *concinctus*, *contortus*, *contectus*, *compreſſus* etc. Heinſ. fatetur, ſe veram lect. reperire non poſſe, ſuſpicari tamen ſe, ſcriptum reliquiſſe Ouid. *conſperſus*. Videamus igitur, an certius aliquid conſtitui poſſit. E vſ. 394. patet, fibula conſtrictam chlamydem habuiſſe Picum; aliunde vero, v. c. e ſtatuis et deſcriptionibus Dianae Nymharumque venatricium, ſcimus, venantes breuiore veſte vſos eſſe. Si itaque per *aurum* nunc fibulam auream intelligimus, et *contractus chlamydem* dictum putamus pro, contractam chlamydem habens, ſenſus oritur optimus. *Ab auro*, auro. *Ab* ſaepe inſtrumentum indicat, quo aliquid fit.

350 De tali ſigno obſtupefacti animi cf. IV, 175. In *ſinu* ſeruari ſolebant collecti flores. V, 499. IV Faſt. 451. Itaque *ſinu* vtique praeſtat τῷ manu, quod ante Heinſ. edebatur.

Si modo me noui, ſi non euanuit omnis
Herbarum virtus; nec me mea carmina fallunt.
Dixit: et effigiem, nullo cum corpore, falſi
Finxit apri, praeterque oculos transcurrere regis
Iuſſit, et in denſum trabibus nemus ire videri;
Plurima qua ſilua eſt, et equo loca peruia non ſunt.
Haud mora: continuo praedae petit inſcius vmbram
Picus; equique celer fumantia terga relinquit;
Spemque ſequens vanam, ſilua pedes errat in alta.
Concipit illa preces, et verba venefica dicit:
Ignotosque Deos ignoto carmine adorat,
Quo ſolet et niueae vultum confundere Lunae,
Et patrio capiti bibulas ſubtexere nubes.
Tunc quoque cantato denſetur carmine coelum,
Et nebulas exhalat humus: caecisque vagantur
Limitibus comites, et abeſt cuſtodia regi.
Nacta locum tempusque, Per o tua lumina, dixit,
Quae mea ceperunt, perque hanc, pulcherrime, formam,

360 Burm. monet, ſi quem τὸ *videri* offendat, ilium *videtur* legere poſſe Gronoviani et duorum aliorum Mſſ. auctoritate. Heinſ. pro *iuſſit* arridebat *fecit*. Vnus Medic. *et horrendum*. Inde coni. Burm. *Iuſſit. In horrendum trabibus nemus ire videtur*. 363 Vulg. *ſpumantia terga*. 365 Vulg. *verba precantia*. 367 Vnus Heinſ. *fuſſundere*. Cod. Menard. et 4 alii, *deducere*, quod etiam verbum magicum. 371 Vulg. *regis*. Vrbinas, *Vt abeſt*, quod placet Burm. ſi tollas diſtinctionem poſt *regi* et ponas poſt *comites*.

360 Poſt *denſum trab. nemus* redundant illa, *Plurima qua ſilua*, neque tamen licebat Scheppero recidere hanc ingenii luxuriem. *praedae vmbra*, ſilua vmbroſa, in qua latebat aper. Niſi putes, effigiem potius falſi apri intelligi. *fumantia terga*, vt Virg G. II, 542. *equum fumantia ſoluere colla*. — *alta ſilua*, in qua altae arbores.

365 *verba venefica* vt alibi, *verba precantia*, *excuſantia* etc. *ignoti Dii*, nempe magarum. *ignotum* carmen, arcanum. *quo ſolet — nubes*. v. ad IV, 332. et cf. VII, 207. ſqq. *confundere*, perturbare. *Patrio capiti*, Soli, patri Circes. *ſubtexere nubes* ad exemplum Lucret. VI, 481. *caerula ſubtexere nimbis*, et Virg. Aen. III, 582. *coelum ſubtexere fumo*. *Bibula* alibi quae bibunt, hauriunt aquas, h. l. plenae aquarum.

369 *Denſetur*, nubibus obducitur. *Denſere*, forma poëtic. qua Lucret. Virg. Horat. vſi ſunt pro *denſare*. *Caecis*, tenebricoſis et ignotis. *locum*, nempe opportunum.

Quae facit, vt ſupplex tibi ſim, Dea, conſule noſtris
Ignibus, et ſocerum, qui peruidet omnia, Solem
Accipe, nec durus Titanida deſpice Circen.
Dixerat. Ille ferox ipſamque, precesque repellit:
Et, Quaecumque es, ait, non ſum tuus: altera captum
Me tenet, et teneat per longum, comprecor, aeuum:
Nec Venere externa ſocialia foedera laedam,
Dum mihi lanigenam ſeruabunt fata Canentem.
Saepe retentatis precibus Titania fruſtra,
Non impune feres, neque enim reddere Canenti:
Laeſaque quid faciat, quid amans, quid femina, diſces
Rebus, ait: ſed amans, et laeſa, et femina Circe.
Tum bis ad occaſum, bis ſe conuertit ad ortum:
Ter iuuenem baculo tetigit: tria carmina dixit,
Ille fugit, ſeſe ſolito velocius ipſe

375 Vulg *praeuidet*. 376 Heinſ. pro *deſpice* malebat *reſpice*. 379 Heinſ. malebat, *Dii, precor*. 380 Quinque, *foedera rumpam*. 386 *Ortus*, quod expulit Heinſ. quia multi ex optimis *Orium* habebant, reuocauit Mitſcherl.

380 *ſocialia foedera* aut *pacta* de coniugio, vt Heroid IV, 17. Saepe *foedera thalami, lecti*, quibus *ſociantur* coniux.

385 Nota gradationem, quae eſt in *amans* etc. Etiam *Circe* cum vi, potens illa venefica. Sequentia breuius expreſſit Virg. VII, 190. *Quem — Aurea percuſſam virga, verſumque venenis Fecit auem Circe, ſparſitque colo ribus alas*. Sed Noſter haec ſuo more ludens per partes expreſſit.

388 *Velocius* etc. vt Actaeon in ceruum tranſiens III, 199 *Accedebat* pr. auibus in ſiluis, hinc poëtae licet dicere, *ſiluis*. Mox recte Burm. diſplicebant *fera robora*. Nam quamuis ſiluae et montes interdum *feri* dicantur, non tamen apparet, cur h. l. poëta *robora* eodem epitheto inſignierit. Qui nil molitur inepte, is etiam in talibus diligens eſt. Sed nec Heinſ. emendat. placet, *duro fera robore roſtra Fregit*. *Durities* roſtri pici nota eſt. Acumine eius cuneato foramina facit in arboribus, ut vel infecta ſub cortice latentia protrahat, vel nidum ſtruat. Hanc quoque eius naturam e fab. poeta repetit. Plura ſunt picorum genera, ſed nullum eos colores refert, quos hic commemorat. Pennae plurimae nigrae ſunt; niſi quod in capite ceruiceue pileo coccineo aut macula rubra diſtinctae ſunt. Picus maior in Italia frequens etiam ſub cauda aliquid roboris habet. Itaque Noſtrum luſiſſe putes, cum etiam nigra interdum *purpurea* dicantur, vt *mare purpureum*, ἁλς πορφυρέσσα. Iam ordo verborum, *Aurum, quod fibula fuerat, et veſtem m.* De *mordere* v. ad VIII, 318. de *praecingere* ad I, 699.

Currere miratus, pennas in corpore vidit:
Seque nouam subito Latiis accedere siluis
Indignatus auem, duro fera robora rostro
Figit, et iratus longis dat vulnera ramis.
Purpureum chlamydis pennae traxere colorem.
Fibula quod fuerat, vestemque momorderat aurum,
Pluma fit: et fuluo ceruix praecingitur auro.
Nec quidquam antiqui Pico, nisi nomina, restat.
Interea comites clamato saepe per agros
Nequicquam Pico, nullaque in parte reperto,
Inueniunt Circen, (nam iam tenuauerat auras,
Passaque erat nebulas ventis ac Sole resolui)
Criminibusque premunt veris, regemque reposcunt,
Vimque ferunt; saeuisque parant incessere telis.
Illa nocens spargit virus, succosque veneni:
Et Noctem Noctisque Deos Ereboque, Chaoque
Conuocat, et longis Hecaten vlulatibus orat.
Exsiluere loco, dictu mirabile, siluae;
Ingemuitque solum, vicinaque palluit arbos:

389 Vnus Leid. *rodit*, quod eleganter respondere sequentibus *indignatus* et *iratus* putat Burm. 391 Multi, *diro*, i. infesto. 396 Vulg. *antiquum*. Multi, *antiquo*. Florent. *antiqui*, quod placuit Heins. qui et e pluribus *restat* recepit pro *restant*, quod defendi posse Burm. docet. 404 Editt. nonnullae, *Ereboque Chaonque*. 405 Gron. pr. *Congemit*. Leid. *euocat*. Mox plurimi, *magnis*, vnde Heins. *magicis*.

397 sqq. Mutatio comitum et coniugis. *Tenuauerat*, remotis densis nubibus. v. vs. 369. *resolvi*, dissipari. Elegantius Burm. videbatur *recludi*, quod habent nouem Mss. Equidem putem, *recludi* rectius dici coelum nubibus obductum. *Criminibus premunt*, vrguent criminando. *Premere* sic absolute ap. Cic. Diu. II, 20.

404 Lectionem *Ereboque Chaoque* tuetur etiam Priscian. VI. p. 720. qui exponit, ab Erebo et a Chao. E Chao Erebus et Nox nati. Hesiod. Theog. 123. Erebi et Noctis nati nominantur a Cic. N. D. III, 17. Dolor, Metus, Inuidentia, Mors, Tenebrae, Miseria, Querela, Fraus etc. *Longi vlulatus* etiam III, 706. Ad *Hecaten* et quae sequuntur cf. VII, 194 — 206. et quae ibi notauimus.

407 *Vicina arbos* pro, vicinae arbores. Non igitur erat, cur Glarean. amplius quaerendum existimaret, quae illa vicina fuerit arbor. *pabula*, gramina, vt vs. 43. *Squalere*, tecta, plena erat serpentibus; nihil alind. V. ad I, 374. *Tenues animae* saepe ap. poëtas vmbrae et imagines inferorum. Et bene *volitare* de earum leuitate.

Sparsaque sanguineis maduerunt pabula guttis:
Et lapides visi mugitus edere raucos;
Et latrare canes, et humus serpentibus atris
Squalere, et tenues animae volitare videntur.
Attonitum monstris vulgus pauet. Illa pauentum
Ora venenata tetigit mirantia virga:
Cuius ab attactu variarum monstra ferarum
In iuuenes veniunt: nulli sua mansit imago.
Presserat occiduus Tartessia litora Phoebus,
Et frustra coniux oculis animoque Canentis
Exspectatus erat. Famuli populusque per omnes
Discurrunt siluas, atque obuia lumina portant.
Nec satis est Nymphae flere, et lacerare capillos,
Et dare plangorem; facit haec tamen omnia: sese
Proripit, ac Latios errat vesana per agros.
Sex illam noctes, totidem redeuntia Solis
Lumina viderunt, inopem somnique cibique,
Per iuga, per valles, qua fors ducebat, euntem.
Vltimus adspexit fessam luctuque viaque
Thybris, et in gelida ponentem corpora ripa.
Illic cum lacrimis ipso modulata dolore,

408 Vulg. *rubuerunt pabula*. 411 Permulti, *volitare silentum*, quod arridet Heins. Sed Burm. improbat, quia vers. seq. exit in *pauentum*, et ita rhythmum faceret. Rhythmus tamen est etiam II, 398. Recepit illud Mitscherl. 412 Heins. correxerat, *moustri*. 416 Pro *presserat* multi, *sparserat*. Heins. coni. *raserat*. 422 Vulg. *latos*.

415 *In iuuenes*, comites Pici, *veniunt*, eos superueniunt, comites in ea monstra mutantur. *Imago*, forma.

416 *Premit* Sol loca ea, ad quae accedit. v. ad IX, 286. *Tartessia*, Hispanica, occidentalia. *Tartessus*, vrbs Hispaniae inter duo Baetis ostia, v. Bochart Geogr. S. lib. I. cap. 34. Sed cum Mss. h. l. varient, Heins. eorum ductu suadet vel *Tarpessia* vel *Carteia*, quo vtroque nomine Tartessus nonnullis dicta, aut denique *Carpesia*, quia *Carpesii* etiam Hispaniae populi apud Liuium XXVI, 26. *Oculi. animi. exspectare* dictum, vt *oculis animoque quaerere* alibi. *Lumina*, faces.

422 Cf. V, 440 sqq. X, 73.

428 In verbis *ipso modulata dolore* non erat cur haererent Heins. et Burm. Cantu excellens vxor nunc quoque *modulatam* edebat querelam; dolor enim dabat modos. *exsequialia*, funebria, nouum voc. De cantu *cygnorum* v. ad II, 253. *Olim*, fere, in similitudinibus ponitur.

Verba, ſono tenui moerens, fundebat; vt olim
Carmina iam moriens canit exſequialia cygnus.
Luctibus extremum tenues liquefacta medullas
Tabuit; inque leues paullatim euanuit auras.
Fama tamen ſignata loco eſt; quem rite Canentem
Nomine de Nymphae veteres dixere Camenae.
Talia multa mihi longum narrata per annum
Viſaque ſunt. Reſides, et deſuetudine tardi
Rurſus inire fretum, rurſus dare vela iubemur:
Ancipitesque vias, et iter Titania vaſtum
Dixerat, et ſaeui reſtare pericula ponti.
Pertimui, fateor, nactusque hoc litus adhaeſi.
Diomedis ſocii. Finierat Macareus: vrnaque Aeneïa nutrix
Condita marmorea, tumulo breue carmen habebat:
HIC ME CAIETEN NOTAE PIETATIS ALVMNVS
ARGOLICO EREPTAM QVO DEBVIT IGNE CREMAVIT.
Soluitur herboſo religatus ab aggere funis,

420 Vnus Moreti, *modo tenui*. Paullo ante Heinſ. coni. *ſpiſſos dolores*. Burm. *ipſo modulante dolore*. 431 Florent. et duo alii *extremis*. Heinſ. malit. *Fletibus extremis* Sic VII, 380. *flendo delicuit*. V, 427. *lacrimis abſumitur*. 434 Vulg. *dixere coloni*. 435 Heinſ. metuit, ne haec interpolata ſint. 442 *Marmorea* pro *marmoreo* e duobus recepit Heinſ. *tumuli* dedit Mitſcherl.

431 *Tenues*, molles. Plurimi Mſſ *teneras*, vt et alibi. *in auras euanuit*, in auras reſoluta euanuit. *Fama ſignata eſt*, ſeruata eſt, haeſit. Nomen Canentis loco inditum ſigni inſtar fuit, quo ſeruata eſt rei ibi geſtae memoria. Similiter fere Virg. VII, 3. *oſſa nomen ſignant*. A *Camenis* antiquitus illa loca habitata. XV, 482. Erant mulieres vaticinantes, forte et vaticinia ſua verſibus compoſita edentes; poſt cum Muſis confuſae. Heynii Exc. V ad Aen. VII.

440 Vlyſſes, relicto promontorio Circaeo, cum oram Italiae legens fretum Sic. peteret, Caietam praeteriit, vbi Macareus manſit.

FAB. IV, [441 — 511. *Diomedes* Venulo auxilia imploranti narrat, ſe multa Ilio exciſo perpeſſum, tandem etiam ſocios amiſiſſe in aues mutatos. Fabula a multis varie tractata. Cf. Virg. XI, 242 ſqq. Lycophr. 592 ſqq. Auctor de Mirab. Auſcult. p. 722. Anton. Lib. cp. 37. Plin. X, 44. ſ. 61. Aelian. Hiſt. Anim. I, 1. Auguſt. de Ciu. Dei lib. XVIII. cap. 16.

441 Redit ad vſ. 157. Cf. Virg. Aen. VII, init. *Carmen*, vt II, 326. — *Notus* ſaepe in laudem. Horat. II od. 2. *Notus animi paterni*. Burm. laudat e Petron. III. *Matrona notae pudicitiae. quo debuit*, quem pietas poſtulauit. Horat. II od. 6, 23. *debita lacrima*.

Et procul inſidias, infamataeque relinquunt
Tecta Deae, lucosque petunt, vbi nubilus vmbra
In mare cum flaua prorumpit Thybris arena:
Faunigenaeque domo potitur nataque Latini,
Non ſine Marte tamen. Bellum cum gente feroci
Suſcipitur: pactaque furit pro coniuge Turnus.
Concurrit Latio Tyrrhenia tota: diuque
Ardua ſollicitis victoria quaeritur armis.
Auget vterque ſuas externo robore vires:
Et multi Rutulos, multi Troiana tuentur

448 Plurimi, *cum fulua*. verb. belli eſſe Burm. docet. 452 Duo, *occurrit*, quod et ipſum

447 Adumbrata haec e Virg. vſ. 29 ſqq. *Atque hic Aeneas ingentem ex aequore lucum Proſpicit. Hunc inter fluuio Tiberinus amoeno, Vorticibus rapidis, et multa flauus arena, In mare prorumpit.* Siluis olim illa loca obſita fuiſſe et per ſe credibile, et auctoritate Veterum conſtat. Hodie ibi ager apricus litusque arenoſum. v. Heyn. Exc. III ad Aen. VII. *nubilus vmbra*, opacus vmbra arborum. Virg. vſ. 36. *laetus fluuio ſuccedit opaco. Flauae arenae, flauus gurges* paſſim Tiberi tribuuntur, et *flauus Tiberis* perpetuum huius fluuii epitheton. v. Heinſ. — Eſcendit autem Aeneas ad orientale litus in agrum Laurentem, vt e Virg. intelligitur.

449 *Latinus, Fauni* filius. Aeneas *potitur* eius *domo*, hoſpitio ab eo excipitur, *nataque*, filiam Lauiniam vxorem ducit. Sed illa ante aduentum Aeneae *pacta* fuerat *Turno*, Rutulorum regi. Is praelatum ſibi aduenam aegre ferens bellum ſuſcipit ſimul cum Aenea Latinoque, Liu. I, 1. Dionyſ. Hal. I, 58. f. Verum ap. Virgilium Alecto, Iunone ſic volente, *furiis* ſuis implet et Lauiniam et Turnum. Ambo igitur Latinum ad bellum ſuſcipiendum exſtimulant. Cum rex cunctaretur, Iuno ipſa belli portas aperit, in eoque bello totius Latii finitimarumque ciuitatum auxilia ſibi adiungit Turnus. Etiam *Venulus* Argos mittitur ad *Diomedem*, vt eum in Turni partes adducat, Aen. VIII, 8. ſed fruſtra. Aeneas contra *Euandri* auxilium et implorat et impetrat. Copioſe haec tractata a Virg. Aen. VII et VIII. *Latio*, in Latio. Virg. vſ. 43. *Dicam — Tyrrhenamque manum, totamque ſub arma coactam Heſperiam. — Ardua*, difficilis fortitudine Troianorum et multitudine hoſtium. *victoria quaeritur*, victoriae cauſſa pugnatur, *ſollicitis armis*, ſollicite, ſtudioſe. Ea arma habent libros ſex poſteriores Aeneidis.

455 *Rutulos* adiuuabant Mezentius Etruſcorum Rex cum filio Lauſo, Auentinus Herculis filius, Catillus et Coras, Tiburtini, Camilla e Volſcorum gente, et alii. v. Virg. VII, 647 — fin. *tuentur* pro vulgari, ſequuntur, quod et h. l. vnus Mſ. habet, nec diſplicet Burm.

Caſtra. Neque Aeneas Euandri ad limina fruſtra,
At Venulus magnam profugi Diomedis ad vrbem
Venerat. Ille quidem ſub Iapyge maxima Dauno
Moenia condiderat, dotaliaque arua tenebat.
Sed Venulus Turni poſtquam mandata peregit,
Auxiliumque petit, vires Aetolius heros
Excuſat: nec ſe ſoceri committere pugnae
Velle ſui populos, nec, quos e gente ſuorum
Armet, habere viros. Neue haec commenta putetis,
Admonitu quamquam luctus renouantur amaro,

456 Vulg. *ad moenia*. Vnus Baſ. et vnus Voſſ. omittunt *ad*. Heinſ. malit *Euandria liminu*, vt *Euandrius enſis*, *mons Euandrius* etc. Et verbo *venire* ſaepenumero quamvis caſ. additur ſine praepoſitione. 457 Heinſ. malit, *Vt Venulus*. 465 Plurimi, *renoventur amari*. Mox Bonon. et Neap. *perpetiar renouare*, Ouidiana repetitione.

456 *Euander*, ex Arcadia profugus, Fauno regnante in Italiam venerat, et in Palatino monte Pallanteum oppidum condiderat. Dionyſ. Hal. I, 31. Iuſtin. 43, 1. Ab eo non benigne modo excipitur Aeneas, ſed quadringentorum etiam equitum ſubſidio adiuuatur, quibus praeerat Pallas, vnicus Euandri filius. Virg. VIII, 514 ſqq.

457 *Diomedes*, Ilio exciſo, poſt multos errores in Apuliam *profugus* veniſſe tradebatur, *Dauni* regis filia in matrimonium ducta, *dotalia arua*, partem agri dotis loco, tenuiſſe, in iisque *vrbem* condidiſſe, cui ab Argis Peloponneſi, quorum antiquum nomen Ἄργος ἵππιον, hoc ipſum nomen inpoſuerit, quod poſtea in Argyrippam contractum ſit. Strabo VI. p. 434. Ad eum igitur, cum Graecus Teucrisque inuiſus eſſet, *Venulus* orator mittitur a Turno, cui et ipſi graeca origo tribuitur. *Magna*, quia metropolis Dauniae. Mox *maxima moenia*, et Virg. XI, 226. *magna Diomedis ab vrbe*. Sed Heinſ. nec vulg. damnat, *magni Diomedis*, vt Virg. VIII, 9. *Mittitur et magni Venulus Diomedis ad vrbem*. Sed ita duo eſſent epitheta, *magni profugi*. *Iapyx* pro Iapygius etiam Virg. vſ. 247. et Horat. I od. 3. Iapygiae autem nomen etiam ad Apuliam pertinuit. *Appulus Daunus* Horat. IV od. 14, 26.

460 De hac legatione cf. Virg. XI, 226 ſqq. quem Noſter expreſſit. Diomedes *Aetolus* quidem fuit, ſed ducta Adraſti filia Aegialea in regno Argiuorum ſucceſſerat, et inde profectus erat ad Troiam. *Vires excuſat*, excuſat ſe, quod *vires*, copias auxiliares, mittere nequeat Turno.

465 ſqq. Senſus huius orationis: Satis malorum nos Graeci poſt Ilium exciſum perpeſſi ſumus. Nolo amplius cum Tencris Venerisque filio pugnare. *Admonitus* de iis, quae cum ingrato ſenſu in animum redeunt, vt IX, 324. *Perpetiar memorare*, impetrabo a me, vt memorem. Signa parentheſeos, quibus vſ. 465. incluſus erat, ſuſtuli. Ordo verborum: perpetiar memorare, quamquam luctus renouantur admi. amaro. Quia *quamquam* praepoſitum, propterea in altero membro *tamen* additum, vt ſemper apud Latinos. Rode contra etiam *perpetiar m. tamen* includebat.

466 Venuli relationem ap. Virg. habes Aen. XI, 243 ſqq. *Alta*, v. ad XIII, 197. Calamitates, quas paſſa eſt claſſis Graecorum a Troia redeuntium, Mineruae tribuunt Veteres. Homer. Od. γ, 135. Eurip. Troad. 65. Virg. XI, 259. Irritauerant autem iram Mineruae non modo Palladio erepto, ſed etiam eo, quod Aiax Oilei *Narycius*, i. Locrenſis, *virginem* Caſſandram *a virgine*, e templo Mineruae, *rapuerat*. Virg. Aen. II, 403. Ita hoc facto *poenam digeſſit in omnes*, commiſit, vt poenam ab omnibus ſumeret Minerua.

371 *Noctem*, tenebras. *Cumulumque* etc. Poſt horrendam tempeſtatem naufragium adeo facimus ad Capharea. *Caphareus* aut e dialecto Ionica *Caphereus* promontorium Euboeae, latentibus ſaxis et vorticibus infame. Virg. vſ. 259. *triſte Mineruae ſidus*, *et Euboicae cautes*, *vltorque Caphereus*.

474 E Virg. vſ. 259 *Vel Priamo miſeranda manu*. Ante eum Pacuv. *Si Priamus adeſſet*, *et ipſe eius commiſereſcerot*. — *Potuit*, *potuiſſet*.

475 *Cura Mineruae*, Minerua, vt I, 48. *cura Dei*. *ſeruatum fluctibus eripuit* pro, e fluctibus ereptum ſeruauit. A Troia Argos rediit Diomedes Homer. Od. γ, 180. Itaque cum multi Mſſ. h. l. τῷ *agris* praeferant *patriis* — *ab Argis*, quod et Heinſ. placebat, quamquam is ex aliis malebat, *patriis ab aris*, aſſentiente Burm. id recepimus. Sed inde rurſus *pellitur*, fugit, cognito vxoris adulterio, quod caute admodum hic tangit. Eius rei cauſſam tribuit *Veneri antiqui vulneris* memori, quod manui ipſius in proelio inflixerat Diomedes. Homer. Il. ε, 330. Virg. vſ. 275. *Haec adeo ex illo mihi iam ſperanda fuerunt Tempore*, *cum ferro coeleſtia corpora demens Adpetii et Veneris violaui vulnere dextram*. Ap. eundem vſ. 270. Calydona redit, ſed melius Ouid. V. ad vſ. 460. — *memores*, quia ipſa memor, vt ſaepius vidimus.

Perpetiar memorare tamen. Poſtquam alta cremata eſt
Ilion, et Danaas pauerunt Pergama flammas,
Naryciusque heros, a virgine, virgine rapta,
Quam meruit ſolus poenam digeſſit in omnes:
Spargimur, et ventis inimica per aequora rapti,
Fulmina, noctem, imbres, iram coelique, marisque
Perpetimur Danai, cumulumque Capharea cladis.
Neue morer referens triſtes ex ordine caſus;
Graecia tum potuit Priamo quoque flenda videri.
Me tamen armiferae ſeruatum cura Mineruae
Fluctibus eripuit. Patriis ſed rurſus ab Argis
Pellor: et antiquo memores de vulnere poenas

Exigit alma Venus: tantosque per alta labores
Aequora ſuſtinui, tantos terreſtribus armis,
Vt mihi felices ſint illi ſaepe vocati,
Quos communis hiems, importunusque Caphareus
Merſit aquis: vellemque horum pars vna fuiſſem.
Vltima iam paſſi comites belloque fretoque,
Deficiunt, finemque rogant erroris. At Acmon
Feruidus ingenio, tum vero et cladibus aſper,
Quid ſupereſt, quod iam patientia veſtra recuſet
Ferre, viri? dixit. Quid habet Cytherea, quod vltra
(Velle puta) faciat? nam dum peiora timentur,
Eſt in vota locus: ſors autem vbi peſſima rerum,
Sub pedibus timor eſt, ſecuraque ſumma malorum,
Audiat ipſa, licet; licet, vt facit, oderit omnes
Sub Diomede viros: odium tamen illius omnes
Spernimus, et paruo ſtat magna potentia nobis.
Talibus inuitam Venerem Pleuronius Acmon
Inſtimulat verbis, veteremque reſuſcitat iram.
Dicta placent paucis. Numeri maioris amici
Acmona corripimus: cui reſpondere paranti
Vox pariter, vocisque via eſt tenuata; comaeque

482 Vulg. *fuiſſe*. Vnus Heinſ. *vellemque chori*. 484 Alii ſcribunt, *Agmon* v. Heinſ. 489 Vulg. *Eſt locus in voto*. Tres, *fors autem*. 494 Mſſ. omnes, praeter vnum Heinſ. et pro div. leſt. Zulichem. *iratam Venerem*. Alterum recepit Heinſ. quia *iram* ſequitur. 497 Plurimi, *reſpondere volenti*.

479 *Terreſtribus armis*, cum Dauno aduerſus Meſſapios latis. Anton. Lib. 37. *communis hiems*, tempeſtas vſ. 470 ſqq. deſcripta, quae pertinebat ad omnes Graecos. Votum autem hoc commune iis, qui e calamitate quadam emerſi iam cum alia conflictantur.

484 *Deficiunt*, animos abiiciunt. *Aſper*, exacerbatus. *Acmon*, contemtor Deum, *Pleuronius*, ergo et ipſe Aetolus (VII, 382.), ap. Virg. non occurrit.

489 *In vota*, votis, precibus. *ſub pedibus*, victus eſt. *ſecura ſumma malorum*, ſecuri ſunt homines de ſummo malo, non amplius timent maius malum. Sic *ſecura vota* XII, 199.

493 Vtique e duodecim Mſſ. reuocandum, *et paruo ſtat tanta potentia nobis*, parum damni nobis affert potentia Veneris. v. ad X, 547, Recte Heinſ. Hoc vult, ſocios ſuos ſuperiores eſſe omni Veneris inſultu. Vulgo, *et magno ſtat*.

498 Virgil. vſ. 272. breuiter, *Socii amiſſi petierunt aethera pennis, Fluminibusque vagantur aues (heu dira meorum Supplicia) et ſcopulos lacrimoſis vocibus im-*

In plumas abeunt, plumis noua colla teguntur,
Pectoraque, et tergum: maiores brachia pennas
Accipiunt, cubitique leues ſinuantur in alas.
Magna pedum digitos pars occupat: oraque cornu
Indurata rigent, finemque in acumine ponunt.
Hunc Lycus, hunc Idas, et cum Rethenore Nycteus,
Hunc mirantur Abas: et dum mirantur, eamdem
Accipiunt faciem: numerusque ex agmine maior
Subuolat, et remos plauſis circumſonat alis.
Si volucrum quae ſit ſubitarum forma requiris:
Vt non cygnorum, ſic albis proxima cygnis.
Vix equidem has ſedes, et lapygis arida Dauni
Arua gener teneo, minima cum parte meorum.
Hactenus Oenides. Venulus Calydonia regna, *Appulus paſtor.*
Peucetiosque ſinus, Meſſapiaque arua relinquit.
In quibus antra videt, quae multa nubila ſilua,

501 Omnes fere antiqui, *curuantur in alas*. Nonnulli, *tenuantur*. 505 *mirantur* habent ſec. Vatic. et Frcf. Caeteri, *mirantur*. 506 Quia modo praeceſſit *pennas accipiunt*, propterea Burm. cum tribus legerat, *traxerunt faciem*, vt I, 412. Vnus Heinſ. *aſſumit faciem*, vt XII, 1. 507 *Circumſonat* recte ex ſec. Palat. recepit Heinſ. pro, *circumuolat*. 508 Plurimi, *volucrum dubiarum*, quod refutat Heinſ. 510 Octo, *ardua Dauni*. male. v. not. 513 Pro *Peucetios*, quod Burm. reſtituit, Mſſ. fere omnes diuerſa lectionum monſtra exhibent.

plent. Cum noſtro loc. cf. II, 373. vbi et *vox tenuata*.

501 *Sinuari* exquiſite de alarum curuatura. *cornu indurata rigent*, fiunt cornea. Sed poſuit duo verba, quibus natura cornu exprimitur. *finem in acumine ponunt*, deſinunt in acumen.

509 Etiam Lycophr. d. l. has aues Diomedeas, anatibus paullo ampliores diemque piſcando in medio pelago exigentes, cum cygnis comparat, Plin. vero X, 44. fulicarum ſimiles eſſe iudicat. Referuntur hodie inter anſeres procellarios (Sturmvoegel). Verſantur iuxta inſulas Diomedeas, Apuliam contra, Plin. d. l. *Aedem* (Diomedis) *quotidie pleno gutture madentibus pennis perluunt atque purificant: vnde origo fabulae, Diomedis ſocios in earum effigies mutatos*.

510 *Arida*, Apulia et aquarum inops. Hinc *pauper aquae Daunus* Horat. III od. 30, 11.

FAB. V. vſ. 512 — 26. Appulus paſtor Nymphis maledicens, mutatur in oleaſtrum.

512 *Oenides*, Diomedes ab auo Oeneo, Aetoliae rege, cuius vrbs *Calydon*, hinc Daunia etiam, noua ſedes Diomedis, per *Calydonia regna* declaratur. Dauniis vicini *Peucetii* et *Meſſapii*; namque Iapyx, Daunus et Peucetius, Lycaonis filii, has oras occupaſſe traduntur ab Anton. Lib. 31.

Et leuibus guttis manantia, ſemicaper Pan
Nunc tenet: at quodam tenuerunt tempore Nymphae.
Appulus has illa paſtor regione fugatas
Terruit, et primo ſubita formidine mouit.
Mox, vbi mens rediit, et contemſere ſequentem,
Ad numerum motis pedibus duxere choreas.
Improbat has paſtor, ſaltuque imitatus agreſti
Addidit obſcoenis conuicia ruſtica dictis:
Nec prius obticuit, quam guttura condidit arbor.
Arbore enim ſuccoque licet cognoſcere mores.
Quippe notam linguae baccis oleaſter amaris
Exhibet: aſperitas verborum ceſſit in illas.
Naues Aeneae. Hinc vbi legati rediere, negata ferentes
Arma Aetola ſibi, Rutuli ſine viribus illis
Bella inſtructa gerunt: multumque ab vtraque cruoris
Parte datur. Fert ecce auidas in pinea Turnus

515 Cum multi habeant. *leuibus cannis*, Heinſ. legebat, *leuibus ſtagnis*. Sed Burm. merito *guttis* tuetur. 521 Heinſ. ſcribendum cenſet, *Improbus — imitatur — Addit et obſc.* 526 Plurimi, *manſit in illis.* 529 *Inſtructa* Heinſ. acriſi e ſeptem Mſſ. pro vulg. *infauſta*. Quidam *infeſta*. Vnus, *exhauſta*.

515 *Leuibus g. manantia*, in quibus *leues*, roris modo, guttae de ſaxo decidunt. V Fait. 661. *Viuo rorantia ſaxo antra*. Ita recte Burm. nam Heinſ. *leuibus ſtagnis* defendit. *nubila*. V. ad IV, 432.

517 *Fugatas terruit*, terruit, vt fugerent. *mouit*, conterruit.

520 Heinſ. ſuadet, *motis manibus*, quia vbique fere *mouere* aut *iactare manus, brachia* de ſaltatione, in qua manuum magis et brachiorum geſtus ſpectabatur, quam pedum motus. Vide nubem exemplorum ab Heinſ. ad Rem. Am 334 collectorum. At h. l. quia *ſaltu imitatus agreſti* illos motus paſtor traditur, et Mſſ omnes in *pedibus* conſpirant, id mutari nolim. Etiam *pedum* eleganter ponendorum ars fuit in ſaltationibus veterum. Horat. II od. 12, 17. *Quam nec ferre pedem dedecuit choris.*

524 *Tò enim* nunc vix locum habet. Mſſ. omnes praeter duos, *Arbor enim eſt.* Heinſ. emendat, *Arbore iam*, ſed metuo cum eodem, ne quid altioris mendi ſubſit.

FAB. VI. vſ. 527 — 65. Naves Aeneae, quibus Turnus ignes inferebat, Cybebes numine mutantur in Nymphas. Sumta fabula e Virg. Aen. IX, 107 ſqq. cf. X, 219. Additur Alcinoi navis in ſaxum mutata.

527 *Ferentes*, referentes. *Arma negata* e formula ſollemni, *arma virosque polliceri ad bellum. Inſtruit bellum* qui parat, quibus opus eſt ad bellum. Sic et *inſtruere odia, iram.*

Texta faces: ignesque timent, quibus vnda pepercit.
Iamque picem et ceras, alimentaque cetera flammae
Mulciber vrebat, perque altum ad carbaſa malum
Ibat, et incuruae fumabant tranſtra carinae:
Cum memor has pinus Idaeo vertice caeſas
Sancta Deum genetrix, tinnitibus aëra pulſi
Aeris, et inflati compleuit murmure buxi.
Perque leues domitis inuecta leonibus auras,
Irrita ſacrilega iactas iucendia dextra,
Turne, ait. Eripiam, nec me patiente cremabit
Ignis edax nemorum partes, et membra meorum.
Intonuit dicente Dea: tonitrumque ſecuti
Cum ſaliente graues ceciderunt grandine nimbi;

531 Ante Heinſ. edeb. *Tecta*. 534 Thuan. *flammabant*. Hinc Heinſ. coni. *flammabat*, aut, quia hoc inſolentius, *lambebat*, et praeterea, *tigna carinae*, quia multi habent, *igne*. 538 Gronov. *euecta*.

531 *Texta*, naues. v. ad XI, 524. *auidas faces*, quia ignis auidus, edax. *ignes timent*, iam verendum erat, ne igne perirent. Nota luſum in *ignes* et *vnda*, atque cf. Aen. IX, 71 ſqq.

532 *Picem et ceras*. v. ad XI, 524. *Ire* ſaepe de celeri et vehementi motu, vbi grauius verb. exſpectaſſes.

535 Digna res viſa Virgilio, ad quam noua Muſarum inuocatione tranſiret vſ. 77. *Ida*, mons ſacer Phrygiae Deae, (v. vſ. 541.) materia abundabat. *Idaeae naues* etiam ap. Horat. I od. 15, 1. Mater Deum Aeneae, cum claſſe indigeret, pineam ſiluam ſibi ſacram dederat, Iouem precata, ne naues inde factae vento vllo vincerentur. Iupiter promiſerat, ſe illas, vbi finem portusque Auſonios tenuerint, in aequoris Deas eſſe mutaturum. Sic Virg. qui aduentum Deae breuiter deſcribit: *ingens Viſus ab Aurora coelum transcurrere nimbus, Idaeique chori: tum vox horrenda per auras Excidit, et Troum Rutilorumque agmina complet.* Haec latius Noſter tractauit. *Pulſum aes*, cymbala, quae inter ſe concuſſa *tinnitum* dabant acutum. v. ad III, 532. vbi *aera aere repulſa*. *Buxus* contra ſ. tibia Phrygia incurua, *murmur* dabat, i. ſonum grauem. *Compleuit* ita aëra ope Corybantum, qui comitari Deam illam ſolebant. Strepitu autem tympanorum, cymbalorum et tibiarum declarari ſolebat etiam in ſacris aduentus Cybebes. De *Leonibus* Cybebes v. ad X, 704.

540 Virg. vſ. 115. *Ne trepidate meas, Teucri, defendere naves, Neue armate manus: maria ante exurere Turno, Quam ſacras dabitur pinus.*

543 *Saliens grando* exquiſite de grandine a corporibus, quibus impingitur, reſiliente, e Virg. G. I, 449. *in tectis crepitans ſalit horrida grando. Aſtraei fratres*, venti, Aſtraei et Aurorae filii. Heſiod. Theog. 378.

Aëraque, et ſubitis tumidum concurſibus aequor
Aſtraei turbant, et eunt in praelia, fratres.
E quibus alma parens vnius viribus vſa,
Stuppea praerumpit Phrygiae retinacula claſſis:
Fertque rates pronas, medioque ſub aequore mergit.
Robore mollito, lignoque in corpora verſo,
In capitum faciem puppes mutantur aduncae:
In digitos abeunt, et crura natantia, remi:
Quodque prius fuerat, latus eſt: mediisque carina
Subdita nauigiis, ſpinae mutatur in vſum.
Lina comae molles, antennae brachia fiunt.
Caerulus, vt fuerat, color eſt. Quasque ante timebant,
Illas virgineis exercent luſibus vndas
Naïdes acquoreae: durisque in montibus ortae
Molle fretum celebrant: nec eas ſua tangit origo.
Non tamen oblitae, quam multa pericula ſaeuo
Pertulerint pelago, iactatis ſaepe carinis
Suppoſuere manus, niſi ſi qua vehebat Achiuos.
Cladis adhuc Phrygiae memores, odere Pelasgos.
Neritiaeque ratis viderunt fragmina laetis

545 Vnus Heinſ. *coëunt*. Hinc Heinſius, *coëuntque*. 547 Heinſ. malit, *claſſi* 548 Vnus Heinſ. *imoque ſub aequore*, quod recepit Mitch. 552 Plurimi, *Quodque ſinus fuerat, latus eſt*, quod placet Heinſ. quia et *latera* nauium dicuntur. Maluit tamen ex Neap. recipere, *quodque prius fuerat*. 553 Viuianus ex ſuis Mſſ. profert, *ſpinae curuatur in vſum*, quod et elegantius, et nunc etiam propterea melius, quia praeceſſit *mutantur*. 557 Multi, *ſummisque in montibus*. 559 Plurimi *ſaepe* pro *ſaevo*. 563 *Neritiae* emend. Regius, cum antea *Nariciae* legeretur, i. nauis Aiacis Oilei, qui fuit Naricius. Mox vnus Bonon. *lentis vultibus*, quod non diſplicet Burm. Heinſ. e Berneg pr. Gronov. et vno Baſ. malit, etiam vſ. ſeq. *laetis videre*.

547 Virg. vſ. 117. *Et, ſua quaeque, Continuo puppes abrumpunt vincula ripis, Delphinumque modo demerſis aequora roſtris Ima petunt. Hinc virgineae (mirabile monſtrum) Reddunt ſe totidem facies pontoque feruntur.* Sed Noſter, more ſuo, ſingularum partium transformationem deſcribit, idque ſatis ingenioſe, cum nihil ſimilitudinis habeant partes navis cum corpore humano. *mediisque* etc. Noſtris *der Kiel*.

556 *Exercent luſibus vndas*, ludunt, et natant in mari. Similiter *exercere tellurem* arando. *duri* montes, quatenus opp. *molli freto*. cf. vſ. 709.

563 *Neritia*, nauis Vlyſſis a Nerito, monte Ithacae. V. ad vſ. 159. Vlyſſem benigne excepit *Alcinous*, Phaeacum rex, cumque naue ſua portari iuſſit Ithacam. Homer. Od. *ν*, 328. De eius mutatione in ſaxum Od. *ν*,

Vultibus, et laetae videre rigeſcere puppim
Cautibus Alcinöi, ſaxumque increſcere ligno.
Spes erat, in Nymphas animata claſſe marinas, *Ardea.*
Poſſe metu monſtri Rutulum deſiſtere bello.
Perſtat: habetque Deos pars vtraque, quique, Deorum
Inſtar, habent animos. Nec iam dotalia regna,
Nec ſoceri ſceptrum, nec te, Lauinia virgo,
Sed viciſſe petunt: deponendique pudore
Bella gerunt. Tandemque Venus victricia nati
Arma videt, Turnusque cadit: cadit Ardea, Turno
Soſpite, dicta potens. Quam poſtquam barbarus ignis
Abſtulit, et tepida latuerunt tecta fauilla,
Congerie e media tum primum cognita praepes

567 Vnus Med. et alius, *diſcedere bello*. 568 *quique* ex pr. Strozzae pro div. lect. dedit Heinſ. Pal. et Heinſ. *quisque*. Reliqui, *quodque*. 572 Quidam, *bella potunt*. Aroud. pro diuerſa lect. *Bella volunt*, quod arridet Heinſ. 573 Vnus Baſ. *arma iuuat*, vt VII, 482 575 Nonnulli, *trepida*. Quidam, *patuerunt*. 576 Plurimi, *e media*. Alii *in*. Quidam omittunt praepoſit.

155 ſqq. Procop. de Bello Gothorum IV. *Nauem ex alba petra, quae in Phaeacide regione apud mare viſitur, aliqui eam eſſe autumant, qua Vlyſſes Ithacam fuit aduectus.*

FAB. VII. vſ. 566 — 80. *Ardea*, vrbs Rutulorum, interfecto Turno, incendio deletur, et ex cineribus oritur Ardea auis.

566 *In Nymphas animata* breviter dictum, animata et verſa in Nymphas, vt IV, 618. *exceptas varios animauit in angues*. *Poſſe deſiſtere* pro, fore, vt deſiſtat. *monſtrum*, mira transformatio, vt ſaepe apud Noſtrum. *Deos*, ſuos Deos, i. ſibi propitios. *quique — animos*, duces fortes et acres. Laudat Heinſ. illud Mezentii, *Dextra mihi Deus*.

571 *Viciſſe* graeco more pro, victoriam. *Deponendi*, ſcil. arma, bellum. Mores bellatorum bene notati.

572 Etiam Tibul. II, 5, 46. de hoc Veneris auxilio Aeneae praeſtito, *Tandem ad Troianos diua ſuperba venit. — Turnus cadit* interfectus ab Aenea in certamine ſingulari. Virg. XII. extr.

574 In *barbarus ignis* (olim edeb. *enſis*) haeſere Intt. quia putarunt, Aeneam ſine offenſione Auguſti non potuiſſe *barbarum* dici. Iac. a Cruce igitur haec verba ad Annibalem referebat, motus verbis mendoſis Seruii ad Aen. VII, 412. At Ouid narrat, quae Aeneae temporibus acciderint. Heinſ. malebat, *Danaus ignis*, vt vſ. 467. *Danaas flammas*. Virg. Aen. II, 276. *Phrygii ignes*. Horat. I od. 13. *Achaicus ignis*. Sine cauſſa. Phryges ſaepe drr. ſine inuidia aut contemtu *barbari*, vt vſ. 163. *barbara prora*. v. ad XI, 162. Heyn. ad Tibul. II, 5, 48. intel. ſaeuum, crudelem ignem, atque etiam *barbarum Turnum* ibi interpretatur, ferocem, crudelem.

576 Ineptae huic fab. originem haud dubie dedit ſimilitudo nominis. Virg. VII, 411. *Lo-*

Subuolat, et cineres plauſis euerberat alis.
Et ſonus, et macies, et pallor, et omnia, captam
Quae deceant vrbem; nomen quoque manſit in illa
Vrbis: et ipſa ſuis deplangitur Ardea pennis.
Aeneas in Deum. Iamque Deos omnes, ipſamque Aeneïa virtus
Iunonem veteres ſinire coëgerat iras:
Cum, bene fundatis opibus creſcentis Iüli,
Tempeſtiuus erat coelo Cythereïus heros;
Ambieratque Venus Superos: colloque parentis
Circumfuſa fui, Numquam mihi, dixerat, vllo
Tempore, dure pater, nunc ſis mitiſſimus oro;
Aeneaeque meo, qui te de ſanguine noſtro
Fecit auum, quamuis paruum, des, optime, numen;
Dummodo des aliquod. Satis eſt inamabile regnum
Adſpexiſſe ſemel, Stygios ſemel iſſe per amnes.
Adſenſere Dii: nec coniux regia vultus

577 Duo, *ſubuerberat*. Thyſii, *applauſis verberat*. 579 Tres, *Quae deceant*, non improbante Burm. 582 Plurimi, *finire coërcuit*. 587 Alii *opto*, non *oro*. 589 Quidam pro *numen* habent *munus* aut *donum*.

eus Ardea quondam Diſſus auis, vbi tamen *auis* eſſe videtur maioribus. *Ardea* nomen traxiſſe videtur a ſitu in monte edito. Seruius ex Hygino de Italicis vrbibus memorat, ab augurio auis ardeae vrbem eſſe dictam. Et *potens* ſane Turni tempore fuiſſe videtur. Silius I, 293. *Magnanimis regnata viris, nunc Ardea nomen. Iactuerunt* ſub *fauilla*, abſumta fuerunt et redacta ad cineres.

577 *Euerberare* pro ſimplici verberare, vt Quinctil. Inſt. Or. II, 4. *plauſis*, motis. I, 466. *percuſſis alis*.

580 *Ardea* auis ſortem vrbis Ardeae, cuius e cineribus ipſa orta, plauſu alarum ſuarum, tamquam lugubri planctu, luget. Acumen ingenii frigidum.

FAB. VIII. vſ. 581 — 608 Aeneas mutatur Veneris beneficio in Deum. Simillimus huic eſt loc. pulcherrimus IX, 239 — 72. vbi placata Iunone Hercules mortalitatem exuit flammis, vt hic Aeneas vndis. Iuuenal. XI, 63. *Alter aquis, alter flammis ad ſidera miſſus*.

582 Virg. Aen. I, 4. *Memorem Iunonis ob iram* tantum iactatus Aeneas. Cf. omnino Aen. XII, 791 ſeqq. vbi Iupiter eam placat. *Creſcens Iulus* nondum maturus erat imperio, ſed *bene fundatae* a patre *opes* incolumes ei ſteterunt tutela Lauiniae. Liu. I, 2.

589 Aeneas inter Indigetes et Penates relatus, qui *parui Dii* vrr. *Adſpexiſſe ſemel*, cum Sibylla duce ad inferos deſcenderet. Virg. VI. *inam. regn.* IV, 486.

Immotos tenuit, placatoque adnuit ore.
Tum pater, Eſtis, ait, coeleſti munere digni:
Quaeque petis, pro quoque petis. Cape, gnata, quod optas.
Fatus erat. Gaudet, gratesque agit illa parenti:
Perque leues auras iunctis inuecta columbis
Litus adit Laurens, vbi tectus arundine ſerpit
In freta flumineis vicina Numicius vndis.
Hunc iubet Aeneae, quaecumque obnoxia morti,
Abluere, et tacito deferre ſub aequora curſu.
Corniger exſequitur Veneris mandata; ſuisque
Quidquid in Aenea fuerat mortale, repurgat,
Et reſpergit aquis. Pars optima reſtitit illi.
Luſtratum genetrix diuino corpus odore
Vnxit, et ambroſia cum dulci nectare mixta
Contigit os, fecitque Deum: quem turba Quirini
Nuncupat Indigetem; temploque arisque recepit.
Inde ſub Aſcanii ditione binominis Alba, *Pomona et Vertumnus.*

593 Medic. *pacatoque*. 594 *munere* pro *numine* cum Mitſch. dedi e multis bonis Mſſ. Approbauerat et Heinſ. 597 Pr. Gron. et 3 alii, *niueis inuecta*. Frcf. *vinctis*. 598 Vnus Heinſ. *vbi certus*. Inde Heinſ. faciebat, *ſeptus*. 601 Quidam, *laeto deferre*. 604 Heinſ. ſcribendum cenſet, *detergit aquis*, ἀρχαϊκῶς pro, *deterget*, vt paſſim poetae. 608 Nonnulli, *arisque reponit*.

599 *Numicius*, fluuius inter Laurentum et Lauinium decurrens. Ad eum Aeneas in proelio cum Etruſcis aut Rutulis periiſſe videtur; hinc ad Deos abiiſſe creditus eſt, et inde exornata fabula, quam reſpicit etiam Tibul. II, 5, 43. *Illic ſanctus eris, cum te veneranda, Numici, Vnda Deum coelo miſerit Indigetem. — deferre ſub aequora*, quo deferebantur purgamina. *tacito*, tardo propter alueum vluoſum et limoſum. vſ. 599.

602 *Corniger*, Numicius. v. ad IX, 1.

607 *Contingere* ſic etiam II, 123. v. Heinſ. ad Amorr. III, 1, 64. Impoſitum ei Iouis vel Paris Indigetis nomen, exſtructum ei ad ripas Numicii ſacellum cum luco. Liv. d. l. *Situs eſt, quemcunque eum dici ius fasque eſt, ſuper Numicium flumen, Iouem Indigetem appellant. Templum* illud ſacellum erat in luco iuxta Numicium.

FAB. IX. vſ. 609 — 771. *Pomonam* hortos vnice amantem amat *Vertumnus* in varias figuras apte tranſiens. Sumta anili forma Pomonam exemplo *Anaxaretae Iphin* ſpernentis et tandem in ſaxum conuerſae monet, vt faſtus ponat. Splendore formae capitur Nympha.

609 — 22 Cum ad tempora notiora iam accedat, praemittendam putauit nexus cauſſa ſeriem regum Albanorum. *binominis*,

Resque Latina fuit: succedit Siluius illi:
Quo satus, antiquo tenuit repetita Latinus
Nomina cum sceptro. Clarum subit Alba Latinum:
Epitos ex illo: posi hunc Capetusque, Capysque,
Sed Capys ante fuit. Regnum Tiberinus ab illis
Cepit: et in Tusci demersus fluminis vndis
Nomina fecit aquae. De quo Remulusque, feroxque
Acrota sunt geniti. Remulus maturior annis
Fulmineo periit, imitator fulminis, ictu.
Fratre suo sceptrum moderatior Acrota forti
Tradit Auentino: qui, quo regnarat, eodem
Monte iacet positus, tribuitque vocabula monti.
Iamque Palatinae summam Proca gentis habebat.
Rege sub hoc Pomona fuit: qua nulla Latinas
Inter Hamadryadas coluit sollertius hortos,
Nec fuit arborei studiosior altera foetus:
Vnde tenet nomen. Non siluas illa, nec amnes;
Rus amat, et ramos, felicia poma ferentes.

611 Coniecerat olim Heins. *tenuit recidiua* vt IV Fast. 45. *recidiua vocabula.* 612 *clarum subit Alba Latinum.* Ita recte ex pr. Moreti dedit Heins. Ante eum, *Clarus subit Alba Latino.* Multi, *Clarius.* Alii *subit ecce.* 617 Vnus Voss. *maturior aeuis.* Heins. putabat, *aeui.*

quia idem et Iulus dictus. v. Liv. I, 3. Post *Siluium* omittit Aeneam Siluium, cuius filius fuit *Latinus* Siluius. *Repetitum nomen*, quod alius iam olim habuit. Is vr. *clarus*, quia illustrior eius fama apud posteros, quam caeterorum regum, deductis ab eo aliquot coloniis. *Epitos* etiam Fast. IV, 43. Liuio dr. Atys. *Capetusque — ante fuit.* Ingenii lusus, quem suggessit lex carminis. *Tuscum flumen*, Albula, in cuius traiectu submersus Tiberinus.

617 Secundum Liv. Tiberini filius fuit Agrippa. Post eum regnauit *Remulus* Siluius, qui fulmine ictus regnum tradidit Auentino. *Positus*, vt *situs*, de sepulto.

622 *summa gentis* de imperio bene habet. *Summa sceptri.* XIII, 162. *summa belli* ex Pont. II, 1, 46. Sed quaeritur, quo sensu *Palatina* dicta sit. Micyllus explicat, quae circa Palatium et ea loca, vbi postea Roma condita fuit, tum habitabat. Ineptum hoc iudicat Heins. qui suadet, *Palatinae — rupis*, aut *Palatini collis* s. *montis.* Verum non admodum potens rex, qui rupis summam habet. Cum Mss. fere omnes *Palatinus* habeant, id interea seruandum arbitror, donec meliora proferantur. Forte hoc cognomen adhaesit Procae.

625 *Altera*, alia. Nympha operam dans arborum culturae bene describitur. — *Ramos*, arbores. *felicia poma*, vt IX, 92.

Nec iaculo grauis est, sed aduncа dextera falce:
Qua modo luxuriem premit, et spatiantia passim
Brachia compescit: fissa modo cortice virgam
Inserit, et succos alieno praebet alumno.
Nec patitur sentire sitim: bibulaeque recuruas
Radicis fibras labentibus irrigat vndis.
Hic amor, hoc studium: Veneris quoque nulla cupido.
Vim tamen agrestum metuens, pomaria claudit
Intus: et accessus prohibet refugitque viriles.
Quid non et Satyri, saltatibus apta iuuentus,
Fecere, et pinu praecincti cornua Panes,
Siluanusque, suis semper iuuenilior annis,
Quique Deus fures vel falce, vel inguine terret,
Vt poterentur ea? sed enim superabat amando
Hos quoque Vertumnus: neque erat felicior illis.

629 Heins. ex vno Medic. placebat, *spatiantia contra*, vt IV, 80. *peruenientia contra.* 630 Alii *fisso*, ex sollemni permutat. 636 Pat. v. *tactusque viriles.* 639 Vulg. *Silenusque.* At Sileno, Bacchi comiti, nullus hic locus.

628 *Grauis*, grauata. *falx*, culter vinitorum curuus ad amputandas frondes. *Premere*, eleganter pro, resecare, amputare, etiam Virg. G. I, 157. *Luxuriem*, ramos longiores, nimis se extendentes et succis fraudantes arborem. Iidem rami *brachia spatiantia*, luxuriose excrescentia, vt IV, 364. *spatiantes alae. passim*, in omnes partes. Virg. G. II, 370. *ramos compesce fluentes.* Horat. Epod. 2, 13. *Inutiles falce ramos amputans. Luxuriare* omnino de nimiis incrementis.

630 — 33 Venuste insitionem et irrigationem describit. Cf. Virg. G. II, 73 — 82. *labentes vndae* centies ap. poëtas drr. riui. Sine causa igitur Heins. suadebat vel *lactantibus* vel *lambentibus.* Etiam Burm. coniect. *laetantibus*, i. fecundantibus, carere poteramus.

635 *Agrestum*, nempe Deorum, quales mox nominantur.

638 *pinu praecincti.* I, 699. *Siluanus* Deus agrestis et Latinus, qui semper senex in antiquis monumentis exhibetur. Sed ille *iuuenilior suis annis*, magis amoribus deditus, quam a sene exspectes. De *inguine* Priapi v. ad IX, 344.

642 Sequitur loc. classic. de *Vertumno*, quocum conf. Propert. IV, 2. Cum olim esset symbolum anni vicissitudinum, Poëtae inde fecerunt Deum, qui posset in omnes verti formas, vnde et Vertumnus dictus sit. Propert. vs. 42. *At mihi, quod formas vnus vertebar in omnes, Nomen ab euentu patria lingua dedit.* et vs. 21. *Opportuna mea est cunctis natura figuris: In quamcunque voles verte, decorus ero. Mille ornatus* varias istas figuras vocat Tibul. IV, 2, 14. Hinc pendet loc. seq.

O quoties habitu duri meſſoris ariſtas
Corbe tulit; verique fuit meſſoris imago!
Tempora ſaepe gerens foeno religata recenti,
Deſectum poterat gramen verſaſſe videri.
Saepe manu ſtimulos rigida portabat, vt illum
Iurares feſſos modo disiunxiſſe iuuencos.
Falce data frondator erat, vitisque putator.
Induerat ſcalas, lecturum poma putares.
Miles erat gladio, piſcator arundine ſumta.
Denique per multas aditum ſibi ſaepe figuras
Reperit, vt caperet ſpectatae gaudia formae.
Ille etiam picta redimitus tempora mitra,
Innitens baculo, poſitis ad tempora canis,
Adſimulauit anum, cultosque intrauit in hortos,
Pomaque mirata eſt; Tantoque potentior! inquit,
Paucaque laudatae dedit oſcula, qualia numquam
Vera dediſſet anus: glebaque incurua reſedit,
Suſpiciens pandos autumni pondere ramos.

649 Vnus Heinſ. et vnus Baſ. *falcator erat.* 650 Thyſii, *induitur*, ex vſitato Graeciſmo. 653 Quidam, *ſperatae.* 654 Duo, *vitta.* 655 Nonnulli, *per tempora.* Sed alterum etiam III, 275. 657 Multi, *Tantoque peritior.* Quidam addunt duos verſus. *Omnibus es Nymphis, quas continet Albula ripis. Salue Virginei flos illibate pudoris.* In Voſſ. *Pomaque miratur, mox ſe conuertit ad illam.* 660 Pro *pandos* multi, *patulos, grauidos, curuos.*

643 *Duri* omnes ruſtici, *meſſores* in primis, quia aeſtum facile perferunt. Laudat Burm. ex Horat. Epod. 3. *dura meſſorum ilia. imago meſſoris*, ſimilis meſſori. Propert. *Corbis in impoſito pondere meſſor eram.*

645 Propert. vſ. 25. *Da falcem, et torto frontem mihi comprime foeno: Iurabis noſtra gramina ſecta manu.* De *ſtimulis* ad II, 127.

650 *Induerat ſcalas*, incedebat capite per gradus ſcalarum inſerto.

651 Propert. vſ. 27. *Arma tuli quondam, et, memini, laudabar in illis.*

653 *Spectari* pr. drr. puellae, earumque formae.

654 *Pitta* vel acu, vel radio, et variegata.

657 *Tanto potentior* ſollemnis et elegans laudandi formula, vt, *tanto maior, tanto melior, tanto felicior.* Senec. de Tranq. An. cp. 15. *Laudemus toties dignum laudibus et dicamus: tanto fortior, tanto felicior! Potentior* pomorum copia, quibus olim maxime cenſebantur diuitiae. *qualia numquam* etc. cf. II, 431.

Vlmus erat contra ſpatioſa tumentibus vuis;
Quam ſocia poſtquam pariter cum vite probauit,
At ſi ſtaret, ait, caelebs ſine palmite truncus,
Nil praeter frondes, quare peteretur, haberet.
Haec quoque, quae iuncta vitis requieſcit in vlmo,
Si non nupta foret, terrae adclinata iaceret.
Tu tamen exemplo non tangeris arboris huius;
Concubituſque fugis, nec te coniungere curas.
Atque vtinam velles! Helene non pluribus eſſet
Sollicitata procis, nec quae Lapitheïa mouit
Proelia, nec coniux timidis audacis Vlixei.
Nunc quoque, cum fugias auerſerisque petentes,
Mille proci cupiunt, et Semideique, Deique,
Et quaecumque tenent Albanos numina montes.
Sed tu, ſi ſapies, ſi te bene iungere, anumque
Hanc audire voles, (quae te plus omnibus illis,
Plus, quam credis, amo,) vulgares reiice taedas,
Vertumnumque tori ſocium tibi delige: pro quo
Me quoque pignus habe. Neque enim ſibi notior ille eſt,
Quam mihi. Nec toto paſſim vagus errat in orbe.
Haec loca ſola colit: nec, vti pars magna procorum,

661 Olim edeb. *ſpecioſa nitentibus vuis.* 666 Plurimi, *ſi non iuncta foret*, quod damnauit Heinſ. quia *iuncta* proximo verſu praeceſſerat. *Nupta* recepit e Thuan. et pr. Bonon. Tum pr. Giron. *vincta.* 666 Tres, *terraeque accliua.* 675 Multi, *ſapias* et mox *velis.* Improbat Heinſ. quia tum etiam *reiicias* et *deligas* dicendum. 678 Alii *ſelige*, vel *dilige*, ſed vid. Burm. 681 Mſſ. fere omnes, *Haec* aut *nec loca magna.* Sed Vinian. ex ſuis *loca ſola*, quod etiam in vno ſuo repertum recepit Heinſ.

661 Commode et egregie vitium vlmis adiunctarum exemplo vtitur in commendando Pomonae coniugio. Comparari enim ſolebat illa adiunctio cum coniugio; hinc vlmi *caelibes* aut *viduae* drr. *maritari*, aut vite *dotari*, et vites *nubunt* vlmis, fiuntque earum *coniuges* aut *ſocrus*. v. Heinſ. *ſpatioſa*, patula et abundans vuis. *requieſcit*, nempe clauiculis ſuis complexa vlmum. *terrae acclinata.* Cic. Sen. 15. *ad terram fertur, niſi fulta ſit.*

670 *Helenes* procorum nomina habet Hygin. fab. 81. Idem fab. 126. de Penelopes procis. *quae Lap. mov. Proelia*, Hippodame, de qua XII, 210 ſqq. Mox olim edebatur, *timidi aut audacis.* Sed Heinſ. ex Mſ. Barberin. recepit *timidis*, h. in timidos, vt X, 544. *fortis fugacibus eſto.*

Quam modo vidit, amat. Tu primus, et vltimus illi
Ardor eris, ſolique ſuos tibi deuouet annos.
Adde, quod eſt iuuenis, quod naturale decoris
Munus habet: formasque apte ſingetur in omnes,
Et, quod erit iuſſus, (iubeas licet omnia) fiet.
Quid? quod amatis idem? quod, quae tibi poma coluntur,
Primus habet, laetaque tenet tua munera dextra?
Sed neque iam foetus deſiderat arbore demtos,
Nec, quas hortus alit, cum ſuccis mitibus herbas,
Nec quidquam, niſi te. Miſerere ardentis: et ipſum,
Qui petit, ore meo praeſentem crede precari:
Vltoresque Deos, et pectora dura peroſam
Idalien, memoremque time Rhamnuſidis iram.
Quoque magis timeas (etenim mihi multa vetuſtas
Scire dedit) tota referam notiſſima Cypro
Facta, quibus flecti facile, et miteſcere poſſis.
Viderat a veteris generoſam ſanguine Teucri
Iphis Anaxareten, humili de ſtirpe creatus.
Viderat, et totis perceperat oſſibus aeſtum.
Luctatusque diu, poſtquam ratione furorem
Vincere non potuit, ſupplex ad limina venit:

699 Duo, *humili de plebe.* 700 Vnus, *praeceperat.* Pro *aeſtum* vulg *ignes.*

683 *Deuouet*, vouet. *Iuuenis.* Ita pingi et fingi ſolebat, cinctus corona e frondibus viridibus, tenensque cornu copiae. *quod naturale* etc. quod natura eum fecit decorum.

685 Tibul. IV, 2, 14. de Vertumno, *Mille habet ornatus, mille decenter habet.*

688 Fructuum primitiae ſolebant Vertumno dari. Propert. d. l. vſ. 11. *quia vertentis fructum praecepimus anni.* et vſ. 13 *Prima mihi variat liuentibus vua racemis.*

694 *Idalie*, Venus ab Idalio, monte Cypri. Et *Idalium* quidquid Veneri ſacrum aut gratum. De *Rhamnuſide* vid. ad III, 406.

695 *Multa vetuſtas*, longa aetas. *Dedit ſcire*, vt III, 338. graeco more.

698 Hanc fab. ſub Arceophontis et Arſinoës nominibus refert Aeton. Lib. Metam. 39. Apte h. l. adhibita, quia et vim movendi et metamorphoſin habet. Reges Cypri originem ducebant a Telamonio *Teucro*, qui exciſo Ilio huc migrauit atque Salamina vrbem, (vbi haec res geſta. vid. vſ. 760.) condidit. Conditores autem vrbium gentiumue ſolent fere a poëtis *veteres*, *antiqui*, *priſci* vocari. *a ſanguine*, quoad ſanguinem.

Et modo nutrici miſerum confeſſus amorem,
Ne ſibi dura foret, per ſpes orauit alumnae:
Et modo de multis blanditus cuique miniſtris
Sollicita petiit propenſum voce fauorem.
Saepe ferenda dedit blandis ſua verba tabellis.
Interdum madidas lacrimarum rore coronas
Poſtibus intendit, poſuitque in limine duro
Molle latus, triſtique ſerae conuicia fecit.
Surdior illa freto ſurgente, cadentibus Hoedis,
Durior et ferro, quod Noricus excoquit ignis,
Et ſaxo, quod adhuc viua radice tenetur;
Spernit, et irridet, factisque inimitibus addit
Verba ſuperba ferox: et ſpe quoque fraudat amantem.
Non tulit impatiens longi tormenta doloris
Iphis, et ante fores haec verba nouiſſima dixit:
Vincis, Anaxarete: neque erunt tibi taedia tandem
Vlla ferenda mei. Laetos molire triumphos,
Et Paeana voca, nitidaque incingere lauro.

704 Heinſ. putat, *ſpes alumnas*, vt XIII, *ſpes ſocias*, 706 Permult., *perpenſum.* 710 *triſtique* pro, *triſtisque* ex vno Baſil. accepit Heinſ. 711 Olim, *Saeuior illa.* Multi, *cadentibus Auſtris* et *Euris.* 713 Olim, *viuum.* 715 Plurimi, *fallit amantem.* 718 Nonnulli, *mihi taedia.*

708 — 10 Facit haec ex ineptis moribus amantium, ſoribus excluſorum. Ii enim *coronas* de capite demtas poſtibus *intendebant* (pro vulgari, innectere, ſuſpendere. Exquiſite Virg. Aen, IV, 506. *Intendit locum ſertis.*) Lucret. IV, 1171. Propert. I, 16, 7. Non modo coronas, ſed ianuas etiam ipſas *lacrimarum rore* irrigabant. Martial. X Epigr. 13. In nuda humo aut *duro limine* (cui ſuauiter opp. *molle latus.*) iacebant. Propert. III, 13, 16. Noſter A. II, 238. Stulte etiam ianuis vel preces adhibebant vel *conuicia faciebant*, eique imbrium verbera louisque fulmina imprecabantur. Tibul. I, 2, 6 ſqq. *Triſtis ſera*, vt *ianua difficilis* ap. Tibul. d. l.

711 De hoc prouerb. *ſurdior freto* v. Heinſ. ad h. l. *ſurgens* fluctibus. *Hoedi* duae ſtellae, quas manu tenet Auriga ſupra Tauri cornua, quarum et ortus et occaſus grauiſſimas excitant tempeſtates. Theocrit. Id. 7, 53. *cadere* de occaſu ſiderum. *Ferrum Noricum* erat praeſtantiſſimum. Plin. 34, 14. Hinc *Noricus enſis* Horat. I od. 16, 9. Erat autem *Noricum* Illyrici pars. *Saxi radices* ex Lucret. II, 102. *Viua ſaxa* ſaepe, vt VII, 204.

716 *Impatiens*, qui repulſae dolorem non aequo fert animo. Sequitur κωμαχλαυσίθυρον, h. carmen flebile ante fores amatae cantatum.

720 *Dicite, Iō Paean, et, Iō,*

Vincis enim, moriorque libens; age, ferrea, gaude.
Certe aliquid laudare mei cogeris, eritque
Quo tibi ſim gratus, meritumque fatebere noſtrum.
Non tamen ante tui curam ceſſiſſe memento,
Quam vitam: geminaque ſimul mihi luce carendum.
Nec tibi Fama mei ventura eſt nuntia leti.
Ipſe ego, ne dubites, adero, praeſensque videbor,
Corpore vt exanimi crudelia lumina paſcas.
Si tamen, o Superi, mortalia fata videtis,
Eſte mei memores: nihil vltra lingua precari
Suſtinet: et longo facite vt memoremur in aeuo:
Et, quae demſiſtis vitae, date tempora famae.
Dixit: et ad poſtes, ornatos ſaepe coronis,
Humentes oculos, et pallida brachia tendens,
Cum foribus laquei religaret vincula ſummi;
Haec tibi ſerta placent, crudelis, et impia? dixit:
Inſeruitque caput: ſed tum quoque verſus ad illam:
Atque omus infelix eliſa fauce pependit.
Icta pedum motu trepidantum vt multa gementem
Viſa dediſſe ſonum eſt, adapertaque ianua factum
Prodidit; exclamant famuli: fruſtraque leuatum
(Nam pater occiderat) referunt ad limina matris.
Accipit illa ſinu, complexaque frigida nati

721 Olim, *Vincis, ait.* Heinſ. putabat, *Vincis io.* Heinſ. ſcribit, *curam fugiſſe* vel *ceſſiſſe.* 731 Heinſ. ſuadet, *facite o memoremur* vel *narremur.*

bis dicite, Paean. Ea gratulatione in triumphis et victoriis vſi ſunt, atque adeo paeanas dixere omnia epinicia. *nitida.* v. I, 552.

725 *Gemina luce*, et puella amata et vita. Male Rode: eines zwiefachen Todes ſterbe ich.

735 *Laquei vincula* pro laqueo; nam *laqueus* iam in ſe eſt ſunis in formam vinculi compoſitus, vnde haec duo X, 378 et 381. permutantur. *Summi* bene additum. Sed cum Mſſ. omnes, praeter duos, habeant *ſummis*, id fortaſſe praeferendum. Certe etiam ſupra X, 379. *Zona ſummo de poſte reuincta.*

739 *Trepidantum* ingratam quidem, ſed fidelem imaginem ſubiicit ſenſibus. Sed in ſeqq. magna eſt lectionum diſcrepantia. Cum *gementem* e Cod. ſuo notaſſet Politianus, id recepit Heinſ. Ita *multa* dictum eſt pro multum. Pro *vt multa* Mſſ. *et multa* aut *morte*, et pro *gementem* habent, *timentum*, *pauentum*. Quidam, *trepidantem et morte timentem*, aut, *et multa mouentem*. In hac tanta varietate Burm. malit, *trepidantum morte*, *gementem* etc.

Membra ſui, poſtquam miſerorum verba parentum
Edidit, et matrum miſerarum facta peregit,
Funera ducebat mediam lacrimoſa per vrbem,
Luridaque arſuro portabat membra feretro.
Forte viae vicina domus, qua flebilis ibat
Pompa, fuit: duraeque ſonus plangoris ad aures
Venit Anaxaretes, quam iam Deus vltor agebat.
Mota tamen, Videamus, ait, miſerabile funus,
Et patulis iniit tectum ſublime feneſtris.
Vix bene compoſitum lecto proſpexerat Iphin:
Deriguere oculi, calidusque e corpore ſanguis,
Inducto pallore, fugit: conataque retro
Ferre pedes, haeſit: conata auertere vultus,
Hoc quoque non potuit: paullatimque occupat artus,
Quod fuit in duro iampridem pectore, ſaxum.
Neue ea ficta putes, dominae ſub imagine lignum
Seruat adhuc Salamis: Veneris quoque nomine templum
Proſpicientis habet. Quorum memor, o mea, lentos
Pone, precor, faſtus, et amanti iungere, Nymphe.
Sic tibi nec vernum naſcentia frigus adurat

744 *Miſerorum* dedit Burm. trium Mſſ. auctoritate. Mitſch. reuocauit *miſerarum.* 754 Vulg. *Diriguere.*

746 *Ducit funus* aut *exſequias* pr. quae prima eſt in pompa funeris. Sed deinde omnino pro funere funus ponitur. *Portare* nati corpus ad rogum mater dr. etiam Heroid. XV, 115. *lacrymoſa*, lacrymis digna. *arſuro* pro, arſura membra. Etiam Tibul. I, 1, 61. *Flebis et arſuro poſitum me, Delia, lecto.*

750 *Agebat* plus eſt, quam *habebat*, quod praeferunt prior Gronov. et tres alii Mſſ. Et proprie illud adhibetur de impulſu Deorum, Furiarum, furoris etc.

753 Heinſ. qui *compoſitum* pro *impoſitum* recepit, id defendit non niſi iis locis, vbi de cineribus *compoſitis*, h. in monumentum conditis, ſermo eſt. Rectius laudaſſet IX, 503. *toroque Mortua componar*, vbi v. not. noſtram. Mitſcherl. tamen *impoſitum* praetulit. *Vix bene* II, 47.

761 *Proſpicientis* cognomen accepit a forma proſpicientis de feneſtra Anaxaretes, quae eadem ſpecie a Venere in ſaxum converſa fuit. Ita recte Micyllus.

762 *Lentos faſtus*, qui reddunt puellas *lentas*, i. difficiles. v. ad XIII, 799.

763 *Sic* eius eſt, qui, vt impetret ab altero quod petierat, cum obteſtatione ei apprecatur aliquid.

Poma, nec excutiant rapidi florentia venti.
Haec vbi nequidquam formas Deus aptus in omnes
Edidit, in iuuenem rediit, et anilia demit
Instrumenta sibi: talisque adparuit illi,
Qualis vbi oppositas nitidissima Solis imago
Euicit nubes, nullaque obstante reluxit.
Vimque parat: sed vi non est opus: inque figura
Capta Dei Nymphe est, et mutua vulnera sentit.
Romulus et Herstilia inter Deos. Proximus Ausonias iniusti miles Amuli
Rexit opes: Numitorque senex amissa nepotum
Munere regna capit: festisque Palilibus vrbis
Moenia conduntur. Tatiusque patresque Sabini
Bella gerunt: arcisque via Tarpeia recluſa
Digna animam poena congestis exuit armis.
Inde fati Curibus, tacitorum more luporum,

774 Plerique, *Parilibus* v. Vulg. *Dignam.* Permulti, *edidit* bus *eruit*, suspicatur *obruit. poenae congestis dedidit armis.* Heinſ. ad IV Fast. 721. 777 Heinſ. cum in vetustiori- Suadet etiam, *Dignae animam* 778 Quidam, *rapidorum* aut *rabidorum.*

Vrere etiam de frigore dr. Cic. Tusc. II, 17.

766 Eleganter *anilia instrumenta* vocat rugas, canos et reliqua, quibus efficiebat, vt anus esse videretur.

770 *In figura capi*, vt VI, 490. *in illa aestuat.* VIII, 50. *arsit in illa.*

FAB. X. vs. 772 — fin. *Romulus* postquam, victis Sabinis, rem Romanam fundauerat, a Marte abreptus inter Deos recipitur, idemque honor diuinus tribuitur *Herstiliae* coniugi. Ille sub *Quirini*, haec sub *Horae* nomine colitur.

772 *Miles Amuli*, Amulius ipse. Dura periphrasis. *iniusti* ob regnum fratri ereptum. *Dirus Amulius* Fast. IV, 53. *Palilia* dies festus in honorem Pales, Deae pastoritiae, quo die Roma condita (Vellei. I.), et quem ideo summa religione celebrabant Romani. Dionys. Halic. I, 88. *Arci* Romanae praeerat Sp. *Tarpeius*, cuius filia cum aquam sacris petitum extra moenia iret, corrumpi se auro passa est a *Tatio*, vt *Sabinos* in vrbem acciperet. Intromissi *congestis armis* obrutam necauere. Varie tamen illa res tradita. v. Liv. I, 2. Dionys. Hal. II, 38 — 40. *Exuit animam*, deposito corpore tamquam veste. Statius X, 943. *Exuiturque animus.*

778 *Sati* nunc sunt incolae *Curium*, vrbis primariae Sabinorum. *tacitorum*, quia praedam petuut. *Corpora* melius, quam Romanos, quia de sopore fermo. Mox Prisc. lib. II p. 584. laudat, *obice fultas*, i. firmatas, munitas. Non male. Tibul. I, 2, 6. *Clauditur et dura ianua fulta sera.* Virg. Aen. VIII, 227. *fultosque emunit obice postes.* Noster A. A. II, 244. *Atque erit appo-*

Ore premunt voces, et corpora victa sopore
Inuadunt, portasque petunt, quas obiice firma
Clauserat Iliades. Vnam tamen ipsa recludit,
Nec strepitum verso Saturnia cardine fecit.
Sola Venus portae cecidisse repagula sensit;
Et clausura fuit; nisi quod rescindere numquam
Dis licet acta Deum. Iano loca iuncta tenebant
Naïdes Ausoniae, gelido rorantia fonte:
Has rogat auxilium, nec Nymphae iusta petentem
Sustinuere Deam: venasque, et flumina fontis
Elicuere sui. Nondum tamen inuia Iani
Ora patentis erant, neque iter praecluserat vnda.
Lurida supponunt fecundo sulfura fonti,
Incenduntque cauas fumante bitumine venas.
Viribus his aliisque vapor penetrauit ad ima
Fontis; et Alpino modo quae certare rigori

779 Prisc. lib. II. p. 582. *Vt corpora — Inuadant, portasque premant, quas obice fultas.* 781 Vulg. *recluſit.* 787 Vnus Medic. *Has petit*, vt sit repetitio Ouid. familiaris.

fita ianua fulta sera. Iliades, Romulus Iliae filius, quae eadem Rhea Syluia dicta. Fast. IV, 54. v. Perizon. et Ryckii epistolas amoebeas de ea ad Aelian. V. H. To. I. p. 510 sqq.

782 *Saturnia*, Iuno veterem iram exercens etiam in Aeneae posteros.

784 *Nisi quod* etc. v. ad II, 677. *Ianus*, templum Iani, quod Romulus aedificasse creditur. Ibi aquae calidae. Varro de L. L. IV. *Lautolae a lauando: quod ibi ad Ianum geminum aquae calidae fuerint.* Inde orta fabula, de qua conf. Fast. I, 265 sqq. Macrob. Saturn. I, 9. Seruius ad Aen. I, 396.

788 *Non sustinet alterum*, qui non sustinet ei negare, quod petierat, qui non potest non satisfacere eius precibus. Cic. ad Div. XI, 13. *Cum sustinere eos non posset.* Liuius 31, 13. *Senatus queuentes eos non sustinuit.* Quod hic Nymphis tribuitur, id sibi ipsi vindicat Ianus Fast. I, 269 sqq. *Ianus patens*, templum Iani tempore belli patens. Fast. I, 279. *Vt populo reditus patent ad bella profecto, Tota patet demta ianua nostra sera.* Quamquam id demum factum inde a tempore Numae Pompilii. Male Berſman. e quibusdam praefert *parentis*, quia Ianus Pater dictus est. Lactant. Inst. IV, 3. *neque* vim explicandi habet, vt *et* saepe, nempe vnda non praecl. iter. *Lurida supponunt* etc. Caussam huius apparatus reddit Lactant. Arg. *Quae cum frigidae hostium introitum non prohiberent, ex frigidis in calidas versae, hostem auerterunt.*

794 *Alpinus rigor*, vt *Scythicum frigus*, in prouerbium abierat. Virg. Ecl. X, 47. *Alpinae niues et frigora Rheni. — gemini po-*

Audebatis aquae, non ceditis ignibus ipſis.
Flammiſera gemini fumant adſpergine poſtes,
Portaque nequidquam rigidis permiſſa Sabinis
Fonte fuit praeſtructa nouo; dum Martius arma
Indueret miles. Quae poſtquam Romulus vltro
Obtulit, et ſtrata eſt tellus Romana Sabinis
Corporibus, ſtrata eſtque ſuis: generique cruorem
Sanguine cum ſoceri permiſcuit impius enſis:
Pace tamen ſiſti bellum, nec in vltima ferro
Decertare, placet, Tatiumque accedere regno.
Occiderat Tatius, populisque aequata duobus,
Romule, iura dabas: poſita cum caſſide Mauors
Talibus adfatur Diuumque. hominumque parentem:
Tempus adeſt, genitor (quoniam fundamine magno
Res Romana valet, nec praelide pendet ab vno),
Praemia, quae promiſſa mihi dignoque nepoti,
Soluere, et ablatum terris imponere coelo.
Tu mihi concilio quondam praeſente Deorum
(Nam memoror, memorique animo pia verba notaui)

795 Coniecerat olim Heinſ. *Gaudebatis.* 796 Permulti, *flammigera.* 797 Ante Heinſ. edebatur, *promiſſa Sabinis.* 799 Quidam. *Induerat*, quod maluit et Mitſcherl. Heinſ. coni. *induitur.* 802 Thuan. et Spr. *Promiſcuit;* hinc *promiſcue.* 803 Vnus Med. *ad vltima* 804 Nouem, *excedere regno.* 805 Baſ. et duo Pal. *Deciderat* v. ad X, 10. 806 Duo, *cum cuſpide.* 807 Sec. Reg. *hominumque potentem*, quod non d ſplicet Heinſ. 810 Vulg. *iam promiſſa quae* recepit Heinſ. e quatuor Mſſ. idemque ſuadet etiam *Praemiaque.*

ſles, duae ianuae in Iani templo ſibi oppoſitae. *rigidis*, bellicoſis. Ipſe Mars *rigidus* VIII, 20.

801 Liv. I, 13. raptae patres, virosque rogant, *ne ſe ſanguine nefando ſoceri generique reſpergerent.*

805 De Romulo inter Deos relato cf. Faſt. II, 475 ſqq. *Occiderat Tatius*, interfectus Lauinii a. V. 12. Liv. I, 14. *iura dare*, imperare. I, 576. *aequata*, Sabinis, aeque ac Romanis, neutris plus fauens.

809 Faſt. d. l. *habet Romana potentia vires: Sanguinis officio non eget illa mei.*

813 To *memoror*, quod habent duo, aut cum Ennio pro reminiſcor et recordor poſitum eſſe, aut Naſonem ſcripſiſſe, *Nam refero*, h. e. memini, monet Heinſ. Prius admodum credibile eſt, quia et vſ. ſq. ex Ennio ſumtus. Itaque *memoror* praetuli τῷ *memoro*, quod librariis debetur alterum ignorantibus. *pia* in nepotem. *Vnus erit*, nempe Remo, altero filio, interfecto. v. Faſt. d. l. *caerula coeli*, coelum caeruleum.

Vnus erit, quem tu tolles in caerula coeli,
Dixiſti. Rata ſit verborum ſumma tuorum.
Adnuit Omnipotens, et nubibus aëra caecis
Occuluit, tonitruque, et fulgure terruit Vrbem.
Quae ſibi promiſſae ſenſit data ſigna rapinae,
Innixusque haſtae, preſſos temone cruento
Impauidus conſcendit equos Gradiuus, et ictu
Verberis increpuit, pronumque per aëra lapſus
Conſtitit in ſummo nemoroſi colle Palati:
Reddentemque ſuo iam regia iura Quiriti
Abſtulit Iliaden. Corpus mortale per auras
Dilapſum tenues: ceu lata plumbea funda

814 Vulg. *ad ſidera coeli.* 821 Octo, *Pronusque.* Iunian. *purumque*, vt Horat. I, 34. 823 Olim edebatur, *non regia*, idque interpretabantur ciuilia, aequalia.

Ennius, vnde hic vſ. ſumtus, *Vnus erit, quem tu tollis ad caerula coeli Templa.* Etiam ap. Lucret. I, 1089. V, 770. *caerula coeli et mundi.* — *ſumma verborum*, verba. Faſt. d. l. *Sint rata dicta Iouis.*

816 *Caecis*, obſcuris, vt *caeca nox, caeca caligo* etc. Mox Cioſan. praefert *terruit orbem* propter Faſt. d. l. *Iupiter adnuerat. Nutu tremefactus vterque Eſt polus.* At h. l. praeſtat *vrbem* propter Mſſ. auctoritatem. *Quae ſibi* etc. Mars ſentit, his ſignis concedi ſibi hoc, vt Romulum e terris *raptum* inferat coelo.

819 *Preſſos temone* pro, iunctos currui. Pro curru poſuit temonem, qui et *premit* equos et ab iis *premitur*. Ita melius puto, quam cum Gronov. in Diatrib. Stat. p. 401. emendare, *prenſos temone*, (atque ita poſtea in vno Mſ. Moreti reperit Burm.) idque dictum putare pro prenſos iugo, quia temo iugum continet. *cruento*, nempe e proeliis. *verberis*, flagelli. *increpuit*, incitauit.

823 Factum hoc eſſe, cum ad Capreae paludem exercitum luſtraret, tradunt Hiſtorici. *Iura* ibi *dediſſe* etiam Faſt. d. l. narratur. Neque h. l. ipſe in *Vulcatio* fuiſſe memoratur, ſed Mars ibi conſtitit, vt deinde e vicinia Romulum auferret. Burm. monet, *iam* coniungendum cum *ſuo*, quia poſt Tatii mortem *Quirites*, i. Sabini, in eius poteſtatem conceſſerant, et ita iam *ſui* erant, vt antea Tatii. Ita poëta partem incolarum memoraſſet pro vniuerſis. Lenzius vero ſic: reddebat iura populo ſuo, cui *iam*, interim, Quiritium nomen obuenerat. Alii legunt *tunc*. *Quiriti*. Raro hoc nomen in Singulari numero reperitur.

825 Eadem ſimilitudo etiam II, 727. Sumta e Lucret. VI, 177. *Plumbea vero glans etiam longo curſu voluenda liqueſcit.* Ita et Virg. Aen. IX, 588. et Stat. Theb. X, 528. Falſum tamen eſt, *glandes*, globulos, plumbeas in curſu *intabeſcere*, i. liqueſcere.

Miſſa ſolet medio glans intabeſcere coelo.
Pulchra ſubit facies, et puluinaribus altis
Dignior, et qualis trabeati forma Quirini.
Flebat vt amiſſum coniux, cum regia Iuno
Irin ad Herſiliam deſcendere limite curuo
Imperat, et vacuae ſua ſic mandata referre:
O et de Latia, o et de gente Sabina
Praecipuum, matrona, decus, digniſſima tanti
Ante fuiſſe viri, coniux nunc eſſe Quirini,
Siſte tuos fletus: et, ſi tibi cura videndi
Coniugis eſt, duce me lucum pete, colle Quirino
Qui viret, et templum Romani regis obumbrat.
Paret, et in terram pictos delapſa per arcus,
Herſiliam iuſſis compellat vocibus Iris.
Illa verecundo vix tollens lumina vultu,
O Dea, (namque mihi, nec quae ſis dicere promtum eſt:

826 Argent. *incandeſcere.* 830 Nonnulli, *Herſilien.* Quidam, *tramite curuo* 831 Iun. Sprot. et vnus Baſ. *viduae.* 836 Plerique, *colle Quirini.* v. Bentlei. ad Horat. I od. 2. 838 Quidam, *varios arcus*, quod fluxit ex interpret.

827 *Puluinaribus altis*, dignior, qui conuiuiis Deorum intereſſet; quod ſignum diuinitatis. V. ad VI, 173. *Puluinaria*, lecti Deorum in templo poſiti; hinc et lecti coeleſtes; Rode contra *pulvinaria* interpretatur ſacellum, vertitque; ein ſchoenes, hoher Tempel wuerdigeres Geſicht. *trabeati formam Q.* Haec lucem accipiunt ex Faſt. II, 503 ſ. *pulcher et humano maior trabeaque decorus Romulus in media viſus adeſſe via.* Nempe *trabea* priſcorum regum Roman. habitus. Plin. IX, 39. Ita *faccinctus trabea* Picus ap. Virg. VII, 188.

829 — 51 Altera metamorphoſis, Herſiliae in Horam. *Amitti* ſimpliciter drr. tamquam verbo proprio, cognati et proximi morientes. V. ad Plin. IV Ep. 2, 1. *limite curuo.* XI, 590. *arquato curuamine. vacuae*, viduae, quod ex interpret. habent Mſſ. Iunii, Sprotii et vnus Baſil. Etiam *vacua domus*, cum alter coniugum morte ablatus. Liv. I, 46.

834 *Vir* et *Quirinus* ſibi opp. quia hoc Dei notionem inuoluit. Florus I, 1. *Quirinum in coelo vocari placitum Diis.* Solebant autem conſecratis noua nomina dari, vt Leucotheae et Palaemoni IV, 541. Cf. Lactant. Firm. I, 21. *Templum* Romulo poſitum in colle Quirino. Templis et ſepulcris addi fere ſolebant *luci.*

841 *Nec (et* non) — *et* paſſim. Vt non promtum eſt — ita liquet. *Coelum accep. fateb.* mos eorum, qui felicitatis cumulum adipiſcuntur. Similiter *Deorum vitam nanciſci* et alia. Cic. Attic. II, 1. *digito ſe coelum putant attingere.* Horat. I od. 1. *ſublimi vertice ſidera ferire.* Sed Lenz.

Et liquet eſſe Deam) duc, o duc, inquit, et offer
Coniugis ora mihi: quae ſi modo poſſe videre
Fata ſemel dederint, coelum accepiſſe fatebor.
Nec mora, Romuleos cum virgine Thaumantea
Ingreditur colles. Ibi ſidus ab aethere lapſum
Decidit in terras: a cuius lumine flagrans
Herſiliae crinis cum ſidere ceſſit in auras.
Hanc manibus notis Romanae conditor vrbis
Excipit, et priſcum pariter cum corpore nomen
Mutat; Horamque vocat; quae nunc Dea iuncta
Quirino eſt.

844 Multi, *coelum adſpexiſſe.* 851 Plerique, *Horamque.* Vulg. *Oramque.*

hoc refert ad Romulum inter coelicolas receptum. Prius melius placet, quippe ſimile illi V, 356. *vitamque fatebor accepiſſe.*

849 *Notis*, quibus ſaepe eam in his terris amplexus erat. Vt Herculi conſecrato Hebe, ſic Quirino *Hora* coniux data. Ennius An. I. *Teque, Quirine pater, veneror, Horamque Quirini.* — et *Hora* eadem, quae Hebe. Nonius Marcellinus, *Hora*, *Iuuentutis Dea.* Nempe Ὥρα, iuuentus. Itaque non ſine cauſſa *Oram* mutaui in *Horam*, quod et Mſſ. meliores, Ennius, Gellius XIII, 22. Marcellinus praeferunt. Horam autem eſſe Herſiliam transformatam Ouid. vnus narrat.

P. OVIDII NASONIS METAMORPHOSEON

LIBER DECIMVS QVINTVS.

Myſcelos. QVAERITVR interea, qui tantae pondera molis
Sustineat, tantoque queat ſuccedere regi.
Deſinat imperio clarum praenuntia veri
Fama Numam. Non ille ſatis cognoſſe Sabinae
Gentis habet ritus; animo maiora capaci
Concipit, et quae ſit rerum natura requirit.
Huius amor curae, patria, Curibusque relictis,

3 Sixi cod. *imperio Latio.*

FAB I, vſ. 1 — 59. *Myſcelos*, poſtquam Herculis munere abſolutus erat a ciuibus ſuis, in Italiam proficiſcitur, ibique *Crotona* vrbem condit, quam Pythagoras ſtudiis ſuis nobilitat. Ineſt metamorphoſis *arrorum lapillorum in albos*. In narranda Crotonis origine Ouidius alios auctores ſecutus eſt, ac nos habemus.

1 *Qui* recte ab Heinſ. ex Oxon. Mſ. receptum pro, *quis*. Ita enim *quaerere* eſt circumſpicere, quod curae Romanorum multo melius conuenit, quam altero ſenſu, *Quaeritur quis*. Grauiter autem expreſſit regni curas, *qui tantae pondera* etc. quamquam tenuis adhuc tunc temporis res Romana. Similiter duces *belli molem ſuſtinere* drr.

3 *Clarum*, inclytum iuſtitia et religione, conſultiſſimum omnis diuini et humani iuris. Liv. I, 18. *Satis habet*, qui acquieſcit in aliqua re. v. Corte ad Salluſt. Iug. 31, 20. Deſcribitur ingenium excellens, quod ſapere ſtudet ſupra tardos populares. *Sab. gent. ritus*, diſciplinam ſacram et ciuilem Sabinorum, quam tetricam et triſtem vocat Liv. d. l. *capax* a vaſis amplioribus ad *animum*, ingenium, translatum. *maiora*, ſcitu digniora et grauiora. *Concipit*, ſcire ſtudet. Frequenter, ſed vario ſenſu Noſter h. v. vtitur. *Requirit*, cognoſcere cupit, *quae ſit rerum natura*, philoſophiam graecam, quae verſabatur in rerum natura explicanda.

7 *Huius curae*, huius ſtudii, vt vſ. 65. *patria Curibusque*, patria, hoc eſt Curibus. In *curae* et *Curibus* captatum eſſe ab Ouid. luſum eſſe verborum, putat Lenz. *Herculei hoſpitis vrbs*, Croton, a Crotone, qui *Herculem* quondam *hoſpitaliter* exceperat, ſic dicta, vt docent ſeqq. *penetraret*, peruenire. Erat ſane antiqua traditio, Numam Crotona eſſe profectum, ibique a Pythagora praecepta ſapientiae cognouiſſe. Sed eam grauiſſimis argumentis refellit Liv. d. l. et

Fecit, vt Herculei penetraret ad hoſpitis vrbem.
Graia quis Italicis auctor poſuiſſet in oris
Moenia quaerenti, ſic e ſenioribus vnus
Retulit indigenis, veteris non inſcius aeui:
Dines ab Oceano bubus Ioue natus Iberis
Litora felici tenuiſſe Lacinia curſu
Fertur, et, armento teneras errante per herbas,
Ipſe domum magni, nec inhoſpita tecta Crotonis
Intraſſe, et requie longum releuaſſe laborem;
Atque ita diſcedens, Aeuo, dixiſſe, nepotum
Hic locus vrbis erit: promiſſaque vera fuerunt.
Nam fuit Argolico generatus Alemone quidam
Myſcelos, illius Dis acceptiſſimus aeui.

9 Pr. Pal. Vrbin. Aroud. et alii *Italis*. Heinſ. coni. *Italiis*.
11 Leid. *non neſcius*. 18 Arond. *fuero*. Heinſ. putat, *fuiſſe*.

ſuopte ingenio temperatum Numae animum virtutibus fuiſſe opinatur magis, inſtructumque non tam peregrinis artibus, quam diſciplina Sabinorum. Cic. Tuſc. IV, 1. arbitratur, propter Pythagoreorum admirationem Numam quoque regem, Pythagoreum a poſterioribus exiſtimatum. Commode tamen in rem ſuam traditione illa vſus eſt Poëta.

9 *Graia moenia*, quia Croton pars Graeciae Magnae in ea Italiae ora, quae hodie Calabria dr. *auctor poſuiſſet*, condidiſſet. *auctor* plenitudinis cauſſa additur. Virg. Aen. V, 17. *Si mihi Iupiter auctor Spondeat*. Phaedr. prol. 1. *Aeſopus auctor quam materiam reperit. — veteris aeui*, antiquitatis, hiſtoriae antiquae.

12 *Ioue natus*, Hercules, *bubus Iberis*, Geryonis Hiſpaniae regis, *diues* (quia diuitiae illis temporibus cenſebantur numeroſis gregibus) *ab Oceano*, vbi Erythea, Geryonis inſula, veniens feliciter in illis locis appulit. *Lacinia litora*. Liv. XXIV, 3. *Sex millia aberat ab vrbe* (Crotone) *nobile templum, ipſa vrbe nobilius, Laciniae Iunonis, ſanctum omnibus. circa populis*. De promontorio *Lacinio* v. Plin. III, 10. Caeterum ſumma religione in iſtis oris Hercules colebatur, et multa eius monumenta oſtendebantur. v. Diod. Sic. IV, 20. ſ. Strabo VI. p. 281. Dionyſ. Halic. 1, 39 — 44. qui res ab eo in Italia geſtas et fabuloſe narrat, et ad fidem hiſtoricam interpretari conatur. *inhoſpita tecta* v. ad I, 218. De *Crotone* cf. vſ. 55. Apud Diodor. Sic. IV, 24. Hercules Crotoni, quem imprudens interfecerat, monumentum ponit, addito hoc ipſo, quod iam ſequitur, vaticinio, fore, vt ibi aliquando vrbs condatur et a Crotone nomen trahat. Sed Heraclide de Polit. auctore ipſe Croton vrbem illam poſuit.

18 *Hic locus vrbis erit*, hoc loco vrbs condetur. *promiſſa*, vaticinium.

20 *Myſcelos* recte reſcriptum ab Heinſ. Nam Dionyſ. Halic. Schol. Ariſtoph. ad Nub. 370. Strab. Μύσκελος aut Μύσκηλος

Hunc ſuper incumbens preſſum grauitate ſoporis
Clauiger adloquitur: Patrias, age, defere ſedes;
I, pete diuerſi lapidoſas Aeſaris vndas.
Et, niſi paruerit, multa ac metuenda minatur.
Poſt ea diſcedunt pariter ſomnusque Deusque.
Surgit Alemonides, tacitaque recentia mente
Viſa refert, pugnatque diu ſententia ſecum.
Numen abire iubet: prohibent diſcedere leges:
Poenaque mors poſita eſt patriam mutare volenti.
Candidus Oceano nitidum caput abdiderat Sol,
Et caput extulerat denſiſſima ſidereum nox:
Viſus adeſſe idem Deus eſt, eademque monere;
Et, niſi paruerit, plura et grauiora minari.

21 Vnus Med. et ſec. Ambroſ. *merſum grauitate.* 23 Ita ordinem verborum ex Pal. reſtituendum primus monuit Gruter. approbante Heinſ. Olim, *Lapidoſas Aeſaris vndas I, pete diuerſi.* 26 Oxon. pr. Baſ. pr. Moreti et alii, *recondita quenta.*

ſcribitur. Argis et ipſe habitaſſe videtur Pauſan. vero Lac. ep. 3 narrat, Polydoro regnante a Lacedaemoniis coloniam eſſe deductam Crotonem. Herodot. 8. 47. Κροτωνιῆται δὲ γένος εἰσὶ Ἀχαιοί. Ducem coloniae *Myſcelon* nominant et alii. v. Strabo VIII, p. 593. *illius aeui*, hominum illius aeui. Et membra *ſomno grauia* drr. et *ſopor* ipſe *grauis*, quia reddit membra grauia. Grauitati accommodatum eſt τὸ *preſſum. incumbens*, vt XI, 657. *Clauiger* aut *clauigerum numen* pro Hercule obuium apud poëtas. Ap. Schol. Ariſtoph. ad Nub. 370. Myſcelos oraculo iubetur vrbem condere, quo loco ipſum imber coelo ſereno deprehenderit Idem oraculum de Phalantho, Tarenti conditore, refert Pauſan. Phoc. p. 822. Videntur autem horum duarum vrbium origines confuſae eſſe a Vett. Itaque etiam Lactant. in Arg. h. fab. addit: *a proximo tumulo, cui Tares, Neptuni filius, ſubiectus erat, Tarentum nominauit.*

23 *Diuerſi*, in aliis, iisque remotis terris fluentis. II, 323. Phaethon reperitur *diuerſo in orbe. Aeſar* alias *Aeſarus*, Αἴσαρος, vr.

27 *Sententia pugnat ſecum* pro Myſcelos ſententiis ſuis pugnat ſecum, varias habet ſententias. Amant veteres hoc loquendi genus. Plane ſic Horat. I Epiſt. I, 97. *Mea cum pugnat ſententia ſecum.* Infra vſ. 648. *Diſſidet et variat ſententia.* — *diſcedere*, nempe cum colonia.

30 *Candidus* a puro nitore. *Candida Aurora* Tibul. I, 3, 94. *Lucifer albus* infra verſ. 189. Praeclare nocti *caput ſidereum*, ſtellis diſtinctum, tribuitur, idque *effert*, cum ingruit. Horat. Epod. II, 17. *decorum mitibus pomis caput Autumnus aruis extulit.* — *plura et grav.* Cf. cum hoc ſomnio id, quod de Atinio Liv. II, 36. refert.

Pertimuit, patriumque ſimul transferre parabat
In ſedes penetrale nouas; fit murmur in vrbe,
Spretarumque agitur legum reus: vtque peracta eſt
Cauſſa prior, crimenque patet ſine teſte probatum,
Squalidus ad Superos tollens reus ora manusque,
O cui ius coeli bis ſex fecere labores,
Fer precor, inquit, opem: nam tu mihi criminis auctor.
Mos erat antiquus, niueis atrisque lapillis,
His damnare reos, illis abſoluere culpae.
Nunc quoque ſic lata eſt ſententia triſtis: et omnis
Calculus immitem demittitur ater in vrnam.
Quae ſimul effudit numerandos verſa lapillos,
Omnibus e nigro color eſt mutatus in album:
Candidaque Herculeo ſententia munere facta

39 *O cui ius* emendarunt Muretus, Scaliger et Meurſ. Olim, *O cuius coelum.* Vnus Vatic. Farneſ. in marg. Arond. et 10 alii, *O tu, quem celebrem.* Oxon. et Med. *O cuius celebrem.* 41 Olim, *antiquis.* 42 *Culpae* e Thuan. et quart. Med. recepit Heinſ. Vulg. *culpa.* Multi, *culpam* aut *culpas.* 47 Plurimi, *numine.*

34 *Patrium penetrale*, penates, Deos patrios, quorum ſimulacra ſtabant in penetrali. Hinc *Dii penetrales* Cic. N. D. II, 27. Qui enim in nouas ſedes migrabant, Penates ſecum transferre ſolebant, vt et ibi patriam religionem inſtituerent. Virg. de Aenea, *dum conderet vrbem Inferretque Deos Latio.*

36 *Agitur reus*, accuſatur. Nam in iure Romano *agere lege* dicebantur, qui ex lege vel accuſabant vel petebant. *Cauſſa prior* quae ſit, non liquet. Tan. Faber male emendabat, *Cauſſa fuit.* Melius Heinſ. *Cauſſa viri.* Sine dubio *cauſſa prior* eſt prior pars cauſſae, cognitio iudicis. Poſtea ſententiae ferebantur, quae erat cauſſa poſterior. *Squalor* et *ſordes* tribuuntur reis, lugentibus, ſupplicantibus. Sed Rodii verſio, der *ſchmutzige* Beklagte, offendit.

39 Quem duodecim labores dignum probarunt, qui reciperetur inter Deos. Senec. Agam. 812. *Tuus ille bis ſeno meruit labore Allegi coelo magnus Alcides.* Formulam *ius facere* comprobat Heinſ. ex Faſt. VI, 25.

41 *Lapillis*, ψήφοις, vnde ψηφίζεσθαι. Poſtea fabae, κύαμοι, vſurpabantur. Breuiter autem locutus eſt pro, *lapillis* vti, atque *his damnare* etc. *Culpae*, vt alibi *iniuriarum aliquem abſoluere. ſententia triſtis*, ſeuera, ingrata, quae reddit reos triſtes. Similiter ap. Cic. *triſtis iudex*, et *triſtis litera*, litera damnans C. *immitis vrna*, quia ſententia immitis, dura. Sic III, 697. *crudelia necis inſtrumenta.*

47 Paullo audacius, lapilli, quibus ſententia declarabatur, candidi facti erant beneficio Herculis. *Soluit* pro compoſ. abſoluit. Lenzius coni. iudices ipſos, Alemonis ſomnio commotos, albos demiſiſſe calculos.

Soluit Alemoniden. Grates agit ille parenti
Amphitryoniadae: ventisque fauentibus aequor
Nauigat Ionium, Lacedaemoniumque Tarentum
Praeterit, et Sybarin, Salentinumque Neretum,
Thurinosque sinus, Temesenque, et Iapygis arua.
Vixque pererratis, quae spectant litora, terris,
Inuenit Aesarei fatalia fluminis ora:
Nec procul hinc tumulum, sub quo sacrata Crotonis
Ossa tegebat humus: iussaque ibi moenia terra
Condidit, et nomen tumulati traxit in vrbem.
Talia constabat certa primordia fama
Esse loci, positaeque Italis in finibus vrbis.
Vir fuit hic, ortu Samius: sed fugerat vna
Pytha-goras. Et Samon, et dominos; odioque tyrannidis exsul

58 Hunc et seq. versum suppositum esse arbitrabatur Tan. Faber.

50 More suo nominat rursus plura loca, quae ille praeterierit. *Lacedaemonium*, quo Lacedaemonii duce Phalanto coloniam deduxerant, Pausan. Phoc. p. 822. Iustin. III, 4. De reliquis v. Plin. III, 11. *Oppidum Croto, amnis Neaethus. Oppidum Thurium inter duos amnes Arathin et Sybarin, vbi fuit vrbs eodem nomine.* Deinde pluribus interiectis, *Barion ante Iapyx a Daedali filio, a quo et Iapygia. Neretum*, quod se etiam Lenzio probauit, dedimus, quia sic, aut *Neretum* scriptum duobus Maffei MSS. in Farnes. et vno Caelest. reperit Ciofan. et olim edeb. *Neraethum*. Namque *Neaethum* Regius nullam aliam ob caussam inuexit, quam quod meminerat, Strabonem hunc facere Salentinorum fluuium. Posset forsan et cum quatuor Vatice. et altero Caelest. *Veretum* scribi. Plin. III, 11 s. 16. *Salentinorum, Aletini, Neretini, Valentini, Veretini.* Ptolem. quidem et *Neretum* et *Veretrum* in mediterraneis Salentinorum ponit; sed talia Ouid. parum curavit. De *Temesa*, vrbe Bruttiorum, vidimus ad VII, 207. Sed eam praeterire non potest, qui e Graecia profectus Aesaris ostia petit. Itaque Burm. postquam *Crimisen, Cameren* aut *Temenen* reponendum suaserat, credit, Nostrum secutum esse eos, qui *Temesen* eandem vrbem fuisse putarunt, quae et Brundusium. Alii aliter.

54 *fatalia*, ab Hercule ei assignata. *Fata* enim sunt ea, quae Dii fantur. Nisi dicas, Herculem fato sic volente ita iussisse. *Humus sub tumulo tegit ossa* e sermone poëtico Rom. fluxit, e quo etiam Virg. G. IV, 457. dixit, *Tellus fundit humo victum.* v. ad XI, 603. *Sacrata* et *sancta* erant sepulcra, quia violari, moueri, deleri sine poena non poterant.

58 De Originibus Crotonis multa habet Leopard. in Emendatt. cp. 14.

FAB. II. vs. 60 — 478 *Dogmata nonnulla Pythagorica*, quae cum de mutationibus agant, ornatumque facile admittant poëticum, loc. in hoc opere habent commodum. Etiam hoc placet, quod Pythagoras ipse docens inducitur. De Pythagora, viro insigni, eius rebus, institutis, familia copiose et subtiliter disputat Meiners in der Geschichte der Wissensch. in Griechenland und Rom To. I lib. 3.

Sponte erat. Isque, licet coeli regione remotos,
Mente Deos adiit: et, quae natura negabat
Visibus humanis, oculis ea pectoris hausit.
Cumque animo, et vigili perspexerat omnia cura,
In medium discenda dabat: coetusque silentum,
Dictaque mirantum, magni primordia mundi,
Et rerum caussas, et quid natura, docebat;

62 Vulg. *remotus.* 66 Alter Strozzae, *perspecta dabat*, vt sit familiaris Ouid. repetitio. 66 Vulg. et Mitsch. *coetumque*, quod improbat Burm. propter sequens *silentum.*

60 — 72 De Pythagora ipso, eiusque philosophia vniuerse. *Hic*, Crotone, postea etiam Metaponti, vbi decessit. Cic. Fin. V, 2. Iustin. 20, 4. Reuersus a peregrinatione, qua Aegyptum lustrauerat, Persarumque, vt Veteres tradunt, magos adierat, (Cic. Fin. V, 29.) oppressam reperit patriam *tyrannide* Polycratis. Diogen. Laert. VIII, 47. Plutarch. de Placit. I, 3. Quae noua patriae forma ei displicuit, sub qua non putabat se effecturum, quae moliretur, cum contra Graeciae Magnae ciuitates eum multis caussis inuitarent. Meiners p. 392. *Dominos*, dominum, tyrannum. *Fugere* pr. de exsule, *exsul* autem etiam is, qui sponte patriam deserit. Vixit autem Pythagoras, si verius aetatem eius scire cupias, vel Seruio Tullio regnante Romae, vt vult Liuius I, 18. vel tempore Tarquinii Superbi et Bruti, secundum Cic. Tusc. I, 16. IV, 1.

63 *Mente Deos adire* alibi de precibus, h. l. de studio diuinae naturae cognoscendae. *licet coeli reg. remotos*, vt XII, 41. *quamuis regionibus abfit. Haurire* cum omnino sit percipere, et de sensibus et de animo vsurpatur; *oculis pectoris hausit*, ingenio percepit, cognovit abditas naturae vires. Etiam Cic. Tusc. I, 16. Pherecydem laudat et Pythagoram, quod primi seuocauerint mentem a sensibus, et cogitationem a consuetudine abduxerint, cum antea homines nihil animo videre possent, sed omnia ad oculos referrent.

65 *Vigili cura*, diligente et assiduo studio. *In medium discenda dare*, tradere docendo. *Coetus* de scholis philosophorum. Etiam Liv. d. l. de Pythagora, *iuuenum aemulantium studia coetus habuit.* Sed ibi *coetus* conuentus discipulorum, h. l. ipsi discipuli. Eorum *silentium* notum, quo arcana societatis custodire iubebantur. V. Meiners p. 454. *Dicta* autem eius *admirabantur* tantopere, vt ea dicerent *αὐτὸς ἔφα*, vt in disputando cum ex iis quaereretur, quare ita esset, responderent, *Ipse dixit*, vt denique ex domo eius templum facerent, ipsumque pro Deo colerent. Iustin. XX, 4. Cf. Meiners p. 448 sqq.

68 sqq. Sic et alii poëtae philosophiam circumloquuntur, v. c. Propert. III, 3, 47 sqq. Statius Silv. V, 3. Theb. VI, 125 sqq. Claudian. XVII, 100 sqq. quam-

Quid Deus; vnde niues; quae fulminis eſſet origo;
Iuppiter, an venti, diſcuſſa nube, tonarent;
Quid quateret terras; qua ſidera lege mearent;
Et quodcumque latet. Primusque animalia menſis
Arguit imponi: primus quoque talibus ora
Docta quidem ſoluit, ſed non et credita, verbis:
Parcite, mortales, dapibus temerare nefandis
Corpora. Sunt fruges, ſunt deducentia ramos
Pondere poma ſuo, tumidaeque in vitibus vuae:
Sunt herbae dulces, ſunt, quae miteſcere flamma,
Mollirique queant. Nec vobis lacteus humor
Eripitur, nec mella thymi redolentia florem.
Prodiga diuitias, alimentaque mitia tellus
Suggerit, atque epulas ſine caede et ſanguine praebet.
Carne ferae ſedant ieiunia: nec tamen omnes.

69 Barth. ex Mſſ. legit, *Quis Deus.* 73 Berneg. prim. Baſ. Iuret. Barberin. Arond. et vnus Voſſ. *arcuit imponi*, i. vetuit, idque placet Heinſ. Recepit Mitſch. 80 Vulg. *flore*. Vtrumque recte dr. ſed Heinſ. vetuſtiores Mſſ. ſecutus eſt.

quam Pythagoras in phyſica non acquieuit. Ab Horat. I od. 28, 14. vr. *non ſordidus auctor Naturae verique*, h. e. praeſtantiſſimus doctor phyſices et ethices, in quas partes diuiſa olim erat philoſophia vniuerſa. Doctrina de *Deo* pars erat phyſices, quia haec cauſſas rerum exponit, Deus autem eſt omnium rerum cauſſa aeterna.

72 — 175 A carnium eſu deterret. Eum omnem ſuis Pythagoram interdixiſſe, ſane multi veterum tradunt. Sed hoc Empedoclem potius feciſſe, ex eius fragmentis conſtat; eumque forſan Ouidius h. l. expreſſit. Abſtinentiam illam ab omni carnium vſu ſeriores Pythagoraei amplexi ſunt. V. Meiners p. 418 ſqq. Imitatus eſt h. l. e Noſtris Zachariae in Partibus diei p. 24 — 26. *Arguit*, crimini dedit, nefas eſſe docuit. Diſputationum aſſiduitate Crotoniatas ad frugalitatem reuocaſſe traditur a Iuſtin. d. l.

75 Verbis grauiſſimis ſententiam proponit. *temerare*, polluere, violare. De cibis corpori humano non deſtinatis eſt etiam ap. Silium II, 472. *nefandis*, abominandis, a natura homini non deſtinatis. *parcite*, nolite, vt ſaepe.

76 Argumentum primum a multitudine et ſuauitate frugum ductum, in quibus commendandis vtitur verbis ſuauiſſimis. *Poma* inſigni multitudine (*deducentia ramos*, vt XIII, 812. *poma grauantia ramos*. Remed. 175. *curuatos pomorum pondere ramos.*) *vuae tumore*, h. e. magna copia ſuccorum, herbae *dulcedine* nos inuitant, et ſi qua habent duram acerbamue naturam, tamen *flamma*, coquendo, miteſcere poſſunt. *Eripitur*, interdicitur.

83 Eſus carnium ſimiles reddit homines beſtiis, iisque immaniſſimis. *Ingenium*, naturalis indoles, beſtiis, arboribus, agris tribuitur. *Armenine tigres* etiam VIII, 121. et paſſim. *Armenius* autem adiectiue capiendum, vt ſolent poëtae. Tibul. III, 6, 15. et Propert. I, 9, 19. *Armenias tigres*. Am. II, 14, 35. *in Armeniis tigres latebris*.

88 Scelus eſt, corpus ſui generis alimentis nutrire, caedeque animantium viuere. Repetitio verborum *viſcera viſcera*, *corpore corpus*, *animantem animantis*, et vſ. 175. *ſanguine ſanguis* nunc non eſt merus luſus, vt putabat Schirach. ſed facit, vt vis τῆς *ſui generis* fortius ſentiatur. *Viſcera* omnino carnes. Seruius: *Quidquid ſub corio eſt, viſcera dicunt.* v. ad VI, 651. et de *condere* ad 664. XII, 17. *congeſto corpore*, congeſtis corporibus. *pingueſcere* cum inuidia dictum, ſich maeſten. *Scilicet* nunc indignantis eſt, Sententiam expreſſit Zachariae: *Welch eine Menge* etc. *vulnera mandere* durum, beſtias vulneratas et mactatas. I, 190. *vulnus recidere*, membrum vulnere morbidum. *Cyclopes* carnes adeo humanas deuorabant. Homer. Od. ι, 289. 311. Sed reſpexit h. l. Virg. Aen. III, 626 vbi de Cyclope, *Vidi atro cum membra fluentia tabo Manderet, et tepidi tremerent ſub dentibus artus.* — *Mali mores* ventris ſunt voracitas.

Quippe equus, et pecudes, armentaque gramine viuunt.
At quibus ingenium eſt immanſuetumque ferumque,
Armeniaeque tigres, iracundique leones,
Cumque lupis vrſi, dapibus cum ſanguine gaudent.
Heu quantum ſcelus eſt, in viſcera viſcera condi,
Congeſtoque auidum pingueſcere corpore corpus,
Alteriusque animantem animantis viuere leto!
Scilicet in tantis opibus, quas optima matrum
Terra parit, nil te niſi triſtia mandere ſaeuo
Vulnera dente iuuat, ritusque referre Cyclopum?
Nec, niſi perdideris alium, placare voracis,
Et male morati poteris ieiunia ventris?
At vetus illa aetas, cui fecimus Aurea nomen,
Foetibus arboreis, et, quas humus educat, herbis
Fortunata fuit, nec polluit ora cruore.

82 Vulg. *in viſcere*. Vnus Moreti et vnus Heinſ. *viſcera mergi*. Burm. malit ex Francof. *Alternisque*. 92 Ante Heinſ. e ed. *Terra creat*. 92 Gronouian. *laeto*, quod non diſplicet Burm. vt ſit oppoſitio inter *triſtia vulnera* et *laeto dente*. 94 Vnus Heinſ. *pacare*.

95 Aurei ſeculi innocentia abſtinebat ab his victibus. *Aurea nomen*, vt I, 168. *Luctea nomen habet*. v. Burm. ad V Faſt. 595. De *foetibus arboreis* ad I, 104. H. l. foetus illi merito *arborei* vrr. non *arbutei*, quia commendantur a ſuauitate. *Fortunata* grauius, quam contenta. *Tunc et aues* etc. e Virg. G. I, 139 ſqq. *Tutas*, quod plurimi habent, vt magis poëticum praetulimus τῷ *tutae*. Praetulit et Mitſch.

Aa

Tunc et aues tutas mouere per aëra pennas,
Et lepus impauidus mediis errauit in agris:
Nec ſua credulitas piſcem ſuſpenderat hamo:
Cuncta ſine inſidiis, nullamque timentia fraudem,
Plenaque pacis erant. Poſtquam non vtilis auctor
Victibus inuidit (quisquis fuit ille) virorum,
Corporeasque dapes auidam demerſit in aluum;
Fecit iter ſceleri. Primaque e caede ferarum
Incaluiſſe putem maculatum ſanguine ferrum.
Idque ſatis fuerat: noſtrumque petentia letum
Corpora miſſa neci ſalua pietate fatemur;
Sed quam danda nebi, tam non epulanda fuerunt.
Longius inde nefas abiit; et prima putatur
Hoſtia ſus meruiſſe mori, quia ſemina pando
Eruerit roſtro, ſpemque interceperit anni.

100 Quidam, vt Oxon. *intrepidus.* 104 Vulg. *ille Deorum.* 105 Octo, *demiſit.* Vnus, *condebat.* Moreti, *congeſſit.* 106 *Primaque* pro *primoque* ex vno Argent. et vno ſuo recepit Heinſ. et e tribus *putem* pro *poteſt* aut *patet.* 108 Quinque, in quibus pr. Hamb. *potentia.* Pr. Mor. *noſtroque potentia leto.* Itaque Heinſ. aut ſcribendum putabat, *noſtroque nocentia leto*, aut, *noſtrique potentia leti*, vt *potens voti* et *mentis.* 112 Probus ad Virgil. agnoſcit, *meruiſſe necem.* 113 Multi, *Eruerat* et *interceperat.*

103 Indigniſſima conſuetudo ferius irrepſit, non conſtat quo auctore. *Non vtilis* per λιτότητα, perniciosiſſimus. *Victibus inuidit*, in contemtum eos redegit, quia qui inuident aliis, detrahere de iis ſolent. Vide nos ad Plin. II Ep. 10, 2. Sed ita addi debebat, quibus victibus inuiderit. Apparet igitur, parentheſin claudendam eſſe poſt *ille:* quod nos adeo fecimus, cum caeteri poſt *virorum* claudant. Lenzius ſubint. *inuidit* ſuum honorem. *Virorum* eſt, hominum, vt ſaepe. Heinſ. tamen ſuadet, *priorum*, i. antiquorum hominum, vt infra vſ. 333. III ex Pont. 2. et alibi. Burm. mallet, *ferorum*, hoc ſenſu: Poſtquam primus ille (quisquis fuit) edendae carnis auctor, inuidit luporum et leonum victibus, quia illi carne veſcerentur, ſtimulatus inuidia, primo in caedem ferarum iuit, deinde ad eius exemplum ſaevitum contra innocua animalia. Ipſe tamen nihil mouet, quia mox *ferarum* ſequitur. *demerſit*, vt VI, 664. — Iam coniectando originem rei indicare conatur. A rebus licitis exorſi tandem, vt ſit, ad nefarias delati ſunt. *prima* pro, primum. *corpora*, animalia. *mittere neci* ortum ex formulis *demittere orco*, *ſub tartara mittere* etc. *quam — tam*, vt — ita non. *epulanda.* Ergo etiam tranſitiue dixerunt Veteres *epulari* cum caſu quarto, vt iam in Lexico Fabri notatum video ex hoc ipſo loco.

113 *ſpemque interceperit*, vt VIII, 292. *Cererem in ſpicis in-*

Vite caper morſa Bacchi mactandus ad aras,
Dicitur vltoris. Nocuit ſua culpa duobus.
Quid meruiſtis, oues, placidum pecus, inque tuendos
Natum homines, pleno quae fertis in vbere nectar?
Mollia quae nobis veſtras velamina lanas
Praebetis, vitaque magis, quam morte, iuuatis.
Quid meruere boues, animal ſine fraude dolisque,

114 Heinſ. malit, *vite roſa.* Mox ante Heinſ. edeb. *mactatus dicitur.* Multi, *mactatus ducitur.* 116 Berneg. pr. Baſ. alter Hamb. vnus Mor. vnus Pal. *inque tegendos.* 120 Vnus Leid. *dolique Innocuum.*

tercipit, vbi v. not. *Sus*, quae ſcrofa dr. in ſacris Eleuſiniis expiationis cauſſa mactabatur; quae adeo in nummis ſaepe Cereris ſacra adumbrat. V. Eckhel Doctr. Num. Vet. II, 222. Veram autem cauſſam Ouid. non tetigiſſe videtur; ſacra enim illa ex Aegypto translata, vbi ſus poſt inundationem Nili agris vtilis. Caeterum ſuem primam fuiſſe hoſtiam, monet etiam Varro de R. R. II, 4. *A ſuillo pecoris genere immolandi initium ſumtum videtur. Cuius veſtigia ſunt, quod initiis Cereris porci immolantur; et quod initiis pacis, foedus cum feritur, porcus occiditur* etc.

116 Varro R. R. II, 1, 4. *Putant oues adſumtas et propter vtilitatem et propter placiditatem.* Et *placidus* eſt epitheton proprium ouium. Terent. Ad. IV, 1, 18. *quum feruet maxime, tam placidum quam ouem reddo.* — *Tueri*, alere, ſuſtentare. drr. et homines armenta (Virg. G. II, 195) et viciſſim haec illos. In Cod. Norico adſcriptum eſt ſcholion, *tuendo, a frigore propter lanas*, idque ſequitur Burm. Rectius vero etiam ad victum referes, vt duo illa complectatur, quae iam ſeparatim nominantur. *in tuendos*, vt tueantur homines. Horat. I od. 27, 1. *Natis in vſum laetitiae ſcyphis.* Vid. ad V, 591. Mox, *natum tolerare.* Commode Heinſ. e Catal. Pithoean. adſcripſit haec, *Pythagoras populo Theſſalis quae ſuaſerit olim? Si iugulatis oues, quid erit, quod veſtiat, inquit? Horriferum contra Boream ouis arma miniſtret.*

120 Pythagoras ſuos βοῦς ἀροτῆρος ἀπέχεσθαι, a boue aratore abſtinere, nominatim iuſſerat. Legibus hoc cautum olim erat apud Athenienſes. Aelian. V. H. IV, 14. et Romani capite ſanxerant, ſi quis occidiſſet. Varro R. R. II, 5. Et damnatum eſſe quendam a populo R. eam ipſum ob cauſſam refert Plin. VIII. 45. Cauſſa vbique affertur haec, quia bos arator ſit γεωργός, *ſocius hominum in opere ruſtico*, *Cereris miniſter*, *ſocius agriculturae.* Aurea in primis aetate ſummum ſcelus habebatur, boum viſceribus veſci. Cic. N. D. II, 63. Secundum Arat. vſ. 15. aeneae aetatis homines id primi auſi erant. Noſter vero non ſolum ob vtilitatem, ſed etiam ob ſimplicem naturam boum cauſſam agit, et ita, vt facile commiſerationem faciat. *ſimplex* opp. fraudulento et doloſo. *natum tolerare lab.* ad tolerandos labores. Cic. N. D. II, 63. de bubus, quorum *ceruices natae ad iugum, tum vires hume-*

Innocuum, ſimplex, natum tolerare labores?
Immemor eſt demum, nec frugum munere dignus,
Qui potuit curui demto modo pondere aratri
Ruricolam mactare ſuum: qui trita labore
Illa, quibus toties durum renouauerat aruum,
Tot dederat meſſes, percuſſit colla ſecuri.
Nec ſatis eſt, quod tale nefas committitur: ipſos
Inſcripſere Deos ſceleri, numenque ſupernum
Caede laboriferi credunt gaudere iuuenci.
Victima labe carens, et praeſtantiſſima forma,
(Nam placuiſſe nocet) vittis praeſignis et auro,
Siſtitur ante aras, auditque ignara precantem,
Imponique ſuae videt inter cornua fronti,
Quas coluit, fruges: percuſſaque ſanguine cultros

130 *Formae* malebat Heinſ. vt IX, 451. 131 Multi, *Iam placuiſſe*. Burm. coni. *tam*, vt ſaepe alibi.

rorum et latitudines ad aratra extrahenda. Expreſſit haec quoque Zachariae, Selber den nuetzlichen Stier, der mit geduldiger Arbeit, Mit dem Seegen der Erndte den ſandichten Acker bekleidet, Hat der Landmann genommen, und ihn undankbar erwuerget. Et paullo poſt, Vnd der zappelnde Stier ſeufzt ueber den Vndank des Landmanns. *demum*, vere. Salluſt. Cat. 2. *is demum mihi viuere videtur*. v. Corte ad 12, 5. Sine cauſſa igitur et Bochart. Hieroz. lib. 2. cp. 32. coniiciebat, *Diuum*, quod etiam in vno Mſ. Baſil. repertum eſt, et Burm. *Deum. trita labore* pro, trita iugo. *Dederat* Heinſius mutandum cenſet vel cum 3 Mſſ. in *dederant*, vt *quae* ſubintelligatur, vel in *tulerat*. Sine cauſſa. Agricola boum munere et renouat agrum, et *dat*, procreat, meſſes. In plurimis autem Italiae locis tam *durum* erat arvum, vt non niſi quinta, aut nona adeo aratione, ab ingentibus bubus et fortiſſimis aratris perfringeretur. Plin. V Ep. 6, 10. Hinc taurus *ingemere aratro* Virg. dr.

128 *Inſcribere Deos ſceleri*, Deos facere vel auctores, vel ſocios ſceleris. Sic X, 199. *dextram inſcribere leto*. Tauris oblatis Iupiter maxime gaudebat. IV, 755.

130 Curabatur, etiam ſacerdote adhibito, vt victimae ſine omni labe et egregiae eſſent, τέλειαι, ἔκκριτα ἱερεῖα. Hoc quoque, vt ornatus cornibus additus, diſplicet commoto noſtro Pythagorae. *fruges*, nempe molam ſalſam. *Praeuiſos in vnda*, quia aqua in ſacris per pelues diſpoſita. Sed hoc nihil valet vel ad indignitatem rei demonſtrandam, vel ad commiſerationem faciendam. *Fibrae* pr. extorum extremitates, deinde omnino exta, h. e iecur, cor, pulmones. *mentes*, conſilia Deorum et fata. Silius I, 124. *Intrare mentes Superum*. V, 59. *Mentes Deorum explorare*.

Inficit in liquida praeuiſos forſitan vnda.
Protinus ereptas viuenti pectore fibras
Inſpiciunt, mentesque Deum ſcrutantur in illis.
Vnde fames homini vetitorum tanta ciborum?
Audetis veſci, genus o mortale? quod, oro,
Ne facite: et monitis animos aduertite noſtris:
Cumque boum dabitis caeſorum membra palato,
Mandere vos veſtros ſcite, et ſentite colonos.
Et quoniam Deus ora mouet, ſequar ora mouentem
Rite Deum; Delphosque meos, ipſumque recludam
Aethera, et auguſtae referabo oracula mentis.
Magna, nec ingeniis eueſtigata priorum,
Quaeque diu latuere, canam. Iuuat ire per alta

189 Bersm. Mſſ. *genus immortale*, quod placebat Grutero, vt ad metempſychoſin reſpiciat. 146 Plurimi, *inueſtigata*. Alterum accepit Heinſ. ex Berneg. Thuan. pr. Mor. et aliis. 147 Heinſ. putat, verſum ſublimem fore et ſonorum, ſi reſcribatur, *per ardua aſtra*, vt vltima litera τῆ *ardua* elidatur ob ſequentem vocalem.

139 *Audetis veſci* nimis praeciſe additum; quo interciditur flumen orationis. *Dare palato*, mandere; *palatum* enim, tanquam guſtus inſtrumentum, crebro commemoratur, inprimisque homines luxurioſi *palato inſeruire* drr. *colonos*. Sic etiam Plin. VIII, 45. de eo, qui bouem occiderat, *exſtitus in exſilium, tamquam colono ſuo interemto*.

143 Hic videtur ad alia progredi, ſed e vſ. 173 ſqq. apparet, haec quoque cum ſuperioribus cohaerere. E metempſychoſi novum ſumit argumentum, non eſſe mactanda animalia. Sed quia illud dogma vulgo ignotum, propterea ſe fingit vatem προφήτην, qui Deo plenus oracula fundat. Hinc etiam oratio ſe attollit. *ſequar*, obſequar, parebo. *rite*, decenter, vt in *rite colere Deos*, *rite ſacra facere*. Qui explorant atque aliis indicant conſilia Deorum, drr. *coelo mentem inſertare* Stat Theb. III, 549. *ſuperas mentes recludere*, Sil. I, 19. hinc h. l. *recludere Delphos et aethera*, item *referare oracula auguſtae mentis*, h. e. docere homines incognitas adhuc ſententias ab Apolline ſibi Diisque reuelatas. *Eueſtigare* verb. rarum pro, inveſtigare. *priores*, antiquiores homines. v. Heinſ. ad vſ. 104.

147 Mente me attollam ſupra terram. Grauiter et vere *iners ſedes*. *Palantes*, qui propter errores et cupiditates huc illuc vagantur, relicta ſalutari via. Reſpexit autem Lucret. II, 9. ſqq. de editis Sapientum templis. *Deſpicere vnde queas alios, paſſimque videre Errare, atque viam palantes quaerere vitae, Certare ingenio, contendere nobilitate* etc. idque paullo poſt tribuit *rationis*, ſapientiae, *egeſtati*. — *ſeriem*, perpetuum rerum curſum. *euolvere*, enarrare. *voluere fatorum arcana* dixit Virg. Aen. I, 262.

Aſtra; iuuat terris, et inerti ſede relictis,
Nube vehi, validique humeris inſiſtere Atlantis:
Palantesque animos paſſim ac rationis egentes
Deſpectare procul, trepidosque, obitumque timentes
Sic exhortari, ſeriemque euoluere fati.
O genus attonitum gelidae formidine mortis!
Quid Styga, quid tenebras, quid nomina vana timetis,
Materiem vatum, falſique piacula mundi?
Corpora ſiue rogus flamma, ſeu tabe vetuſtas
Abſtulerit, mala poſſe pati non vlla putetis.
Morte carent animae, ſemperque, priore relicta
Sede, nouis habitant domibus viuuntque receptae.
Ipſe ego, nam memini, Troiani tempore belli

148 Sixi, *mortali ſede*, vt ſit appoſitio, *terris*, *mortali ſede*, *relictis*. 155 *piacula* e Neap. et vno Voſſ. Mſſ. recepit Heinſ. pro, *pericula*. Paullo ante multi, *numina vana*. 159 Vnus Moret. *ſepa*, quod pro ſepto aut clauſtro capiendum eſſet. Vt ita corpus *carcer* animae vocatur. Burm. Mitſch. ordine inuerſo, *domibus habitant*.

154 *Tenebras*, Orci. *nomen* ſaepe eſt figmentum, et opp rei. Horat. I od 4. 24. *nox fabulaeque manes*. Ibi v. Lambin. *falſus mundus*, ſubterraneus, quem finxerunt et in quo deſcribendo occupati ſunt *vates*. Ibi crimina in ſuperis commiſſa *piari* credebantur debitis poenis. Exemplo ſunt Tantalus, Ixion, Tityos. Nec Pythagoraei negabant, animas impiorum poſt repetitas migrationes poenas pati atque a Furiis vexari. Meiners p. 547. *vetuſtas*, ſenectus.

158 Sequitur celebratum illud de animarum migratione dogma, quod Pythagoras, Herodoto, Diod. Sic. et aliis auctoribus, ab Aegyptiis acceptum primus Graecis tradidit. v. Scheffer. de philoſ. Ital. p. 24 et 32. Quaeritur autem, vtrum proprie illa intellecta voluerit, quo fortius a carnium eſu deterreret homines, quem in finem certe Noſter h. l. iis vtitur, an allegoria potius quadam oſtendere, ſtatum animae poſt mortem reſponſurum vitae anteactae, aut notare homines cupiditatibus indulgentes, quorum animae melius inhabitarent porcorum et luporum corpora. Sunt etiam qui putent, Pythagoram iam obſcure vidiſſe, quod recentiores philoſophi apertius docent, animam ſemper cum ſchemate quodam coniunctam eſſe futuram. — *Sedes* et *domus*, corpus. v. ad XI, 788. *recipere* de migratione animarum etiam ap. Tibul. IV, 1, 210.

160 Hoc commento vel ab ipſo Pythagora, vel a diſcipulis eius migratio animarum confirmari ſolebat. Reperitur, ſed cum aliqua varietate, etiam apud Horat. I od. 28, 10. Diog. Laërt. VIII, 4. ſ. Gellium IV, 11. Lactant. Inſt. III, 18. qui id, more ſuo, acerbe exagitat, et Schol. Apollon. ad lib. I. p. 30. *Euphorbus*, Panthi

Panthoïdes Euphorbus eram, cui pectore quondam
Sedit in aduerſo grauis haſta minoris Atridae.
Cognoui clypeum, laeuae geſtamina noſtrae,
Nuper Abanteis templo Iunonis in Argis.
Omnia mutantur: nihil interit. Errat, et illinc
Huc venit, hinc illuc, et quoslibet occupat artus
Spiritus: eque feris humana in corpora tranſit,
Inque feras noſter, nec tempore deperit vllo.
Vtque nouis facilis ſignatur cera figuris,

162 *Sedit* ex Mſ. Politiani recepit Heinſ. Vulg. *Haeſit*.

filius, Troianus fortiſſimus, (Hom. Il. π, 808. ſqq.) cuius pectus Menelaus haſta perforauit, (Il. β, 47.) clypeum autem in προναῳ templi Iunonis Argiuae ſuſpendit. Pauſan. Corinth. p. 148. Anima eius in Hermotimum, tum in Pyrrhum, tandem in Pythagoram tranſierat, qui inde et ipſe ab Horat. d. l. *Panthoides* vr. Iis autem omnibus ſingulari Mercurii munere datum erat, vt ſoli meminiſſent, qui antea fuerint. Pythagoras igitur cum quondam in templo Iunonis plura donaria ſuſpenſa videret, clypeum ex iis monſtrauit, quem, cum Euphorbus eſſet, geſtaſſet; clypeusque detractus nomen Euphorbi praetulit. Clypei enim ex more Veterum cum titulo inſcripto conſecrari ſolebant. Virg. Aen. III, 286. ſqq. *Sedere* ſollemne de haſta, telo et vulnere. v. Heinſ. *Abanteis* ab Abante, Lyncei filio, (Pauſan. Corinth. p. 145.) qui a patre inſignem clypeum, quem Danaus olim geſſerat, e templo Iunonis acceperat. Hygin. fab. 273.

165 *Omnia mutantur, nihil interit*. Hoc eſt principium, vnde et immortalitatem et migrationem animarum deriuauit. *Spiritus* pro anima non inſolens Veteribus. v. Brouckh. ad Propert. III, 16, 10. *quoslibet artus*, cuiuscunque generis corpora. Tractat hoc vberius Tibul. IV, 1, 206. *mutata figura Seu me finget equum rigidos percurrere campos Doctum; ſeu tardi pecoris ſim gloria tauri; Siue ego per liquidum volucri vehar aëra penna; Quandocunque hominem me longa receperit aetas, Inceptis de te ſubtexam carmina chartis.*

169 Defendi poteſt *fragilis*, quod Heinſ. e pr. Gronov. vno Voſſ. et vno Medic. recepit, quia eam ipſam ob cauſſam ſimulacra cerea nouam ſubinde accipiunt figuram, quia facile *franguntur*. Exquiſitius tamen et ſententiae loci conuenientius videtur, quod habent reliqui, *facilis*, quae tractari facile poteſt, vt *facile lutum* ap. Tibul. I, 1, 40. vbi etiam Heyn. monet, ſibi h. l. magis placere *facilis*. Virg. G. I, 266. *facilis ſiſcina*. III, 165. *faciles animi*. Plin. VII Ep. 9, 11. *cera mollis cedensque, ſi ſequatur digitos*. Reuocaui ergo antiquiorem lect. Et vidi, idem factum a Mitſcherl. *Signantur* ea, quibus nota imprimitur, ſed h. l. quibus noua figura induitur. Totus verſ ſeq. *Nec manet — easdem* tautologiae vitio laborat, et melius abeſſet. Omnis autem haec ſimilitudo non vrgenda nimis eſt. *Extur-*

Nec manet, vt fuerat, nec formas ſeruat easdem,
Sed tamen ipſa eadem eſt: animam ſic ſemper eamdem
Eſſe, ſed in varias doceo migrare figuras.
Ergo, ne pietas ſit victa cupidine ventris,
Parcite, vaticinor, cognatas caede nefanda
Exturbare animas: nec ſanguine ſanguis alatur.
Et quoniam magno feror aequore, plenaque ventis
Vela dedi: nihil eſt, toto quod perſtet in orbe.
Cuncta fluunt, omnisque vagans formatur imago.
Ipſa quoque adſiduo labuntur tempora motu,
Non ſecus ac flumen. Neque enim conſiſtere flumen,

170 *ſeruat.* Vnus Heinſ. *celat.* 178 Berneg. *vaga.*

bantur, qui e ſede ſua eiiciuntur.

176 Nouum dogma, cui anſam dederunt ſuperiora. A migratione animarum pergit ad mutationem omnium rerum, motumque perpetuum. Itaque exponit de tempore vſ. 179 — 185. de coeli mutationibus vſ. 186 — 198. de quatuor anni partibus vſ. 199 — 213. de hominum corporibus et aetatibus, 214 — 236. de elementis, origine et mutatione terrarum, 237 — 272. de mutationibus variorum corporum terreſtrium, 273 — 430. de incrementis futuris ciuitatis Rom. 431 — 452. Redit eo, vnde exorſus erat, ad eſum carnium, maſtationemque animalium. *Et quoniam — vela dedi*, quoniam copioſam diſputandi materiam traſtare coepi, libentiſſimeque partem eius abſconditam expoſui, pergam quo coepi. *Ventis vela dare* de oratore copioſe lateque diſputante etiam Plin. II Ep. 11, 3. vbi v. not. noſtr. *Perflet*, ſemper idem manoat absque mutatione. *fluunt*, mutantur, tranſeunt fluminis inſtar. Πεῖ τὰ πάντα, καὶ ἀδὲν μένει. Verba *omnisque — imago* facillima mihi videntur, non niſi vagantes, continuo tranſeuntes, imagines formantur. Vſ. 259. *Nil equidem durare diu ſub imagine eadem Crediderim.* Burm. tamen fatetur, ſe haec non intelligere, ideoque ſuaſet, *amnisque vagi formetur imago*, h. e. fingite vobis, auditores, omnia ritu fluminis ferri. At hoc mox ſequitur vſ. 180. Itaque et carere poteramus altera eius coniectura, quae longius etiam abit a vulgata ſcriptura, *amnisque vagi verſatur imago.*

179 *Ipſa tempora*, in quibus fiunt illae mutationes. *Labi* de celeri temporis decurſu dici, notum eſt. Plurimi tamen veteres non deterius, *voluuntur*, quod eodem ſenſu de tempore, fluminibus, ſtellis dr. Itaque multis in locis haec duo verba confuſa a librariis reperiuntur. *conſiſtere flumen.* Si quis vellet calumniari, poſſet obiicere, at conſiſtit hieme glacie conſtrictum. *lenis hora* ingenioſe, quia celeriter tranſit. *Impelli* et *vrgueri* verba delecta, quia fluctus fluctum proxime ſequitur, acriterque premit. Non minore delectu Horat. II od. 18, 15. *Truditur dies die.*

Nec leuis hora poteſt: ſed vt vnda impellitur vnda,
Vrgeturque prior veniente, vrgetque priorem:
Tempora ſic fugiunt pariter, pariterque ſequuntur,
Et noua ſunt ſemper: nam quod fuit ante, relictum eſt.
Fitque, quod haud fuerat, momentaque cuncta nouantur.
Cernis et emerſas in lucem tendere noctes,
Et iubar hoc nitidum nigrae ſuccedere nocti.
Nec color eſt idem coelo, cum laſſa quiete
Cuncta iacent media, cumque albo Lucifer exit
Clarus equo: rurſusque alius, cum praeuia luci
Tradendum Phoebo Pallantias inficit orbem.
Ipſe Dei clypeus, terra cum tollitur ima,
Mane rubet, terraque rubet, cum conditur ima;
Candidus in ſummo eſt. Melior natura quod illic
Aetheris eſt, terraeque procul contagia vitat.
Nec par, aut eadem nocturnae forma Dianae
Eſſe poteſt vmquam: ſemperque hodierna ſequente,
Si creſcit, minor eſt: maior, ſi contrahit orbem.
Quid? non in ſpecies ſuccedere quatuor annum

181 Ciofan. et Heinſ. probabant *repellitur*, quod nonnulli habent. 189 Vnus Heinſ. *cuncta tacent.* 190 Vulg. *praeuia lucis.* 199 Vulg. *in ſpecies ſecedere.*

186 Non intelligebant huius vſ. elegantiam Heinſ. et Burm. qui e Mſſ. Oxon. Arond. et viginti aliis praeferebant *emeritas*, quia *emeritus* de curſu finito, tempore exacto dici ſolet. At curſu finito non amplius *tendimus.* Imo noctes *emerſae* e mari, incipientes, non manent diu, ſed iter tantum per coelum inſtituunt, feſtinantque in eum locum, vnde mox lux oritur. Simile foret, ſi quis dicat, Homo, vbi natus eſt, tendit ad mortem. *Exit* e mari. Male Lenz. *exit* de coelo, relinquit coelum. Nota varietatem, qua in omni h. l. ortus et occaſus expreſſus. *Lucifer* equo ſolitario vehitur, quam quam ei Tibul. I, 9, 62. currum dedit, quem ſecuti ſunt alii poëtae. *albo.* v. ad vſ. 30. *media quiete*, media nocte.

192 *Dei clypeus* pro orbe Solis none dictum.

199 Seq. locus inſigni venuſtate conſpicuus de quatuor anni partibus. Venuſtas autem inde eſt, quod epitheta et attributa, tam per naturam rei, quam ex vſu loquendi hominibus et annuis terrae mutationibus communia, ad annum ipſum, tamquam ad perſonam, translata ſunt. Cf. Lucret. V, 735 — 746. Claudian. I, 268 — 274. et e Noſtris Zachariae in Partibus diei p. 10. Breuiter haec delineata habes ſu-

Adſpicis, aetatis peragentem imitamina noſtrae?
Nam tener, et lactens, puerique ſimillimus aeuo
Vere nouo eſt. Tunc herba nitens, et roboris expers
Turget, et inſolida eſt, et ſpe delectat agreſtem.
Omnia tum florent; florumque coloribus almus
Ridet ager: neque adhuc virtus in frondibus vlla eſt.
Tranſit in Aeſtatem poſt Ver, robuſtior Annus,
Fitque valens iuuenis: neque enim robuſtior aetas
Vlla, nec vberior, nec quae magis aeſtuet, vlla eſt.
Excipit Autumnus, poſito feruore iuuentae
Maturus, mitisque, inter iuuenemque ſenemque
Temperie medius, ſparſis per tempora canis,
Inde ſenilis Hiems tremulo venit horrida paſſu,

203 Vnus Medic. *et inualida eſt.* 205 Plurimi, *Ludit ager. Ridet* habuit Heinſ. ex vno Leid. et vno Voſſ. 212 Nonnulli, *horrida viſu.*

pra II, 27 — 30. et ap. Horat. IV od 7, 6. ſeqq. *Species*, viciſſitudines annuae. *annus ſuccedit in ſpecies quatuor* pro vulgari, ſpecies quatuor anni ſibi inuicem ſuccedunt. *peragentem imitamina*, ad imitationem, et hoc nihil aliud niſi ſimilitudinem declarat.

201 *Tener* et *lactens* tam infantibus, quam nouis herbis conueniunt; *lactere* enim eſt et lac ſugere et lacte plenum eſſe. *Herba*, ſeges tenera et noua, vt ſaepe ap. Virg. G. I. v. et ſupra VIII, 290. *Nitere*, vt mox *ridere* et γελᾶν, frequenter et eleganter de laeto colore, iucundaque facie frugum, florum, pratorum drr. verno in primis tempore. Hinc ſuauiter apud Plaut. Truc. II, 4. de puella, *Ver vide. Vt tota floret! Vt olet! vt nitide nitet!* v. Heinſ. *turget* lacteis humoribus. Virg. G. I, 315. *Frumenta in viridi ſtipula lactentia turguent. inſolida*, non ſolida, infirma. *ſpe delectat*, vnde ſeges ipſa *ſpes anni* toties vocatur, quemadmodum pueri *ſpes ciuitatis.*

207 *Valens*, ſcil. viribus, ergo idem quod *robuſtus*, quod et praeceſſit et ſequitur. Similiter *nec vlla eſt*, quod modo praeceſſerat, mox bis repetitur vno verſu. Defecit igitur hic Ouidium foecunditas ingenii. *vberior*, quia aeſtas plurimas fruges ſuppeditat, inuenis autem plurima negotia ſtrenue ſuſcipit. *aeſtuat* annus, quando aër vicinitate ſolis incandeſcit.

209 *Poſito feruore iuuentae Maturus.* Horat. A. P. 115. *Maturusne ſenex, an adhuc florente iuuenta Feruidus.* Namque *maturus* honeſtum virorum atque ſeniorum epitheton, quod grauitatem eorum exprimit. VIII, 617. *animo maturus et acuo.* v. Bentl. ad Horat. A. P. 157. *mitis* et de ingenio leni, et de coelo temperato vſurpatur, opponiturque feruori. Sic etiam *temperies* animo ſedato et graui tribuitur. Cf. cum h. l. XII, 464.

212 Pictura excellentiſſima hiemis, in qua ſingula verba de-

Aut ſpoliata ſuos, aut, quos habet, alba capillos.
Noſtra quoque ipſorum ſemper, requieque ſine vlla
Corpora vertuntur: nec, quod fuimusue, ſumusue,
Cras erimus. Fuit illa dies, qua ſemina tantum,
Spesque hominum primae materna habitauimus aluo.
Artifices Natura manus admouit: et angi
Corpora viſceribus diſtentae condita matris
Noluit, eque domo vacuas emiſit in auras.
Editus in lucem iacuit ſine viribus infans:
Mox quadrupes, rituque tulit ſua membra ferarum.
Paullatimque tremens, et nondum poplite firmo
Conſtitit, adiutis aliquo conamine neruis.
Inde valens veloxque fuit: ſpatiumque iuuentae
Tranſit, et, emenſis medii quoque temporis annis,
Labitur occiduae per iter decliue ſenectae.
Subruit haec aeui, demoliturque prioris
Robora: fletque Milon ſenior, cum ſpectat inanes

213 Septem, *ſuis.* 222 Vnus Heinſ. *trahens ſua membra.* Tert. Gronov. *rituque ferino.* 226 Plurimi, *emeritis.* Alterum accepit Heinſ. a Thuan. vno Baſil. et vno Medic. 228 Quatuordecim, *furripit.* 229 Alii *Milo.*

lecta, ſuauiſſimeque ab homine ſene petita.

214 — 236 De mutatione corporis noſtri, fluxuque perpetuo partium eius et veriſſime et pulcherrime diſputat. Bene *ſpes hominum primae*, femina, vnde ſperare licet oriturum hominem. Sic flores arborum ſunt *ſpes baccarum.* Recte etiam *habitauimus*, quia *aluus*, i. vterus matris, eſt *domus* verſ. 220. Male igitur Schepper. cor. *latitamus. Artifices manus*, vt ap. Gellium XII, 1. *In ipſis hominem primordiis, dum fingitur et animatur, inter ipſas artificis naturae manus interficere.* Noluit natnra diutius ibi habitare corpora, quia ibi *condita*, ſine ſenſu et motu iacent, quia mater *diſtenta* graui onere premitur, et quia infans anguſto loco *angitur.*

223 In imaginibus trementium *poplitis* commode fit mentio, vt X, 458. Horat. A. P. 158. *pede certo ſignat humum. Adiutis conamine*, neruis nondum firmis ſuccurrit conamen infantis.

225 *Valens*, firmus. *tranſit*, peragit. De *medio tempore*, i. aetate virili, v. ad XII, 404. *Labi* de celeri decurſu aetatis (v. ad X, 519.) inprimis ſenilis, cuius *iter decliue*, quod a via ſolis petitum, vnde et *occidua* ſenecta, ad occaſum vergens. *Subruere* et *demoliri* grauia verba ab aedificiis translata.

229 Exemplis delectis ſenectutis imbecillitatem illuſtrat; et viris robora, et feminis venuſtatis illecebras demit. *Milon*, Crotoniates, familiaris Pythagorae, athleta robore inſignis, *cum iam ſenex eſſet, athletasque ſe in*

Illos, qui fuerant ſolidorum mole tororum
Herculeis ſimiles, fluidos pendere lacertos.
Flet quoque, vt in ſpeculo rugas conſpexit aniles,
Tyndaris, et ſecum, Cur ſit bis rapta, requirit.
Tempus edax rerum, tuque inuidioſa vetuſtas,
Omnia deſtruitis, vitiataque dentibus aeui
Paullatim lenta conſumitis omnia morte.
Haec quoque non perſtant, quae nos Elementa vocamus:
Quasque vices peragant (animos adhibete) docebo.
Quatuor aeternus genitalia corpora mundus

230 Vulg. *ſolidarum morte ferarum.* Heinſ. de ſuo *mole* dedit.

curriculo exercentes videret, adſpexiſſe lacertos ſuos dicitur, illacrymansque dixiſſe, At hi quidem iam mortui ſunt. Cic. Senect. 9. Hoc Milone duce Crotoniatae Sybaritas vicerunt a. 4. Olymp. 67. Diod. Sic. XII, 483. *Tori* pars carnoſa in lacertis, quorum et *ſoliditate* et *mole*, magnitudine, robur cenſetur. Hi commode comparantur cum *Herculeis;* cum quia Herculis lacerti ſolidi et tori paſſim laudantur a poëtis, quorum loca diligentiſſime n. l. collegit Heinſ. tum quia ille ab Athletis colebatur, eiusque ſtatuae in Gymnaſiis erant. Illi lacerti nunc erant *inanes*, i. quibus non amplius colluctari poterat. *fluidos pendere*, marcuiſſe, carnes et robora amiſiſſe. Plin. III Ep. 6, 2. de ſene, *pendent lacerti, papillae iacent.* Haerebat Gronov. ad Senec. Herc. Fur. 624. in, *inanes fluidos lacertos*, itaque tentat, *cum ſpectat in amne*, vt mox Helena in ſpeculo. Sine cauſſa. Et alibi duo epitheta vni adduntur ſubſtantivo, etiam a Noſtro. *Inanes* ad ſubiectum pertinet, et *fluidos* habet vim praedicati. Videbat, inanes ſuos lacertos pendere fluidos.

233 Pro, dolet venuſtatem abiiſſe, melius, *ſecum requirit, cur ſit bis* (a Theſeo et Paride) *rapta.* Helenae autem exemplo vtitur, quia pulchriorem feminam non nouerat antiquitas.

234 *Dentes* dantur aeuo propter edacitatem. Iis omnia *vitiantur*, roduntur et franguntur. Heinſ. mox etiam malebat, *lento morſu*, vt perſtet in metaphora. Sine cauſſa.

237 — 53 Transformationes elementorum. Diog. Laërt. VIII, 25. Pythagoram docuiſſe tradit, corporum ſolidorum eſſe στοιχεῖα τέτταρα, πῦρ, ὕδωρ, γῆν, ἀέρα· ἃ μεταβάλλειν δὲ καὶ τρέπεσθαι δι' ὅλων, καὶ γίνεσθαι ἐξ αὐτῶν κόσμον ἔμψυχον etc. *Perſtant*, idem manent. *Vices peragere* dixit etiam Valerius Flac. I, 505. *vices agere* Manil. I. init. *genitalia*, quibus gignuntur et procreantur corpora. Vtrg. G. II, 324. *genitalia femina.* Feſtus: *Genitales* (non *geniales*) *Deos dixerunt Aquam, Terram, Ignem, Aërem. Ea enim ſunt ſemina rerum, quae Graecorum alii* στοιχεῖα, *alii* σπέρματα *vocant.*

Continet: ex illis duo ſunt oneroſa, ſuoque
Pondere in inferius, tellus atque vnda, feruntur:
Et totidem grauitate carent, nulloque premente
Alta petunt, Aër, atque Aere purior ignis.
Quae quamquam ſpatio diſtant, tamen omnia fiunt
Ex ipſis, et in ipſa cadunt: reſolutaque tellus
In liquidas roreſcit aquas: tenuatus in auras,
Aëraque humor abit: demto quoque pondere, rurſus
In ſuperos aër tenuiſſimus emicat ignes.
Inde retro redeunt, idemque retexitur ordo.
Ignis enim denſum ſpiſſatus in aëra tranſit:
Hic in aquas: tellus glomerata cogitur vnda.
Nec ſpecies ſua cuique manet, rerumque nouatrix
Ex aliis alias reparat Natura figuras.
Nec perit in tanto quicquam, mihi credite, mundo,
Sed variat, faciemque nouat: naſcique vocatur
Incipere eſſe aliud, quam quod fuit ante: morique
Deſinere illud idem, cum ſint huc forſitan illa,
Haec translata illuc: ſumma tamen omnia conſtant.
Nil equidem durare diu ſub imagine eadem
Crediderim. Sic ad ferrum veniſtis ab auro
Secula: ſic toties verſa eſt Fortuna locorum.
Vidi ego, quod fuerat quondam ſolidiſſima tellus,

248 Vnus Heinſ. *euolat.* 254 Plurimi, *in toto.* 258 Scaliger, *ſummo.*

245 *Cadunt*, recidunt, reſolvuntur. *Roreſcit* exquiſite pro, mutatur, tranſit. Ita tamen non niſi Thuan. Mſ. Caeteri, *rareſcit*, fit rara, tenuis. Aeque bene. *tenuatus abit* plenius et elegantius, quam, tenuatur, vt alibi vidimus. Sic mox *ſpiſſatus tranſit* pro, ſpiſſatur. Fruſtra igitur Intt. ex Mſſ. praeferunt vel *adit*, vel *habet*. *Auras aëraque*, vt IX, 219. et alibi, *aëriae auras*. Ex hac autem ratione, quae vs. 245 — 51. deſcribitur, non eſt niſi vnum elementum, aether.

249 *Redcunt*, mutantur in priſtinum ſtatum. Eadem elegan-ter drr. *retexi*, tropo a tela petito. *cogitur*, includitur. I, 31. humor *coërcuit orbem. glomerata*, coaceruata, condenſata. — *figuras*, elementa.

254 — 58 Nullus in mundo interitus, merae tantum transformationes et translationes. Id quoque veriſſimum. *Summa omnia conſtant*, ſumma omnium partium ſemper manet eadem.

259 — 306 Multas et magnas reuolutiones paſſa eſt terra; id quod et hodie grauiſſimis argumentis docent Geologi. *Fortuna locorum*, habitus locorum.

Esse fretum: vidi factas ex aequore terras:
Et procul a pelago conchae iacuere marinae,
Et vetus inuenta est in montibus ancora summis.
Quodque fuit campus, vallem decursus aquarum
Fecit: et eluuie mons est deductus in aequor.
Eque paludosa siccis humus aret arenis:
Quaeque sitim tulerant, stagnata paludibus hument.
Hic fontes Natura nouos emisit, at illic
Clausit, et antiqui tam multa tremoribus orbis
Flumina prosiliunt, aut excaecata relidunt.
Sic vbi terreno Lycus est epotus hiatu,
Exsistit procul hinc, alioque renascitur ore.
Sic modo combibitur, tecto modo gurgite lapsus
Redditur Argolicis ingens Erasinus in aruis.

271 Heins. coni: *et aut quaedam stimulata tremoribus ortis.* Pro *tam multa* Sixianus *concussa*, non improbante Heins. qui et *conuulsa* suadet. Burm. putat, *tam multa* per interrogationem capiendum.

266 *Campum fecit vallem*, h. in campo fecit montem aut tumulum. *in aequor*, in planum campum. v. ad I, 41. *siccis aret arenis*, facta est sicca, arida, arenosa. His ex asse respondent sqq. *stagnata paludibus hument*, in humidas paludes s. stagna mutata sunt. Cumulat verba, vt inculcet, quam mirabiles sint illae mutationes. *E paludosa*, scil. humo.

271 *Antiquis tremoribus prosiliunt flumina* non videtur fluxisse a manu Ouidii. Lenis et bona est emendatio viri docti in Miscell. Obseruatt. Vol. VII. p. 123. *antiqui*. *Excaecari* eleganter drr. quae delentur, obturantur, exsiccantur. Sic IV Pont. II, 17. *limus venas excaecat in vndis*. Similiter ap. Graecos τυφλέμεναι πηγαί. vid. Heins.

273 Plin. H. N. II, 103. *Subeunt terras, rursusque redduntur*, *Lycus* (prope Laodiceam e Cadmo monte ortus) *in Asia*, *Erasinus in Argolica*. Conf. Senec. Nat. Quaest. III, 26. vbi hos vers. laudat. *Epotus*, absorptus. Mox cum alii Mss. habeant *alioque orbe*, quaeritur, vtrum verius. In se vtrumque recte dr. nam et *orbis* pro parte orbis, terra dr. vt I, 94. ac saepius, et *os* fluminibus tribuere, i. fontem, sollemne, vt I, 281. H. l. tamen praefero *ore*, quod bene opp. τῷ *hiatu*. — *tecto gurgite*, tectus. Neque tamen condemnanda lect. quam Seneca d. l. exhibet, *tacito gurgite*. Namque *tacitus* saepe ap. poëtas ponitur pro, tectus. Sic *tacitum vulnus*, *tacitae medullae*, *tacitae flammae* etc. Itaque ex glossa facile h. l. irrepere potuit *tecto*, quod, vt notius, arripuerunt librarii. Eadem varietas et alibi reperitur, vt Amorr. I, 2, 6. Trist. III, 10, 30.

Et Mysum capitisque sui, ripaeque prioris
Poenituisse ferunt, alia nunc ire, Caicum.
Nec non Sicanias voluens Amenanus arenas
Nunc fluit, interdum suppressis fontibus aret.
Ante bibebatur, nunc, quas contingere nolis,
Fundit Anigros aquas, postquam (nisi vatibus omnis
Eripienda fides) illic lauere Bimembres
Vulnera, clauigeri quae fecerat Herculis arcus.
Quid? non et Scythicis Hypanis de montibus ortus,
Qui fuerat dulcis, salibus vitiatur amaris?
Fluctibus ambitae fuerant Antissa, Pharosque,

285 Prior Gronov. *de fontibus*.

277 *Caicus*, Mysiae fluuius, cursum suum mutauit. Quo auctore Ouid. hoc tradiderit, non constat. *Caput* modo fons fluuii est, Virg. G. IV, 368. supra II, 255. et h. l. modo ostium. Virg. d. l. 319.

279 *Amenanus* Cataniae in Sicilia fluuius. Strabo lib. V. p. 360. Καθάπερ περὶ τὸ Ἀμενάνα συμβαίνειν φασὶ τὸ διὰ Κατάνης ῥέοντος· ἐκλείπει γὰρ ἐπὶ πολὺ τὴν καὶ πάλιν ῥεῖ. Burm. e Fazelli Rebus Sic. lib. III cp. 1. notat, fontem huius fluuii nondum perueſtigari potuisse, et saepe, obturatis fontium venis, per aliquot annos totum euanescere, rursusque subito erumpentem excurrere, vt Catanae vrbi inundatione sua magnam saepe calamitatem adferat.

281 *Anigros*, e Lapitha, Arcadiae monte, profluens statim a fonte graniter olentem aquam vehit, quae pisces non alit. Paus. V. p. 387. grauem illum odorem e terra existere putat. Sed idem addit, Graecorum alios tradere, Chironem, alios Polenorem, Centaurum et ipsum, Herculis sagitta percussum huius fluuii aqua vulnus abluisse; quae sic, hydrae veneno infecta, tetrum odorem contraxerit. Hos Noster secutus est. Pro *bibebantur*, quod Heins. e duobus Medic. dedit, reuocauimus cum Mitsch. *bibebatur*, ne impeditior esset ordo verborum. Burm. ex vno Medic. *attingere* praeferebat. Sine caussa. V, 533. *contigit ore cibos*. *Bimembres*, Centauri, vt XII, 240.

285 *Hypanis*, Sarmatiae fluvius, hodie Bog, qui in Borysthenem (Dnieper) se exonerat. V. Solin. cp. 15. et Vitruv. VIII, 3.

287. Plin. II, 89. *Rursus abstulit insulas mari, iunxitque terris*, *Antissum Lesbo* etc. *Pharos* tempore Homeri (Od. δ, 354. sqq.) insula obuersa Aegypto, tantumque ab ea remota, quantum vno die nauis confecerit. Sed inuectu Nili paullatim propius adducta continenti, ponte etiam Alexandriae iuncta. Lucan. Phars. X, 509. Plin. II, 85. XIII, 11. Strabo lib. I. p. 63. XVII. pag. 1140. — *Tyrus quondam insula, praealto mari septingentis passibus diuisa, nunc vero Alexandri oppugnantis operibus continens*. Male igitur Naturae tribuit, quod opera hominum es-

Et Phoeniſſa Tyros: quarum nunc inſula nulla eſt.
Leucada continuam veteres habuere coloni:
Nunc freta circuëunt. Zancle quoque iuncta fuiſſe
Dicitur Italiae: donec confinia pontus
Abſtulit, et media tellurem repulit vnda.
Si quaeras Helicen et Burin, Achaidas vrbes,
Inuenies ſub aquis, et adhuc oſtendere nautae
Inclinata ſolent cum moenibus oppida merſis.
Eſt prope Pittheam tumulus Troezena, ſine vllis
Arduus arboribus, quondam planiſſima campi
Area, nunc tumulus: nam, res horrenda relatu,
Vis fera ventorum, caecis incluſa cauernis,
Exſpirare aliqua cupiens, luctataque fruſtra
Liberiore frui coelo, cum carcere rima
Nulla foret toto, nec peruia flatibus eſſet,
Extentam tumefecit humum: ceu ſpiritus oris
Tendere veſicam ſolet, aut direpta bicorni

292 Vnus Heinſ. *depulit.* 302 Schepper. coni. *Nulla foras.* 304 Heinſ. de ſuo dedit *derepta.* Vnus Moreti, *erepta.*

fectum eſt; multoque minus probari poteſt, quod Pythagoram ea commemorantem inducit, quae poſt illius demum tempora facta ſunt. Particip. *ambitus* occurrit etiam I, 37. vbi v. not.

289 *Leucas* ad Acarnaniae litus, olim peninſula. Plin. II, 90. *Ad hoc perrupit mare Leucada* etc. *Continuam* pro vulg. continentem, cohaerentem cum terra. Sic etiam VIII, 589. — Idem II, 88. *Auellit Siciliam Italiae.* Senec. Nat. Quaeſt. VI, 29. Virg. Aen. III, 414 — 19. Cluver. Sicil. I, 1. Hiſtoriam opinionum de hac abruptione habet Geſner. ad Claudian. 33, 140. Ignota fuit Homero. Pro Sicilia vnam *Zancle* ſ. Meſſaniam nominat, quae adiacet freto Siculo. *media vnda*, quae nunc media eſt, confinia tenet. XIV, 7.

293 Plin. II, 92. *Mare abſtulit Elicen et Buram in ſinu Corinthio, quarum in alto veſtigia apparent.* Oroſius III, 3. A. V. 366. *faeniſſimo terrae motu Achaia vniuerſa concuſſa eſt, et duae tunc ciuitates, id eſt Bura et Helice, abruptis locorum hiatibus deuoratae ſunt.* Igitur hoc quoque poſt Pythagorae tempora accidit. *Burin* recepit Heinſ. Mſſ. auctoritate, quamquam nec *Buram* damnat. Ita enim Plin. aliique et Graecis Βυρά eſt.

296 *Troezen*, vrbs Argolidis, a *Pittheo* rege *Pittheа* dicta. In eius vicinia tempore Antigoni, Macedonum regis, calidae aquae vi ignis ſubterranei proruperunt. Pauſan. Corinth. p. 190. Eodem forſan tempore hic *tumulus* ſurrexit. *frui*, vt frueretur. *direpta capro terga*, vtres, quibus inflatis in Bacchi feſto inſilire ſolebant. Virg. G. II, 384.

Terga capro. Tumor ille loci permanſit; et alti
Collis habet ſpeciem, longoque induruit aeuo.
Plurima cum ſubeant, audita aut cognita vobis,
Pauca ſuper referam. Quid? non et lympha figuras
Datque capitque nouas? medio tua, corniger Ammon,
Vnda die gelida eſt; ortuque obituque caleſcit.
Admotis Athamantis aquis accendere lignum
Narratur, minimos cum Luna receſſit in orbes.
Flumen habent Cicones, quod potum ſaxea reddit
Viſcera, quod tactis inducit marmora rebus.
Crathis, et huic Sybaris noſtris conterminus aruis,

312 Exc. Caland. et vnus Medic. *recreſcit.*

307—335. Aquae vim mutandi habentes. *Subeant*, in animum veniant. *Super*, praeterea. *figura*, natura. *Ammonis* fontem diligentius deſcribit Curtius IV, 7, 22. *Eſt etiam aliud Hammonis nemus; in medio habet fontem, aquam Solis vocant. Sub lucis ortum tepida manat; medio die, cum vehementiſſimus eſt calor, frigida eadem fluit; inclinato in veſperam caleſcit; media nocte feruida exaeſtuat; quoque propius nox vergit ad lucem, multum ex nocturno calore decreſcit.*

311 Sotion in Paradoxol. de Fluminibus, Ἐν Ἀθαμᾶσι κρήνην εἶναι, ἧς τὸ μὲν ὕδωρ ψυχρὸν ὑπάρχειν, τὸ δ' ὑπὲρ αὐτο, ἅτω θερμὸν ὑπάρχειν, ὥσε ἄν τις ὑπεροπῇ φρύγανα, παραχρῆμα ἐξάπτεσθαι. Athamanes Epirum incoluerunt, cuius pars etiam Dodone, cui hunc fontem tribuit Plin. II, 103. *In Dodone Iouis fons cum ſit gelidus, et immerſas faces exſtinguat, ſi exſtinctae admoueantur, accendit.*

313 Plin. II, 103. *In Ciconum flumine et in Piceno lacu Velino lignum deiectum lapideo cortice obducitur.*

315 *Crathis*, Thuriorum in magna Graecia fluuius. Vim rutilandi capillos ei tribuunt, poſt Eurip. Troad 227. (ὁ ξανθὰν χαίταν πυρσεύων Κράθις) multi alii ſcriptores, quos v. ap. Cluver. Ital. Antiq. IV, 14. Strabo lib. VI. p. 620. tradit, eum facere τὰς ἐν αὐτῷ λαμένας ξανθοτριχεῖν καὶ λευκοτριχεῖν. Eandem, ac potius aliam non minus miram vim habebat *Sybaris.* Plin. 31, 2. *Theophraſtus tradit, in Thuritis Crathim candorem facere, Sybarim nigritiam bobus ac pecori. Quin et homines ſentire differentiam eam; nam qui Sybarim bibant, nigriores eſſe, durioresque et criſpo capillo: qui ex Crathide, candidos, mollioresque ac porrecta coma.* Sybaris autem *conterminus* Crathidi. Vibius Sequeſter: *Crathis, confinis Sybari, capillos facit aurei coloris.* Et Thurium, colonia Athenienſium ad ſinum Tarentinum, ſita fuit inter vtrumque fluuium. Ita *noſtris aruis* dictum erat pro, in noſtris aruis, vt millies. Burm. tamen ex vno Medic. ſuadet, *et hic Sybaris*, vt quaſi demonſtret vicinum fluuium, idemque ex Salmaſii Exercitatt. Plin. pag. 540. notat, vt hic *eleſtro ſimiles*,

Electro fimiles faciunt auroque capillos.
Quodque magis mirum, ſunt qui non corpora tantum,
Verum animos etiam valeant mutare, liquores.
Cui non audita eſt obſcoenae Salmacis vndae?
Aethiopesque lacus? quos ſi quis faucibus hauſit,
Aut furit, aut mirum patitur grauitate ſoporem.
Clitorio quicumque ſitim de fonte leuarit,
Vina fugit, gaudetque meris abſtemius vndis;
Seu vis eſt in aqua calido contraria vino,
Siue, quod indigenae memorant, Amithaone natus,
Proetidas attonitas poſtquam per carmen et herbas
Eripuit furiis, purgamina mentis in illas
Miſit aquas: odiumque meri permanſit in vndis,
Huic fluit effectu diſpar Lynceſtius amnis:
Quem quicumque parum moderato gutture traxit,
Haud aliter titubat, quam ſi mera vina bibiſſet.
Eſt lacus Arcadiae, Pheneon dixere priores,

318 Leid. et 3 alii, *animos hominum.* Vnus Moreti, *etiam mores poſſunt.* 324 Vnus Moreti, *valido.* 328 *Miſit.* Palat. ſec. et 3 alii *Morſit.*

ita Neronem Poppaeae crines *ſuccinos* appellaſſe.

319 De hoc fonte v. ſupra IV, 285 ſqq.

322 *Clitorius* fons iuxta Clitorium, vrbem Arcadiae. Pauſan. VIII. cp. 21. De eius natura Plin. 21, 2. *Varro tradit — vinum taedio venire his, qui ex Clitorio lacu biberint. At Eudoxus et Theopompus inebriari fontibus iis, quos diximus.* Cf. Vitruv. 8, 3. Sotion in Paradoxol. de Fluminibus, et Etymol. M. in Κλειτόριον.

325 *Proetides*, Proeti (de quo V, 236.) filiae, Lyſippe, Iphinoë et Iphianaſſa, *attonitae*, inſania correptae, cum per Argiuorum Arcadumque fines diu erraſſent, a Melampo, *Amithaonis* filio, vate, ſanatae ſunt *herbis*, elleboro inprimis inde Melampodium dicto. Apollod. II, 2, 2. Plin. XXV, 21. De templo in eius rei memoriam vel Iunoni, vel Dianae, vel Gratiis poſito v. Pauſan. II, 12. Heſych. in Ἀχραχεῖ.

329 *Lynceſtius amnis* ad oppidum *Lyncum* in Epiro, cuius incolae *Lynceſtae.* Plin. II, 103. *Lynceſtis aqua, quae vocatur acidula, vini modo temulentos reddit.* Conf. Vitruv. VIII, 3. Ariſtot. Meteor. II, 3. Sotion in Paradoxol. de Flum. p. 125. Tertullian. de Anima cp. 50.

332 *Pheneos* vrbs Arcadiae, poſtea *Nonacris* dicta. In vicinia eius ex praerupta rupe aqua, Graecis Ὕδωρ Στυγὸς dicta, guttatim decidit. Ea certis temporibus mortem adfert tam hominibus quam pecori, vaſa cuiuscunque generis frangit, metalla ſolvit etc. v. Pauſan. Arcad. p. 634

Ambiguis ſuſpectus aquis, quas nocte timeto:
Nocte nocent potae. Sine noxa luce bibuntur.
Sic alias, aliasque lacus et flumina vires
Concipiunt. Tempusque fuit, quo nauit in vndis,
Nunc ſedet Ortygie. Timuit concurſibus Argo
Vndarum ſparſas Symplegadas eliſarum;
Quae nunc immotae perſtant, ventisque reſiſtunt.
Nec, quae ſulfureis ardet fornacibus, Aetne
Ignea ſemper erit: neque enim fuit ignea ſemper.
Nam ſiue eſt animal Tellus, et viuit, habetque
Spiramenta, locis flammam exhalantia multis,
Spirandi mutare vias, quotiesque mouetur,
Has finire poteſt, illas aperire cauernas:
Siue leues imis venti cohibentur in antris,
Saxaque cum ſaxis, et habentem ſemina flammae
Materiam iactant: ea concipit ictibus ignem:
Antra relinquentur ſedatis frigida ventis:
Siue bitumineae rapiunt incendia vires,

344 *vias.* Mſ. Ciof. *vices.*

ſ. Nocte eam eſſe noxiam, de die innoxiam, neminem praeter Noſtrum prodidiſſe, monet Heinſ. *ambiguae*, mox letiferae, mox innoxiae.

336—361. Variae mutationes, Aetnae in primis. Delus intel. quae eadem et *Ortygie* nonnullis dicta eſt. v. Spanhem. ad Callim. h. Apol. 58. Ea, olim errans et natans, poſt partum Latonae immobilis facta eſt. v. Spanhem. ad Callim. h. Del. 273. De *Symplegadibus* v. ad VII, 62.

341 *Ignea*, igniuoma. *animal*, animans eſt terra e mente Stoicorum. *animal Tellus.* Hoc placuit Pythagorae. Ariſtot. Phyſ. 4, 6.

346 *Finire cauernas* pro, claudere eas, durum eſt. Heinſ. ſuadebat, *Hac operire poteſt, illic aperire cauernas.* Burm. autem merito dubitat, an in hac agnominatione ſibi placuerit Ouid. Ipſe malit, *Has turare* (nam vnus Medic. habet *furare*) *poteſt*, quod verb. forte veteribus in vſu fuerit, quamquam frequentius eius compoſito *obturare* vſi ſint. Ego vero vulg. ſeruandam arbitror. Pr. tellus *finit* exhalationem e cauernis, hinc cauernas ipſas. Infra vſ. 646. aeque durum, *funera finire.*

346 Eam cauſſam copioſius exponit Lucret. VI, 680 ſqq. *leues* tantum ornat.

350 *Bitumineae vires*, bitumina, cum vi. Et videtur hoc adiectiv. ab ipſo Ouid. fignatum eſſe. *rapiunt incendia*, celeriter concipiunt ignem. Mox ex plurimis Mſſ. praeſero, *ardeſcunt ſulfura* alteri *areſcunt. Exiguis* Heinſ. in *aſſiduis* aut *irriguis* mutari volebat. Prius probarunt Rode et Lenz. Immo, ſulfura ardeſcunt ita, vt exiguos fumos

Luteaue exiguis ardeſcunt ſulfura fumis:
Nempe vbi terra cibos, alimentaque pinguia flammae
Non dabit, abſumtis per longum viribus aeuum,
Naturaeque ſuum nutrimen deerit edaci,
Non feret illa famem, deſertaque deſeret ignes.
Eſſe viros fama eſt in Hyperborea Pallene,
Qui ſoleant leuibus velari corpora plumis,
Cum Tritoniacam nouies ſubiere paludem.
Haud equidem credo. Sparſae quoque membra veneno
Exercere artes Scythides memorantur easdem.
Si qua fides rebus tamen eſt addenda probatis,
Nonne vides, quaecumque mora fluidoue calore
Corpora tabuerint, in parua animalia verti?
I quoque, delectos mactatos obrue tauros;
(Cognita res vſu) de putri viſcere paſſim
Florilegae naſcuntur apes, quae more parentum
Rura colunt, operique fauent, in ſpemque laborant.

357 *leuibus*. Cantabr. et alius, *niueis*. 361 Heinſ. probavit ex Neap. vno Moreti et vno Regio *adhibenda*. 366 Multi *florigerae*.

emittant: quae eſt natura ſulfuris. Non autem ardeſcere poſſunt ope fumi vel aſſidui, vel exigui. Vnde enim ille fumus? Pro *fumis* Caeleſt. *flammis*.

356 *Pallene* Thraciae vrbs. Ibi et *Triton* lacus. Vibius Sequeſter in Paludibus, *Triton Thraciae, in quo qui ſe nouies immerſerit, in auem conuertitur*. Micyllus fabulam inde ortam putat, quod regio Hyperborea ipſa, ob aſſiduum nimis caſum, pinnarum ſimilitudine dicta ſit πτεροφόρος. Plin. IV, 12. *artes exerc. easdem*, vt ſe velent pennis.

361—417. Mutationes animalium. *Fidem addere* pro, fidem habere, credere. Monet Burm. frequentem eſſe Noſtro hanc locutionem. Recte, ſed in aliis locis eſt, praeſtare quod promiſimus. *fluidus*, qui facit fluidum. Fuit communis Veterum error, ex putribus cadaueribus *parua animalia*, inſecta, generari. Hinc etiam fluxit illa opinio, poſſe e *mactatis* et *obrutis tauris* noua apum examina excludi, de qua vide Virg. G. IV, 281 — 314. vbi docetur, quomodo res inſtituenda ſit. Conf. etiam I Faſt. 377. Sed vſ. 364. depravatus eſt; cui enim placeat *delectos mactatos obrue*. Mſſ. valde variant, ſed nihil auxilii ferunt. Itaque coniecturis locum ſanare conati ſunt Intt. Heinſ. ſuadet, *I ſcrobe delecto* (vel *delecta*) *mactatos* etc. aut etiam, *ſcrobe depreſſo* vel *ſcrobe repleto*. Burm. vero legit, *I ſcrobe ſub tecta delectos* etc. Lenzius ſuadet, *I, cape delectos, mactatosque* etc. Non male. *parentum*, taurorum. Sed aliter tauri *rura colunt*, aliter apes rori flores legentes.

Preſſus humo bellator equus crabronis origo eſt.
Concaua litoreo ſi demas brachia cancro,
Cetera ſupponas terrae, de parte ſepulta
Scorpius exibit, caudaque minabitur vnca.
Quaeque ſolent canis frondes intexere filis,
Agreſtes tineae (res obſeruata colonis)
Ferali mutant cum papilione figuram.
Semina limus habet virides generantia ranas,
Et generat truncas pedibus, mox apta natando
Crura dat: vtque eadem ſint longis ſaltibus apta,
Poſterior partes ſuperat menſura priores.
Nec catulus partu, quem reddidit vrſa recenti,
Sed male viua caro eſt: lambendo mater in artus
Fingit, et in formam, quantam capit ipſa, reducit.
Nonne vides, quos cera tegit ſexangula, foetus

379 Heinſ. malit, *quod reddidit*.

368 Nicander in Theriac. vſ. 133. Ἵπποι δὴ σφηκῶν γένεσις, ταύροι δὲ μελισσῶν. Etiam Plin. XI, 20. tradit, e iuuencorum corpore exanimato apes naſci, ſicut equorum veſpas atque crabrones, et aſinorum ſcarabaeos. *bellator equus* e Virg. G. II, 145.

369 *Litoreus cancer*, vt X, 127. *cauda vnca minatur*. v. ad II, 199.

374 Male Auctor argumentorum hic de bombycibus cogitavit. Imo intelliguntur inſecta, quae Linneo phalaenae lucernariae (Lichtflieger) drr. Plin. 28, 10. *Papilio quoque lucernarum luminibus adulans inter mala medicamenta numeratur*. Hinc *feralis*, funeſtus, mali ominis. Sine dubio h. l. reſpexit Lactant. in Phoen. vſ. 107. *Ac velut agreſtes, quum filo ad ſaxa* (Thomaſ. malit *taxa*) *tenentur, Mutari pennae* (Thomaſ. *tineae*) *papilione ſolent*.

375 Cf. I, 416 ſqq. Ranas e limo naſci, et in eundem reſolui tradit etiam Plin. XI, 8. Nempe ouula ſua illae deponunt in limo. *Poſterior menſura*, menſura poſteriorum pedum.

379 Plin. VIII, 36. de vrſorum catulis, *Hi ſunt candida informisque caro, paullo muribus maior, ſine oculis, ſine pilo: vngues tantum prominent: hanc lambendo paullatim figurant*. Falſa tamen illa traditio, orta haud dubie inde, quod ſecundinis craſſiſſimis inuoluti vrſorum catuli eduntur, quas non niſi diu lambendo reuellere mater poteſt. *Reddidit* pro, edidit. *male viua*, vix aut non viua. Sic IV, 285. *male fortes vndae*. Sueton. Aug. 21, 2. *nationes male quietae*. *In artus fingit*, fingit, vt membra diſtincta appareant.

382 E Virg. G. IV, 310. *Truncа pedum primo: mox et ſtridentia pennis miſcentur, tenuemque magis magis aëra carpunt*. Cf. Plin. XI, 16. *quos cera tegit*, quia ouula deponuntur in cellulis cereis, quarum forma *ſexangula* maxime admirabilis. *Mellifer*

Melliferarum apium ſine membris corpora naſci?
Et ſerosque pedes, ſerasque adſumere pennas?
Iunonis volucrem, quae cauda ſidera portat,
Armigerumque Iouis, Cythereiadasque columbas,
Et genus omne auium mediis e partibus oui,
Ni ſciret fieri, fieri quis poſſe putaret?
Sunt qui, cum clauſo putrefacta eſt ſpina ſepulcro,
Mutari credant humanas angue medullas.
Haec tamen ex aliis ducunt primordia rebus:
Vna eſt, quae reparet, ſeque ipſa reſeminet, ales:
Aſſyrii Phoenica vocant. Non fruge, nec herbis,
Sed turis lacrimis, et ſucco viuit amomi.

384 Vnus Moreti, *Mox ſerosque*, probante Heinſ. 388 *fieri quis* dedit Heinſ. ex vno Moreti pro, *quis naſci.*

exercitus apium ap. Claudian. 35, 127.

385 Cum aues omnino dicendae eſſent, maluit nobiliſſimas ponere cum adiunctis, aues Ioui, Iunoni, Veneri ſacras.

389 Plin. X, 66. *Anguem ex medulla hominis ſpinae gigni, accepimus a multis. Pleraque enim occulta et caeca origine proueniunt.* Antigon. Mirab. cp. 96. addit, homines, quibus id mortuis accidat, ante obitum odorari angues.

391 De *Phoenice* aue, cuius iam Heſiodus mentionem fecerat, poſt Herodot. II, 73. multi expoſuerunt, v. c. Tacitus Ann. VI, 28. Plin. X, 1. Exſtant etiam duo in hanc auem carmina, quorum alterum Claudiano, alterum Lactantio tribuitur. Fabula forte inde orta, quia φοῖνιξ palmam ſignificat; palmarum autem genera quaedam ea ſunt natura, vt e trunco ipſarum putrefacto noua arbor progerminet. Ita Bochartus in Hierozoico VI, 5. praeeunte Plinio XIII, 4. Alii putant, huius auis figuram ſymbolum fuiſſe Aegyptiorum, quo 500 annorum periodum expreſſerint. V. Gatterer de Theog. Aegypt. in Comment. Soc. Gotting. To. 7. p. 53 ſ. Et Herodot. diſerte affirmat, ſe eam non noſſe, niſi e tabula picta Heliopolitarum. — *Reſeminare* nouum verbum ad rem ſingularem exprimendam ſignatum, e corpore ſuo, tamquam e ſemine, denuo ſe gignere. Claudian. vſ. 24. *pater eſt proleſque ſibi.* Lactant. vſ. 78. *ſe tamen ipſa creat*, ſed vſ. 167 ſqq. ludit in hoc. — *Aſſyrii*, omnino Orientis incolae. Aliter Lactant. vſ. 65. *Dirigit in Syriam celeres longaeua volatus, Phoenices nomen cui dedit ipſa Venus.* Venus autem culta in Syrophoenice. Et *Aſſyrii* ſaepe pro Syris. Horat. II od. 11, 16. *Aſſyria nardus*, e Syriae emporiis aduecta. *Ales* autem aquilae ſimilis et magnitudine et forma, pennas habens aureas et rubras. Herodot.

393 Claudian. vſ. 13. *Non epulis ſaturare famem, non fontibus vllis Adſuetus prohibere ſitim; ſed purior illum Solis fervor alit* etc. De *amomo* v. ad X, 307.

Haec vbi quinque ſuae compleuit ſecula vitae,
Ilicet in ramis, tremulaeue cacumine palmae,
Vnguibus, et pando nidum ſibi conſtruit ore.
Quo ſimul ac caſias, et nardi lenis ariſtas,
Quaſſaque cum fulua ſubſtrauit cinnama myrrha;
Se ſuperimponit, finitque in odoribus aeuum.
Inde ferunt, totidem qui viuere debeat annos,

401 Barth. ex duobus peruetuſtis codd. corrigit, *qui vincere debeat.*

395 Herodot. Σπάνιος ἐπιφοιτᾷ σφι, οἱ ἐτέων (ὡς Ἡλιοπολῖται λέγουσι) πεντακοσίων· Φοίτην δὲ τόδε φασί. ἐπεάν οἱ ἀποθάνῃ ὁ πατήρ. Tacit. *De numero annorum varia traduntur, maxime vulgatum quingentorum ſpatium. Sunt qui adfeuerent, mille quadringentos ſexaginta.* Hinc *viuax* Phoenix paſſim. In numis interdum eſt ſymbolum vel aeternitatis, vel felicis temporum reſtitutionis. v. Spanhem. de vſu et praeſtant. Numiſm. p. 285. Quomodo Patres ea vſi ſunt ad reſurrectionem mortuorum illuſtrandam, docet Gataker. Miſcel. p. 179. Mox recte miratur Heinſ. *ilicis* hic mentionem fieri. Ipſe praefert *ilicet*, quod Barthius in vetuſtis exemplaribus reperit. Hoc igitur recepimus. Nam nec Oriens *ilices* habet, nec, ſi habuiſſet, placuiſſent huic aui; nec denique commode duae arbores *ilex* et *palma* ſimul commemorantur. Lactant. vſ. 69. *Tum legit aërio ſublimem vertice palmam.*

397 An Heinſ. e tribus Mſſ. prim. Gronov. vno Baſil. et Norico, recte receperit *pando*, dubitari poteſt. Apro recte tribuitur *pandum roſtrum*, non item aliti. Vulg. *duro.* Sed vnus Ciof. Caeleſt. Francof. et Barthii Codd. *puro*, quod arridet Burm. vt alludat ad morem ſacra faciendi, quae fiebant puris manibus. Lactant. vſ. 77. *Conſtruit inde ſibi ſeu nidum ſeu ſepulcrum*, et deinde iidem odores commemorantur, qui hic. Plin. *Seneſcentem caſiae turisque ſurculis conſtruere nidum, replere odoribus et ſuperemori.* — *Caſia* fuit inter herbas et flores coronarios, thymelaeae ſimilis. v. Martin. ad Virg. G. II, 213. *Nardus*, frutex, e cuius foliis, ſpicis et radice vnguenta pretioſiſſima confecerunt veteres, quae ab Indis in Syriam et inde in Europam aduecta. V. Celſii Hierobot. T. II. p. 1 ſ. Pro *lenis* permulti Mſſ. *laeuis*, i. cui lanugo ſubeſt. Lactant. vſ. 86. *His addit teneras nardi pubentis ariſtas.* Gloſſa interlinearis alterius Erford. *id eſt redolentis.* Hinc Heinſ. coni. *nardi halantis.* De *myrrha* v. ad X, 500. *fulua*, quia myrrha praeſtantiſſima talem refert colorem, vnde *myrrheus* pro, flauus. Brouckh. ad Propert. III, 8, 22. Pro *quaſſa* Heinſ. placet ex altero Hamb. *caſſa*, vt ξυλοκιννάμωμον intelligatur, quod maximo in pretio fuerit, cortex cinnamomo detractus.

401 Plin. *Ex oſſibus deinde et medullis eius naſci primo ceu verniculum, inde fieri pullum.* Secundum alios Solis radiis comburitur, et e cineribus prodit noua auis, quae ouum facit e myrrha; illi excauato indit reliquias pa-

Corpore de patrio paruum Phoenica renaſci.
Cum dedit huic aetas vires, onerique ferendo eſt,
Ponderibus nidi ramos leuat arboris altae,
Fertque pius cunasque ſuas, patriumque ſepulcrum,
Perque leues auras Hyperionis vrbe potitus,
Ante fores ſacras Hyperionis aede reponit.
Si tamen eſt aliquid mirae nouitatis in iſtis,
Alternare vices, et quae modo femina tergo
Paſſa marem eſt, nunc eſſe marem miremur hyaenam.
Id quoque, quod ventis animal nutritur et aura,
Protinus adſimulat tactu quoscumque colores.
Victa racemifero lyncas dedit India Baccho:
E quibus, vt memorant, quidquid veſica remiſit,
Vertitur in lapides, et congelat aëre tacto.
Sic et curalium, quo primum contigit auras
Tempore, dureſcit: mollis fuit herba ſub vndis.
Deferet ante dies, et in alto Phoebus anhelos

404 Heinſ. h. vſ. adulterinum putabat, ſorte et 3 ſeqq. 407 Schepp. cor. *vrbe reponit.* Vnus Leid. et Thyſii, *orbe*, vt globus quidam intel. Burm. mallet *fores* in *aras* mutari.

ternas easque defert in templum Heliopolitarum. Pro *altae* Burm. ſuadet *almae*, quae quaſi aluit et eduxit Phoenicem; ingenioſe quidem, ſed dubito an et vere. Lactant. vſ. 39. *Conſidit in arboris altae vertice.* et vſ. 69. *Tum legit aërio ſublimem vertice palmam.*

406 *Hyperionis vrbs*, Heliopolis, in confiniis Aegypti et Arabiae, hodie Balbek. Ibi in ara reponit onus, flammaeque commendat. Claudian. vſ. 94. *Inque ara reſidens, ponit in aede ſacra.* Lactant. vſ. 122. Eo proficiſcitur ex Arabia. Herodot.

408 Plin. VIII, 30. *Hyaenis vtramqu eſſe naturam, et alternis annis mares, alternis feminas fieri, parere ſine mare, vulgus credit.* Cf. Ariſtot. Hiſt. Anim. VI, 33. Aelian. I, 25.

411 Chamaeleon, e genere lacertarum, cum plerumque ore aperto ſedeat, vt muſcas captet, *ventis et aura nutriri* creditus eſt. *tactu.* Plin. VIII, 33. *reddit ſemper quemcunque* (colorem) *proxime attingit, praeter rubrum candidumque.* Cf. Antigon. 33. De cauſſa huius mutationis diſputant hodie naturae indagatores, quos vide.

413 *Lyncas* terrae ſeptemtrionales alunt, non *India.* Verum poetae et pictores Bacchi currui iungunt mox tigres, mox pantheras, mox lyncas. *Racemifer*, redimitus tempora racemis. Faſt. VI, 483. De vrina lyncum cf. Plin. VIII, 38. qui tradit, eam glaciari aut areſcere in gemmas carbunculis ſimiles er igneo colore fulgentes, lyncurium vocatas.

416 De *Curalio* cf. IV, 743. ſqq.

418—452. De gentibus, maxime Roma. Vulgare fuiſſet; Dies me deficiet, ſi omnia perſequi velim. *Deferere* ita eſt, etiam omiſſo *τῷ me*, ap. Salluſt. Iug. 42, 5. vbi v. Corte. *conſequi*, exprimere, vt Cic. Philip. V, 13. *verbis laudes conſequi.*

421 *Gentes vertuntur*, fortuna earum mutatur. Sed *tempore* debemus ingenio Heinſii. Mſſ. pr. Vatic. pr. Gronov. quartus Medic. et decem alii, *tempora*, non male. Conſtat enim, *tempus* et *tempora* eleganter, ſaepe etiam ap. Noſtrum, de ſtatu rerum dici et conditione, et quidem in vtramque partem.

426 — 30 Hos verſus delendos cenſet Heinſ. tribus de cauſſis: 1) quia libri veteres ex his quinque verſibus modo hunc, modo illum non agnoſcunt. 2) quia poeta id agit, vt ex ruinis Troiae Romam prodiiſſe demonſtret. Perquam igitur inopportunam hic inculcari Spartes et reliquarum vrbium mentionem. 3) Quia Pythagorae aetate vel maxime floruerunt illae vrbes. Sed iam ſaepius, in hac ipſa Pythagorae oratione aliquoties, vidimus, Ouidium anachroniſmi ſe reum feciſſe, et, quaſi oblitum ſui, antiquis temporibus tribuiſſe, quae non niſi ſua aetate dici poſſent. Neque hi vſ. impediunt, quo minus poeta vſ. 431. commode ad Romae initia tranſeat. Omnium minime autem Mſſ. quorundam negligentia hic mouere quemquam debet. *Fabula* et *nomen* drr. gentes vrbesque deletae. Virg. Aen. VII, 412. *nunc magnum manet Ardea nomen.* v. Drakenb. ad Sil. I, 293.

431 Commode et ingenioſe orationem deduxit ad Romae et initia et incrementa. *conſurgere*, ſurgere, *Romam*, fundamenta poni rerum Romanarum. *Dardaniam*, quae originem debet Troiano Aeneae. *Appenninigenae*, ex Appennino profluentis, novum epitheton. *Mole ſub ingenti*, ita vt moles ingens ſuperſtruatur. *Forma*, prima vrbis delineatio, regnique fines primi.

Aequore tinget equos, quam conſequar omnia dictis,
In ſpecies translata nouas. Sic tempore verti
Cernimus, atque illas aſſumere robora gentes;
Concidere has. Sic magna fuit cenſuque virisque,
Perque decem potuit tantum dare ſanguinis annos,
Nunc humilis veteres tantummodo Troia ruinas,
Et pro diuitiis tumulos oſtendit auorum,
Clara fuit Sparte: magnae viguere Mycenae:
Nec non Cecropiae; nec non Amphionis arces.
Vile ſolum Sparte eſt: altae cecidere Mycenae:
Oedipodioniae quid ſunt, niſi fabula, Thebae?
Quid Pandioniae reſtant, niſi nomen, Athenae?
Nunc quoque Dardaniam fama eſt conſurgere Romam;
Appenninigenae quae proxima Thybridis vndis

425 *tumulos.* Oxon. et vnus Strozzae, *titulos.*

Mole ſub ingenti rerum fundamina ponit.
Haec igitur formam creſcendo mutat, et olim
Immenſi caput orbis erit. Sic dicere vates,
Faticinasque ferunt ſortes: quantumque recordor,
Priamides Helenus flenti: dubioque ſalutis,
Dixerat Aeneae, cum res Troiana labaret:
Nate Dea, ſi nota ſatis praeſagia noſtrae
Mentis habes; non tota cadet, te ſoſpite, Troia.
Flamma tibi, ferrumque dabunt iter. Ibis, et vna
Pergama rapta feres, donec Troiaeque tibique
Externum patrio contingat amicius aruum.
Vrbem et iam cerno Phrygios debere nepotes;
Quanta nec eſt, nec erit, nec viſa prioribus annis.
Hanc alii proceres per ſecula longa potentem,
Sed dominam rerum de ſanguine natus Iuli
Efficiet. Quo, cum tellus erit vſa, fruentur
Aetheriae ſedes, coelumque erit exitus illi.
Haec Helenum eeciniſſe penatigero Aeneae,
Mente memor refero, cognataque moenia laetor

434 Thuan. *mutando creſcit*, quod placet Burm. ſi *creſcet* legatur. 451 Palat. *recolo*.

436 *Faticinas*. v. ad IX, 417. De *Heleno* v. XIII, 723. Erat οἰωνοπόλων ὄχ' ἄριστος Homer. Il. ζ, 76. Vaticinia, quibus Aeneam iam profecturum inſtruit, habet Virg. Aen. III, 374 — 462. *recordor*, nempe audiuerat haec Pythagoras, cum Euphorbus eſſet. Male Aeneam heroëm inducit hic *flentem*.

439 *Si*, quandoquidem, vt ſaepe. Ipſe Aeneas ap. Virg. Heleno, *qui numina Phoebi, Qui tripodas, Clarii lauros, qui ſidera ſentis, Et volucrum linguas* etc. *Flamma — iter*, euades per flammam ferrumque ſoſpes. *Pergama*, ſpem nouorum Pergamorum condendorum.

444 *Iam cerno* vox vaticinantium. *debere* de iis, quae fato deſtinata certiſſime euentura ſunt. Idem Helenus Aeneae ap. Virg. d. l. vſ. 462. *Vade age, et ingentem factis fer ad aethera Troiam.*

447 Adulatur Auguſto. *Terrarum domina* Roma dicta eſt et aliis. Frontin. de Aquaeduct. *Regina et domina orbis, quae terrarum Dea gentiumque conſiſtit, cui par nihil, et nihil ſecundum.* Iam additur apotheoſis Auguſti. Horat. I od. 2, 45. *Serus in coelum redeas, diuque Laetus interſis populo Quirini* etc. Cf. Virg. G. I, 24 ſqq.

450 *Penatiger* nouum et, vt videtur, ab Ouidio factum epitheton Aeneae, qui Penates intulit Latio. *Cognata*, dixit propterea, quia tempore Troiani belli Euphorbum ſe fuiſſe iactabat Pythagoras.

Creſcere, et vtiliter Phrygibus viciſſe Pelasgos.
Ne tamen oblitis ad metam tendere longe
Exſpatiemur equis: coelum, et quodcumque ſub illo eſt,
Immutat formas, tellusque, et quidquid in illa eſt.
Nos quoque pars mundi(quoniam non corpora ſolum,
Verum etiam volucres animae ſumus, inque ferinas
Poſſumus ire domos, pecudumque in pectora condi)
Corpora, quae poſſint animas habuiſſe parentum,
Aut fratrum, aut aliquo iunctorum foedere nobis,
Aut hominum certe, tuta eſſe et honeſta ſinamus:
Neue Thyeſteis cumulemur viſcera menſis,
Quam male conſueſcit; quam ſe parat ille cruori
Impius humano, vituli qui guttura cultro
Rumpit, et immotas praebet mugitibus aures!
Aut qui vagitus ſimiles puerilibus hoedum
Edentem iugulare poteſt: aut alite veſci,
Cui dedit ipſe cibos! quantum eſt, quod deſit in iſtis
Ad plenum facinus! quo tranſitus inde paratur!
Bos aret, aut mortem ſenioribus imputet annis:
Horriferum contra Borean ouis arma miniſtret.
Vbera dent ſaturae manibus preſſanda capellae.
Retia cum pedicis, laqueosque artesque doloſas
Tollite: nec volucrem viſcata fallite virga:
Nec formidatis ceruos includite pinnis:

461 Malebat Heinſ. *tuta atque inadeſa*.

453 Peroratio, qua redit, vnde vſ. 143 digreſſus erat, ad eſum carnium. *exſpatiemur equis*. Virg. G. II, 541. de ſe ad metam tendente: *Sed nos immenſum ſpatiis confecimus aequor: Et iam tempus equum fumantia ſoluere colla.* *Volucres*, quae tranſeunt ex alio corpore in aliud.

462 Grauiter et admodum inuidioſe *Thyeſteae menſae*, carnes, quas inhabitarunt animae liberorum, fratrum, parentum noſtrorum. Inuidioſe etiam *cumulemur*. Paullo ante *honeſta* ſunt, monente etiam Burm. honore ornanda, honorata.

463 *Quam ſe parat* etc. quam parum abeſt ille ab homicidio. Verba ſeqq. plena ſunt affectus. *alite*, gallinis, anatibus, anſeribus. *plenum facinus*, homicidium. Iam Lenzius interpungi mallet: *facinus, quo* (Dativ. ad quod) *tranſitus*. Non bene

471 *Arma*, lanas, quae praebent veſtimenta et tegumenta contra vim Boreae. Cf. vſ. 117.

475 Intelligitur *formido*, i. ſuniculus venatorum pennis vel

Nec celate cibis vncos fallacibus hamos.
Perdite, si qua nocent: verum haec quoque perdite tantum:
Ora vacent epulis; alimentaque congrua carpant.
Numa et Egeria. Talibus atque aliis instructo pectore dictis
In patriam remeasse ferunt, vltroque petitum
Accepisse Numam populi Latialis habenas,
Coniuge qui felix Nympha, ducibusque Camenis,
Sacrificos docuit ritus, gentemque, feroci
Adsuetam bello, pacis traduxit ad artes.
Quem postquam senior regnumque,aeuumque peregit,
Exstinctum Latiaeque nurus, populusque, patresque,
Defleuere Numam: nam coniux, vrbe relicta,
Vallis Aricinae densis latet abdita siluis,
Sacraque Oresteae gemitu, questuque Dianae
Impedit. Ah quoties Nymphae nemorisque, lacusque,
Ne faceret, monuere, et consolantia verba
Dixere! ah quoties flenti Theseïus heros,

478 Mss. plurimi *alimentaque mitia.* 485 *Quem* pro *qui* ex Cantabr. Sed tum Heins. porro vs. 487 volebat *Defleuere virum* aut *simul.* Burm. coni. *Defleuere: Numae num.*

pinnis intextus, quo cerui territi in retia agebantur. v. Inttr. ad h. l. et Cerda ad Virg. G. III, 372. *Nec celate* etc. Tibul. II, 6, 24. *cum tenues hamos abdidit ante cibos. — congrua*, conuenientia corpori humano. Eleganter *carpere alimenta.*

FAB. III. vs. 479 — 551. *Egeria* dolens mortem Numae mutatur in *fontem.* Inserta est de *Hippolyti* fatis et transformatione in *Virbium* fab.

479 *vltro petitum.* Vid. Dionys. Halic. II. *habenas.* Ita Latinus *rerum reliquit habenas.* Virg. Aen. VII, 600. *coniuge felix*, coniugem habens e formula sollemni, de qua alibi.

482 *Egeriam* vel Nympham fuisse tradebant, vel vnam Musarum. Dionys. Halic. II, 60. Liu. I, 21. *Lucus erat — quo quia se persaepe Numa sine arbitris, velut ad congressum Deae, inferebat, Camenis eum lucum sacrauit, quod earum ibi concilia cum coniuge sua Egeria essent.*

486 *Nurus*, matronae, mulieres. Eo defuncto magnum luctum fuisse in tota vrbe, etiam Dionys. Halic. II, 76. refert.

488 *Aricia* oppidum Latii sub Albano monte, quo *Dianam* Tauricam, interfecto Thoante rege, cum Iphigenia sorore transtulit *Oresles.* Ea in proximo nemore culta ritu peregrino, quo serui mactabantur. Hygin. fab. 269. Solin. 2 p. 13. Secundum Graecos Sparten est translata aut Brauron. Pausan. III, 16.

492 *Theseius heros*, Hippolytus post mortem huc translatus a Diana. v. vs. 542.

Siste motum, dixit: nec enim fortuna querenda
Sola tua est: similes aliorum respice casus,
Mitius ista feres: vtinamque exempla dolentem,
Non mea te possent releuare! sed et mea possunt.
Fando aliquem Hippolytum vestras, puto, contigit *Hippolytus.* aures,
Credulitate patris, sceleratae fraude nouercae
Occubuisse neci. Mirabere, vixque probabo.
Sed tamen ille ego sum: me Pasiphaëia quondam
Tentatum frustra patrium temerasse cubile,
[Quod voluit, finxit voluisse, et crimine verso,]
Indiciine metu magis, offensane repulsae,
Arguit: immeritumque pater proiecit ab vrbe,
Hostilique caput prece detestatur euntis.
Pittheam profugo curru Troezena petebam,

493 Heins. vult, *Sit modus o, dixit.* 497 *puto* ex Vrbin. Berneg. Arond. Oxon. et aliis pro *si.*

497 *Hippolyti* fabulam tractarunt Euripid. et Seneca in Hippolyt. Virg. Aen. VII, 761. sqq. Cf. Hygin. fab. 47. et Cluuer. in Ital. ant. p. 931 s. Fuit Ariciorum domestica fabula. Pausan. II, 9.

500 *Pasiphaëia*, Phaedra Minois et Pasiphaës filia, quam, mortua Hippolyta, coniugem duxit Theseus. Ea exarsit in amorem Hippolyti, et studio venandi et virginitate Dianam colentis. *Frustra tentatum* inuenem, indignissime ferentem incestos novercae amores, *arguit*, *patrium temerasse cubile*, i. incesti stupri insimulauit. *Temerare*, stupro polluere, *patrium cubile* etiam II, 592. *χραῦναι λέχος*, Eurip. 1266. Credulus pater fidem habens fraudi sceleratae nouercae, *immeritum*, innocentem, *proiecit ab vrbe*, in exilium abegit, *Hostilique prece caput eius detestatur*, Neptunum orat, vt filium ob cubile patrium temeratum interficiat. Vs. 502. *Quod voluit* etc. cum Heinsio adulterinum iudico. Post *offensane repulsae* subintel. *dubium est.* Heins. tameu suspicatur, *το magis* obrepsisse in locum *τῷ dubium. Proiici* saepe de exsulibus dici docet Burm. Hygin. e coni. Schefferi, *moenibus excedere iussit.* Indictum ei est, *ὡς χρὴ ἐτ' ἐν γῇ τῇδ' ἀναστρέφοντι πόδα.* Eurip. vs. 1176. et vs. 893. ipse Theseus, *ἐξελῶ σφε τῆσδε γῆς.* 973. *ἐξέβης γαίας τῆσδε ὅσον τάχος φυγάς. Hostilique* etc. Eurip. 895. 1045.

506 *Pittheam*, vbi Pittheus regnabat, apud quem educatus Hippolytus. Conf. cum seqq. Eurip. vs. 1162 sqq. vbi nuntius haec narrat. Ibi Hippolytus via vehitur, quae recto tramite ad Argos ducit et Epidaurum. Vbi litus attigit ponti Saronici, gravis fremitus, tamquam tonitru

Iamque Corinthiaci carpebam litora ponti,
Cum mare ſurrexit, cumulusque immanis aquarum
In montis ſpeciem curuari, et creſcere viſus,
Et dare mugitus, ſummoque cacumine ſindi.
Corniger hinc taurus ruptis expellitur vndis,
Pectoribusque tenus molles erectus in auras,
Naribus, et patulo partem maris euomit ore.
Corda pauent comitum, mihi mens interrita manſit,
Exſiliis contenta ſuis, cum colla feroces
Ad freta conuertunt, adrectisque auribus horrent
Quadrupedes, monſtrique metu turbantur, et altis
Praecipitant currus ſcopulis. Ego ducere vana
Frena manu, ſpumis albentibus oblita, luctor;
Et retro lentas tendo reſupinus habenas,
Nec vires tamen has rabies ſuperaſſet equorum,
Ni rota, perpetuum qua circumuertitur axem
Stipitis occurſu fracta ac disiecta fuiſſet.
Excutior curru: lorisque tenentibus artus
Viſcera viua trahi, neruos in ſtirpe teneri,

515 Exc. Calandr. *exilii ſui*, quod elegans videtur Heinſ.
525 Heinſ. pro *in ſtirpe* coni. *in vepre* et Senec. Hip. 1002.

Iouis auditur, quo percuſſi equi caput auresque arrigunt, comitesque metu corripiuntur. Mox fluctus decumanus ad aſtra ſurgens, atque Iſthmum petramque Aeſculapii abſcondens, taurum, ferum monſtrum, protrudit, quo conſternantur equi. Hippolytus equeſtris artis guarus arripit habenas. Fruſtra. Rota illiditur ſaxo, currus labitur excutitque Hippolytum. Miſer habenis involutus raptatur; caput impingitur ſaxis, membra vulnerantur. Tandem ſectis comitum ope loris, exanimis iacet. Sed illud *exanimis et extremum ſpiritum trahens* Ouidio non ſatis fuit; ſingula membra foede diſcerpta nobis oſtendit.

508 Haec facta Neptuno auctore, a quo tria Theſeus optauerat, in quibus et hoc, vt Hippolytus interiret. Cic. Off. I, 10. III, 25. Schol. Eurip. ad Hippol. vſ. 1349. *Cum mare* etc. Senec. 1004. *Cum ſubito vaſtum tumuit ex alto mare, Creuitque in aſtra. — Conſurgit ingens pontus — totum mare Immugit.*

511 Ita et Euripid. vſ. 1214. Κῦμ' ἐξέπηκε ταῦρον, ἄγριον τέρας. Phocam fuiſſe Seruius ait ad Virg. Aen. VI, 448. *Taurus* ille terribilis pluribus deſcribitur a Senec. 1033 ſqq. Ibi non *partem maris*, ſed *flammam* vomit.

515 *Contenta*, occupata, intenta, quod poſterius h. l. quart. Medic. et vnus Leid. habet. Senec. 1051. *Solus immunis metu Hippolytus arctis continet frenis equos, Pauidosque notae vocis hortatu ciet.*

Membra rapi partim, partim reprenſa relinqui,
Oſſa grauem dare fracta ſonum, feſſamque videres
Exhalari animam, nullasque in corpore partes,
Noſcere quas poſſes: vnumque erat omnia vulnus.
Num potes, aut audes cladi componere noſtrae,
Nympha, tuam? vidi quoque luce carentia regna,
Et lacerum foui Phlegethontide corpus in vnda:
Nec, niſi Apollineae valido medicamine prolis,
Reddita vita foret: quam poſtquam fortibus herbis,
Atque ope Paeonia, Dite indignante, recepi,
Tum mihi, ne praeſens augerem muneris huius
Inuidiam, denſas obiecit Cynthia nubes:
Vtque forem tutus; poſſemque impune videri,
Addidit aetatem, nec cognoſcenda reliquit
Ora mihi: Cretenque diu dubitauit habendam
Traderet, an Delon. Delo, Cretaque relictis
Hic poſuit, nomenque ſimul, quod poſſit equorum

526 *Reprenſa*, retracta, *relinqui* in corpore. Hanc corporis dilacerationem expreſſit et Senec. vſ. 1082 — 1106. vbi *implicuit cadens laqueo tenaci corpus, illiſum caput Scopulis reſultat: auferunt dumi comas: ora' durus pulchra populatur lapis.* Aliquamdiu *raptum truncus ambuſta rude medium per inguen ſtipite ſiccto tenet*, mox equi *periter moram dominumque rumpunt* etc.

529 Silius X, 513. *toto corpore vulnus.*

532 *foui.* Rode: habe meinen zerriſſenen Leib im Phl. Gewaeſſer gebaehet. Immo, *fouere* notionem habet omnino gratae refectionis. Plin. V Ep. 6, 20. *platanos adſpergine fouet.* H. l. abluendo reficere. Sed Ouid. ingenio abuſus eſt. *Apollinea proles*, Aeſculapius Apollinis filius, quem ob Hippolytum in vitam reuocatum fulmine percuſſit Iupiter. V. ad II, 643. Igitur *ope Paeonia* ſimpl. ope medica, vt Virg. vſ. 769. *Paeoniis herbis.* Alium mythum ſecutus eſt Horat. IV od. 7, 25. ex quo pudicum iuuenem fruſtra in vitam reuocare conata eſt Diana.

536 *Praeſens* in coelo. Virg. *Tum pater omnipotens, aliquem indignatus ab vmbris Mortalem infernis ad lumina ſurgere vitae* etc. Aricini narrabant, Hippolytum in vitam reuocatum, cum ignoſcere patri nollet, in Italiam veniſſe, ibique conſecrato Aricinae Dianae templo regnaſſe. Pauſan. Corinth. p. 173. Apud Eurip. 1423 ſqq. Diana morientem conſolatur honoribus, quos inter Troezenios conſecuturus ſit.

539 *Addidit aetatem*, vultum et formam virilem.

542 Virg. *At Triuia Hippolytum ſecretis alma recondit Sedibus, et Nymphae Egeriae nemorique relegat. — Virbius* quaſi bis vir, παλίμβιος. Nempe in templo Dianae Aricinae domeſtica religione colebatur Virbius quidam, quem ſeriores, non ſa-

Admonuiſſe, iubet deponere: Quique fuiſti
Hippolytus, dixit, nunc idem Virbius eſto.
Hoc nemus inde colo, de Dìsque minoribus vnus
Numine ſub dominae lateo, atque accenſeor illi.
Non tamen Egeriae luctus aliena leuare
Damna valent, montisque iacens radicibus imis
Liquitur in lacrimas: donec, pietate dolentis
Mota, ſoror Phoebi gelidum de corpore fontem
Fecit, et aeternas artus tenuauit in vndas.
Tages. At Nymphas tetigit noua res: et Amazone natus
Haud aliter ſtupuit, quam cum Tyrrhenus arator
Fatalem glebam mediis adſpexit in aruis,
Sponte ſua primum, nulloque agitante, moueri,
Sumere mox hominis, terraeque amittere formam,
Oraque venturis aperire recentia fatis.
Indigenae dixere Tagen, qui primus Etruſcam
Edocuit gentem caſus aperire futuros.
Vtque Palatinis haerentem collibus olim
Romuli haſta. Cum ſubito vidit frondeſcere Romulus haſtam,
Quae radice noua, non ferro ſtabat adacto,
Et iam non telum, ſed lenti viminis arbor
Non exſpectatas dabat admirantibus vmbras.

546 *accenſeor* habent pr. Strozzae, vnus Leid. et vnus Ambroſ. Alii *aſſentior.*

tis conſtat cur, Hippolytum interpretati ſunt.

546 *Accenſeor illi*, datus ei ſum παρεδρος. Inſcriptio apud Gudium p. 30. *Dianae Areciniae et Virbio Sacr. Accenſi* dicebantur miniſtri publici magiſtratibus attributi.

550 Egeriae fons et lucus ad Ariciam eſt. Fons, olim religioſe cultus et ornatus, Iuuenal. II, 17. etiam hodie oſtenditur. *Tenuari* pr. drr. quorum corpus euaneſcit, aut in aquam abit.

FAB. IV. vſ. 552 — 59 *Tages*, auctor haruſpicinae apud Etruſcos, ex gleba. Cf. Cic. de Div. II, 23. Vid. omnino Dempſteri Etrur. Regal. III, 1. Admixta autem eſt noua haec et mira fab. per comparationem, eique et aliae ſic additae.

552 Hippolyte fuit vna ex *Amazonibus*. Quantopere *arator* ille in agro Tarquinio *obſtupuerit*, narrat Cic. d. l. *fatalem*, a fatis motam, vt homo inde oriretur.

FAB. V. vſ. 560 — 64 Romuli haſta in arborem. Cf. Plutarch. in Rom. Serv. ad Virg. Aen. III, 46. *haerentem*. Miſſa ex Auentino monte *haeſit*, fixa eſt, in Palatino. Lactant. in Argum. Erat cornea, et quamdiu illa vigebat, florebat etiam imperium Romanum.

Aut ſua fluminea cum vidit Cipus in vnda
Cornua, (vidit enim) falſamque in imagine credens *Cipus.*
Eſſe fidem, digitis ad frontem ſaepe relatis,
Quae vidit, tetigit: nec iam ſua lumina damnans
Reſtitit, vt victor domito remeabat ab hoſte.
Ad coelumque oculos, et eodem brachia tollens,
Quidquid, ait, Superi, monſtro portenditur iſto,
Seu laetum eſt, Patriae laetum, populoque Quirini:
Siue minax, mihi ſit: viridique e ceſpite factas
Placat odoratis herboſas ignibus aras;
Vinaque dat pateris, mactatarumque bidentum
Quid ſibi ſignificent, trepidantia conſulit exta.
Quae ſimul inſpexit Tyrrhenae gentis haruſpex,
Magna quidem rerum molimina vidit in illis,
Non manifeſta tamen. Cum vero ſuſtulit acre
A pecudum fibris ad Cipi cornua lumen.
Rex, ait, o ſalue: tibi enim, tibi, Cipe, tuisque
Hic locus, et Latiae parebunt cornibus arces.
Tu modo rumpe moram, portasque intrare patentes
Adpropera: ſic fata iubent. Namque Vrbe receptus
Rex eris, et ſceptro tutus potiere perenni.

565 *Cipus*, non *Cippus*, ſcribunt vetuſti Codd. Valer. Max. et nummi. 570 *brachia*. Plurimi inepte, *cornua*. 572 *patriae*. Bentl. coni. *patribus*.

FAB. VI. vſ. 565 — 621 *Cenutius Cippus* cornutus factus. Cf. Valer. Max. V, 6. Meminit eius etiam Plin. XI, 37. Fuit Praetor; ſed quo tempore vixerit, non conſtat. Hoc videmus hoc ipſo loco, nihil ei fuiſſe carius patria.

569 *remeabat ab hoſte*. Valer. M. narrat, cornua ei, cum adverſus hoſtem proficiſceretur, eſſe nata. In bello ſaepe digitos ad frontem retulerat; nunc vero rediens ab hoſte ſcire voluit, quid illa ſignificarent; itaque reſtitit etc.

574 *Placari* drr. arae, cum Dii placantur ſacris in ara factis. v. Burm. Hinc *placabilis ara* ap. Virg. Aen. VII, 764. *trepidantia*. Cf. vſ. 136.

577 *Inſpicere* et *inſpicium* pr. de haruſpicibus. v. Heinſ. *Rerum molimina*, reuolutionem ciuitatis. *Manifeſta*, certa. Sic *manifeſta victoria*, certo euentura, Flor. II, 7, 7.

580 *Cornua* ex antiquiſſima idea ſymbolum potentiae et maieſtatis. Hinc in nummis multi reges illa ſibi tribuerunt. v. Spanhem. de Vſu et Pr. Numiſ. differt. VII. — *Arces* etiam de finibus dici, docet Burm. ad Virg. G. II, 172.

Retulit ille pedem, toruamque a moenibus Vrbis
Auertens faciem, Procul, ah! procul omina, dixit,
Talia Di pellant, multoque ego iuſtius aeuum
Exſul agam, quam me videant Capitolia regem.
Dixit: et extemplo populumque grauemque Senatum
Conuocat: ante tamen pacali cornua lauro
Velat, et aggeribus factis a milite forti
Inſiſtit, priſcoque Deos e more precatus,
Eſt, ait, hic vnus, quem vos niſi pellitis vrbe,
Rex erit. Is qui ſit, ſigno, non nomine dicam.
Cornua fronte gerit, quem vobis indicat augur,
Si Romam intrarit, famularia iura daturum.
Ille quidem potuit portas irrumpere apertas:
Sed nos obſtitimus, quamuis coniunctior illo
Nemo mihi eſt. Vos Vrbe virum prohibete, Quirites,
Vel, ſi dignus erit, grauibus vincite catenis;
Aut finite metum fatalis morte tyranni.
Qualia ſuccinctis, vbi trux inſibilat Eurus,
Murmura pinetis fiunt: aut qualia fluctus
Aequorei faciunt, ſi quis procul audiat illos:
Tale ſonat populus. Sed per confuſa frementis
Verba tamen vulgi vox eminet vna, Quis ille?

603 *ſuccinctis.* Vnus Leid. *Poliacis*, eleganter, iudice Heinſ.

586 *Retulit pedem*, nempe cohorreſcens. Phaedr. II fab. 1, 6. *Feroque viſo retulit retro pedem.* Et tali horrore etiam omina auerti credebant. Theophr. ch. 16. Lenzius vero explicat: non ingreſſus eſt vrbem: *toruam*, indignationem generoſam prae ſe ferentem. Horat. III od. 5, 44. Regulus *virilem Toruus humi poſuit vultum.* — *Exſul agam*; et egit auctore Valer.

590 Non video, quomodo extra vrbem extemplo populum et Senatum conuocare potuerit. *grauem* propter auctoritatem. *Pacalis laurus*, vt *pacalis olea* VI, 111. vbi v. not. Victoriae et triumphi ſignum nunc non erat. Plin. XV, 30. de lauro, *Ipſa pacifera, vt quam praetendi etiam inter armatos hoſtes quietis ſit indicium. Velare* in hac re verb. pr. Apparet autem, exigua fuiſſe illa cornua. *Aggeribus* alio tempore a milite factis nunc verba facturus loco tribunalis vtitur.

593 Virg. Aen. XI, 301. *Praefatus Diuos ſolio ſic inſit ab alto.* Ibi Seruius: *More antiquo; nam maiores nullam orationem, niſi inuocatis numinibus inchoabant.* Lenzius contra preces commemorat, quas triumphaturi ante vrbem faciebant. Cippus vero non triumphaturus erat, ſed dicturus

597 *Famularia*, ſeruilia.

603 *Succinctis*, v. ad X, 103

Et ſpectant frontes, praedictaque cornua quaerunt.
Rurſus ad hos Cipus, Quem poſcitis, inquit, habetis,
Et, demta capiti, populo prohibente, corona,
Exhibuit gemino praeſignia tempora cornu.
Demiſere oculos omnes, gemitumque dedere,
Atque illud meritis clarum (quis credere poſſit?)
Inuiti videre caput: nec honore carere
Vlterius paſſi, feſtam impoſuere coronam.
At proceres, quoniam muros intrare vereris,
Ruris honorati tantum tibi, Cipe, dedere,
Quantum depreſſo ſubiectis bubus aratro
Complecti poſſes ad finem Solis ab ortu.
Cornuaque aeratis, miram referentia formam,
Poſtibus inſculpunt, longum manſura per aeuum.
Pandite nunc, Muſae, praeſentia numina vatum,
(Scitis enim, nec vos fallit ſpatioſa vetuſtas)

Aeſculapius.

620 *miram.* Vnus Leid. *veram*, quod non omnino damnandum cenſet Burm. niſi quis *veterem* malit.

610 In *populo prohibente* haeſerunt Iutt. Cum in Mſſ. nulla ſit varietas, Burm. coni. *populo mirante, ſpectante*, vel ſimile aliquid. Male. *Prohibente* eſt prohibere volente, nempe clamoribus ſuis, inuito populo. Nolebat populus tam clarum meritis caput corona privari. Itaque rurſus ei *imponunt feſtam coronam.* Plane ſic *ſe prohibente* legitur V, 45. Populi ſenſus mox bene expreſſus, ſed inepte additum, *quis credere poſſit?*

620 Valer. d. l. de hoc *Cipo*: *Capitis effigies aereae portae, qua exceſſerat, incluſa eſt, diſtaque rauduſcula; nam olim aera raudera dicebantur.* M. Varro: *Deinde porta rauduſcula, quod aerata fuit, aes raudum dictum.*

FAB. VII. vſ. 622—744. *Aeſculapius in inſulam Tiberis arceſſitus.* A. V. 462. Q. Fabio Gurgite, D. Iunio Bruto Scaeva Coſſ. peſtilentia vaſtauit vrbem agrosque. Libri Sibyllini aditi, quodnam remedium eius mali a Diis daretur. Aeſculapium ab Epidauro arceſſi iuſſerunt. Legati anguem, qui ſe in nauem eorum contulerat, in quo ipſe Deus latebat, deportauere: eoque in inſulam Tiberis egreſſo, eodem loco ſedes Aeſculapio conſecrata eſt. Liuius X, 47. Epitome Liv. lib. XI. Valer. Max. I, 8. Oroſius III, 22. Lactant. Inſt. II, 7, 13. Plutarch. Quaeſt. Rom. To. VII. Opp. p. 153. edit. Reisk. — Tota fab. a Noſtro magna cum diligentia, multoque ingenio tractata.

623 Inuocatio Deorum in rebus a *ſpatioſa*, longe remota a noſtris temporibus, *vetuſtate* repetitis, ad exemplum Homeri Il. β, 484. et Virg. Aen. VII, 641. inſtituta. Et ita nouo modo a fab. ſuperiore tranſit ad ſequentem.

Vnde Coroniden circumflua Thybridis alueo
Insula Romuleae sacris adsciuerit vrbis.
Dira lues quondam Latias vitiauerat auras,
Pallidaque exsangui squalebant corpora tabo:
Funeribus fessi postquam mortalia cernunt
Tentamenta nihil, nihil artes posse medentum,
Auxilium coeleste petunt: mediamque tenentes
Orbis humum Delphos adeunt, oracula Phoebi;
Vtque salutifera miseris succurrere rebus
Sorte velit, tantaeque vrbis mala finiat, orant.
Et locus, et laurus, et, quas habet illa, pharetrae,
Intremuere simul: cortinaque reddidit imo
Hanc adyto vocem, pauefactaque pectora mouit:
Quod petis hinc, propiore loco, Romane, petisses;

634 Vulgo, *habet ipse pharetras.* Pr. Pal. alter Hamb. et vnus Med. *ipsa illa pharetras.* Alii *ipsa pharetrae.* Hinc Heins. loc. constituit.

624 *Vnde — vrbis*, quam ob causam Aesculapius, Deus Epidaurius, a Romanis in insula Tiberis coli coeptus sit. *Coronides*, Aesculapius Apollini e Coronidis vtero exsectus. II, 628 sqq. *Thybridis alueo*, Thybride. Sed *alueo* pro vulg. *alti* de suo dedit Heins. Forte praestat, *vndis*, quod exhibent pr. Vatic. pr. Ambros. Neap. et 2 Medic. Burm. habet, *Thybride flauo.* Ea insula dicta *insula Aesculapii.* Sueton. Claud. 25. De eius origine v. Liv. II, 5. Mox recte *adsciuerit;* Diis enim indigenis, domesticis, patriis opp. *adsciti* (Graec. ἐπίθετοι), eorumque sacra *adscita.* v. Heins.

626 *Dira*, graue epitheton, quo tria simul significantur, a Diis iratis immissa, mali ominis et praeter modum omnia vastans, vt *dira grando* Horat. I od. 2, 2. Liv. d. l. *pestilentia vrens simul vrbem atque agros; portentoque iam similis erat clades.* Copiosiorem pestilentiae descriptionem habes supra VII, 523 sqq. Itaque h. l. paucis ea defungitur. *exsangui tabo*, sanguine in tabum, saniem corrupto.

630 *Orbis humus* pro, orbis terrarum. *mediam tenentes.* v. ad X, 167.

634 Locus adumbratus e Virg. Aen. III, 90. *illa*, laurus, *habet pharetras*, ea ornatae sunt pharetrae. v. I, 558. Lenzius vero intel. pharetras e lauro suspensas: Apollinem enim, vbi templum intrarit, e mente Ouidii pharetram sic suspendisse. *Tremor* ille signum praesentiae diuinae. Cf. vs. 671 s. *cortina*, operculum tripodis, ὄλμος. Ex *imo adyto*, ex imo specu, cui cortina imposita. *cortina reddidit vocem*, vox elata est per cortinam.

637 *Propiore loco.* Lenzius obseruat, Epidauron Romanis propiorem fuisse oraculo Delphico. Id falsum esse, mappa Geographica docere quemque potest. Imo Delphi propiores Romanis Epidauro. Burm. putat, poëtam confudisse Epidaurum Illyricam cum Peloponnesiaca. Non nego, Veteres, ipsumque Ouidium, passim lapsos esse in Geographicis; sed nunc per *propiorem locum* ipsam Romam intellexit, vbi libri Sibyllini seruabantur. Quod *petis*, scire cupis ex me, quale nempe remedium morbi sit, id potuisses Romae e libris Sibyllinis cognoscere. Et id esse factum, Liuius d. l. docet, *Libri aditi, quinam finis, aut quod remedium eius mali a Diis daretur. Inuentum in libris, Aesculapium ab Epidauro Romam arcessendum.* Sin Epidaurum intelligere vellemus, ineptum fuisset et stultum oraculum. Qui enim sponte scire Romani poterant, Aesculapium esse arcessendum?

642 *Quam vrbem colat*, qua in vrbe templo et sacris colatur. v. ad X, 529. *litora.* Epidaurus enim in Argiae litore orientali sita ad sinum Saronicum. Ex eadem vrbe Aesculapii cultus in alias terras propagatus. Pausan. II, 26.

645 *Concilium*, populum conuocatum. *certas sortes.* v. ad I, 491. *Sortes dicunt* et alibi legitur, monente Heins. Non tamen Burm. spernit lectionem nonnullorum Mss. *certas addicere sortes;* nam *addicere* verb. in hac re proprium.

648 *Dissidet sententia.* v. ad vs. 27. *sera lux*, vltima diei pars. Etiam vs. sq. iugulat Heins. atque frigiditate sua Ouidio indignum pronuntiat. Sed abesse non potest; quandoquidem homines *crepusculi* tempore nondum dormiunt. Ouidius tria tempora se excipientia indicare voluit, seram lucem, crepuscula, ipsam noctem; cui similis vs. 663 s. Neque frigide noctem expressit. Ea *vmbra* passim dici solet. Aen. III, 589. *Humentemque Aurora polo dimouerat vmbram.* Tum *inducere tenebras rebus* apud ipsum Nostrum legitur II, 395.

Et pete nunc propiore loco: nec Apolline vobis,
Qui minuat luctus, opus est, sed Apolline nato.
Ite bonis auibus, prolemque arcessite nostram.
Iussa Dei prudens postquam accepere Senatus,
Quam colat, explorant, inuenis Phoebeius vrbem,
Quique petant ventis Epidauria litora mittunt.
Quae simul incurua missi tetigere carina,
Concilium Graiosque patres adiere: darentque
Orauere Deum, qui praesens funera gentis
Finiat Ausoniae: certas ita dicere sortes.
Dissidet, et variat sententia: parsque negandum
Non putat auxilium: multi renuere, suamque
Non emittere opem, nec numina tradere suadent.
Dum dubitant, seram pepulere crepuscula lucem,
Vmbraque telluris tenebras induxerat orbi:

650 Burm. praefert *amittere* ex Oxon. quart. Medic. Arond. et 7 aliis, quia mox *emittere.*

Cum Deus in ſomnis opifer conſiſtere viſus
Ante tuum, Romane, torum: ſed qualis in aede
Eſſe ſolet: baculumque tenens agreſte ſiniſtra
Caeſariem longae dextra deducere barbae,
Et placido tales emittere pectore voces:
Pone metus; veniam; ſimulacraque noſtra relinquam:
Hunc modo ſerpentem, baculum qui nexibus ambit,
Perſpice, et vsque nota viſu, vt cognoſcere poſſis.
Vertar in hunc; ſed maior ero, tantusque videbor,
In quantum verti coeleſtia corpora debent.
Extemplo cum voce Deus, cum voce Deoque
Somnus abit, ſomnique fugam lux alma ſecuta eſt.
Poſtera ſidereos Aurora fugauerat ignes:
Incerti quid agant proceres ad templa petiti
Conueniunt operoſa Dei: quaque ipſe morari
Sede velit, ſignis coeleſtibus indicet, orant.
Vix bene deſierant, cum criſtis aureus altis
In ſerpente Deus praenuntia ſibila miſit,
Aduentuque ſuo ſignumque, arasque, foresque,
Marmoreumque ſolum, faſtigiaque aurea mouit:
Pectoribusque tenus media ſublimis in aede

655 *Baculum agreſte.* v. ad II, 681. Bacillum habebat nodoſum, quod difficultatem artis ſignificabat. *caeſaries barbae*, barba. Minut. Felix, *Aeſculapius bene barbatus, etſi ſemper adoleſcentis Apollinis filius.* Interdum tamen et imberbis exhibebatur. Spanhem. de Vſu et Pr. num. p. 181. Et omnino varie fingebatur. Epidauriam eius imaginem deſcribit Pauſan. II, 27. In ſolio ſedens altera manu baculum tenebat, altera ſerpentis caput premebat, cane ad pedes iacente. Barbam ſecundum Albricum de Deorum Imagg. 20 dextra *tenebat*, ſed Noſter maluit *barbam deducere manu* pro, manum deducere in barba apprehenſa. IV, 311. *deducere pectine crines.*

659 *Serpens* datus Aeſculapio, quod vigilantiſſimum eſt animal, quae res ad tuendam valetudinem aegroti maxime apta eſt. v. Feſtus lib. 9. *Notare viſu*, vt XI, 714 *notare oculis. maior ero;* nam omnino corpora Deorum maiora erant humanis. V. nos ad Plin. VII Ep. 27, 2.

666 *Proceres* Epidaurii. *operoſa*, magno artificio, magnoque labore exſtructa, adeoque et ſplendida et ampla. V. ad I, 258. *coeleſtibus*, diuinis.

669 *Aureus* commune epitheton eſt omnium Deorum. Et Epidaurii Aeſculapio *fului* ſerpentis atque innoxii genus potiſſimum conſecrarant. Pauſan. II, 28. *mouit.* Cf. vſ. 635. *Pectoribus tenus.* V. ad III, 43.

Conſtitit; atque oculos circumtulit igne micantes.
Territa turba pauet: cognouit numina caſtos
Euinctus vitta crines albente ſacerdos,
Et, Deus en, Deus en; linguisque animisque fauete,
Quisquis ades, dixit. Sis, o pulcherrime, viſus
Vtiliter: populosque iuues tua ſacra colentes.
Quisquis adeſt, iuſſum venerantur numen: et omnes
Verba ſacerdotis referunt geminata, piumque
Aeneadae praeſtant et mente et voce fauorem.
Adnuit his: motisque Deus rata pignora criſtis,
Ter repetita dedit vibrata ſibila lingua.
Tum gradibus nitidis delabitur, oraque retro
Flectit, et antiquas abiturus reſpicit aras,
Adſuetasque domos, habitataque templa ſalutat.
Inde per iniectis adopertam floribus ingens
Serpit humum, flectitque ſinus, mediamque per vrbem
Tendit ad incuruo munitos aggere portus.
Reſtitit hic: agmenque ſuum, turbaeque ſequentis
Officium placido viſus dimittere vultu,
Corpus in Auſonia poſuit rate. Numinis illa
Senſit onus: preſſaque Dei grauitate carina,

675 *caſtos.* Cantabr. Noric. ſex pro diuerſa lect. *numen Acaſtus.* Vnus Baſ. *Acaſtos.*

675 Valer. Max. *Is anguis, quem Epidaurii raro*, (inde turbae pauor) *ſed nunquam ſine magno ipſorum bono viſum* (inde ſacerdotis animus) *in modum Aeſculapii venerati ſunt.* De *albente* ſacerdotum vitta v. ad III, 516. *Euinctus*, vt et ap. Virg. Aen. V, 269. 494. *Caſtum* pietatis et ſanctitatis notionem habet, adeoque in primis ſacerdotibus tribuitur. *Pulcher* frequens epitheton Deorum. Aen. VII, 656. *fatus Hercule pulchro Pulcher Auentinus.*

681 *Referunt geminata*, repetunt. *praeſtant* etc. fauent linguis animisque.

686 *Antiquas*, v. ad I, 116. Valer. M. *Per vrbis celeberrimas partes mitibus oculis et leni tractu labi coepit — ad triremem Romanam perrexit.*

691 *Turbae ſequentis officium*, turbam officii cauſſa ipſum proſequentem. *Officium* verb pr. de honore, qui alicui habetur ſectando, deducendo etc. *poſuit rate.* Valer. M. *Eo conſcendit, vbi Q. Ogulnii legati tabernaculum erat, inque multiplicem orbem, per ſummam quietem, eſt conuolutus.*

694 Cf. III, 621. Dorvill. in Cod. antiquo reperit *carina eſt.* Hinc idem malit legere: *et preſſa D. gr. carina eſt. Aeneadae* etc.

Aeneadae gaudent, caesoque in litore tauro
Torta coronatae soluunt retinacula naui.
Impulerat lenis aura ratem. Deus eminet alte,
Impositaque premens puppim ceruice recuruam
Caeruleas despectat aquas: modicisque per aequor
Ionium Zephyris sexto Pallantidos ortu
Italiam tenuit: praeterque Lacinia templo
Nobilitata Deae, Scylaceaque litora fertur.
Linquit Iapygiam, laeuaque Amphissia remis
Saxa fugit: dextra praerupta Ceraunia parte,
Romechiumque legit, Caulonaque, Naryciamque,
Euincitque fretum, Siculique angusta Pelori,
Hippotadaeque domos regis, Temesesque metalla,

696 *naui.* Mitscherl. reuocauit *puppis.*

695 *Caeso tauro*, ex more solventium appellentiumque. *coronatae* ob discessum optatum, vt alibi ob reditum saluum, hostemve victum. Valer. Max. d. l. *Tum legati perinde atque exoptatae rei compotes, expleta gratiarum actione, cultuque augusti a pontifice accepto, laeti inde soluerunt.*

700 *Zephyris*, ventis omnino. Nam ab Epidauro Italiam petentibus contrarius est Zephyrus. *Lacinium* promontorium prope Crotonem, cum *templo* Laciniae Iunonis, sancto omnibus circa populis. Liv. 24, 3. *Deae* pro *Deae* dedit Heins. e Mss. Thuan. Polit. prim. Vatic. prim. Palat. Arond. et aliis; idemque suasit praeterea, *templa* in *templo* mutandum, in quo ego ei cum Mitscherl. obsecutus sum. *Scylaceum* vel *Scylacium*, colonia Atheniensium in *litore* sita. De *Iapygia* v. ad XIV, 458. *Amphissia saxa*, promontorium Locrorum. v. Turneb. Aduers. I, 22. Sed male id in hoc itinere commemoratur. Is. Vossius, quoniam vnus cod. *Arangia* habebat, legit *Argennia*, vt Argennum promontorium Siciliae intelligatur. Sed hoc longe a freto erat. *laeuaque* recepi e Mss. Cios. vno Vatic. Cap. et vno Maffei; sequitur enim *dextra*. Probauerat etiam Ciofan. Caeteri vel *leuisque* vel *lenibusque*. In *Ceraunia* valde variant Mss. *Acroceraunia* illa Epiri h. l. intelligi nequeunt. Is. Vossius coni. *Cocintia* a Cocinto promontorio. Heins. e Mss. multis *Celennia* defendit. Lenzius, si versus admitteret, legeret, quod Micyl. suasit, *Caenyia*, a promontorio Italiae *Caenys*. *Romechium* apud nullum Geographum reperitur. Is. Vossius, cui adsentitur Heins., legit, *Lametumque*. Lenz. e coniect. Regii praefert *Rheginum*. *Caulon* vel *Caulonia* Achaeorum colonia, in alto litore condita. *Naryx* vel *Naricium* Locrorum oppidum. Sed hoc prius nominari debuisset. *Euincit*, nauigando superat. Horat. III od. 40. *Vincunt aequora nauitae.*

707 De *Temeses metallis* v. ad VII, 207. *Leucosia*, insula contra Paestanum sinum. Plin. III,

Leucosiamque petit, tepidique rosaria Paesti.
Inde legit Capreas, promontoriumque Mineruae,
Et Surrentino generosos palmite colles,
Herculeamque vrbem, Stabiasque, et in otia natam
Parthenopen, et ab hac Cumaeae templa Sibyllae.
Hinc calidi fontes, lentisciferumque tenentur
Liternum, multamque trahens sub gurgite arenam
Vulturnus, niueisque frequens Sinuessa columbis,
Minturnaeque graues, et quam tumulauit alumnus,
Antiphataeque domos, Trachasque obsessa palude,
Et tellus Circaea, et spissi litoris Antium.
Huc vbi veliferam nautae aduertere carinam,
(Asper enim iam pontus erat) Deus explicat orbes,

6. Heins. mallet *Leucasia*, quia *Leucosia*, Λευκωσία, apud Graecos syllabam secundam producit. Sed et alii licentia poetica secundam breuem fecerunt. v. Drakenb. ad Silium VIII, 580. *Paestum*, vrbs Lucanorum, et clementissimo coelo vtens, et rosis abundans. Hinc *tepidi rosaria Paesti* e Virg. G. IV, 119. *biferi rosaria Paesti*. v. Cluuer. Ital. Antiq. IV, 14.

710 *Surrentini colles* ad sinum Campaniae abundabant generoso vino. Plin. XIV, 2. *Herculeam vrbem*, Herculanum. *in otia natam*, vbi studia vel maxime coluntur. *otiosa Neapolis* Horat. Epod. V, 43. *docta Neapolis* Martial. V Epigr. 78. *Hospita Musis otia* ei tribuit Silius XII, 31. De *Cumis* v. ad XIV, 104. *templa*, antrum.

714 *Liternum* (Vulg. *Linternum*. v. Heins. et Cluuer. Ital. Antiq. IV, 2.) oppidum Campaniae. Ibi frequens *lentiscus*, arbor mastichen fundens. Plin. XIV, 20. Per *calidos fontes* Baias intel. Farnab. Imo tota haec litora calidis fontibus rigantur. Plin. III, 5.

715 *frequens Sinuessa columbis*, vt Dionaeis auibus circumsona Thisbe ap. Stat. VII, 261. In Campania grandissimas prouenire columbas, tradit Plin. X, 37. *Graues*, parum salubres ob palustre solum. *Palustres Minturnae* ap. Horat. Ep. I, 5, 4. *grauitas coeli* sic est ap. Cic. Att. XI, 22. *quam tumulauit alumnus*, Caieta. vid. XIV, 157. Mulierem posuit pro loco, qui inde nomen accepit. De *Antiphate* v. XIV, 234. et paullo post etiam de *Circaea* tellure. *Trachas*, Anxur, quae etiam Trachina, et Tarracina dicta. Liv. IV extr. *Anxur fuit, qua nunc Tarracinae sunt, vrbs prona in paludes. Antium*, oppidum Latinorum maritimum. Hic egressum esse Aesculapium, etiam Valer. Max. d. l. tradit. Recte igitur Regius *Ancon* mutasse videtur in *Antium*, quod Heins. etiam in multis Mss. reperit. *spissi*, densi, duri.

720 — 27 Vide diligentiam, ingenium et ornatum in hac narratione. *Templa parentis*. Valer. M. ipsius Aesculapii templum nominat. Sed parum credibile, eum iam tum cultum esse ab Antiatibus. *explicat orbes*. Contra Virg. Aen. XII, 743. *implicat orbes.*

Perque ſinus crebros, et magna volumina labens,
Templa parentis init flauum tangentia litus.
Aequore pacato patrias Epidaurius aras
Linquit, et hoſpitio iuncti ſibi numinis vſus,
Litoream tractu ſquamae crepitantis arenam
Sulcat, et, innixus moderamine nauis, in alta
Puppe caput poſuit: donec Caſtrumque, ſacrasque
Lauinî ſedes, Tiberinaque ad oſtia venit.
Huc omnes populi paſſim, matrumque, patrumque
Obuia turba ruit, quaeque ignes, Troïca, ſeruat
Veſta, tuos, laetoque Deum clamore ſalutant.
Quaque per aduerſas nauis cita ducitur vndas,
Tura ſuper ripas, aris ex ordine factis,
Parte ab vtraque ſonant, et odorant aëra fumis:
Ictaque coniectos incalfacit hoſtia cultros.
Iamque caput rerum, Romanam intrauerat vrbem:
Erigitur ſerpens, ſummoque adclinia malo
Colla mouet, ſedesque ſibi circumſpicit aptas.
Scinditur in geminas partes circumfluus amnis:
Inſula nomen habet: laterumque a parte duorum
Porrigit aequales media tellure lacertos.
Huc ſe de Latia pinu Phoebeïus anguis
Contulit, et finem, ſpecie coeleſte reſumta,
Luctibus impoſuit, venitque ſalutifer Vrbi.
Hic tamen acceſſit delubris aduena noſtris:

Iulius Caeſar.

737 Vulg. *accliuia malo.*

Plin. IX Ep. 33, 5. *orbos implicitat expeditque.* — *Sulcat.* V ad IV, 706. *Crepitantis.* III, 75. de ſerpente, *Terra raſa ſonat ſquamis.*

727 *Caſtrum* Inui, vrbs Rutulorum. *ſacras ſedes*, quia Aeneas Penates ibi in Palladis templo poſuit. *Paſſim*, ſine ordine, bene coniungitur cum *ruit*, quod et ipſum eſt, currere ſine lege. *Troica Veſta*, quam Aeneas vna cum igne ſacro et Penatibus aſportauit. Virg. Aen. II, 296.

734 *Sonare* de crepitu turis. *Odorant fumis*, replent fumis odoratis. *Coniectus* vt *adiectus* pr. de cultro adacto, v. Gronov. Obſ. p. 87.

739 — 41 Praeclara inſulae, quam fluuius facit, deſcriptio. *Porrigit*, extendit. Feſtus: *In inſula Aeſculapio facta aedes fuit, quod aegroti a medicis aqua maxime ſuſtentantur.* Caeterum hunc Aeſculapii in ſerpente latentis aduentum nummis etiam celebrarunt Romani. Spanhem. de Vſu et Praeſt. num. II, 217.

FAB. VIII, vſ. 745 — 870 *Iulii Caeſaris apotheoſis* grauiter

Caeſar in vrbe ſua Deus eſt: quem Marte, togaque
Praecipuum, non bella magis finita triumphis,
Resque domi geſtae, properataque gloria rerum
In ſidus vertere nouum, ſtellamque comantem,
Quam ſua progenies. Neque enim de Caeſaris actis
Vllum maius opus, quam quod pater exſtitit huius.
Scilicet aequoreos plus eſt domuiſſe Britannos,
Perque papyriferi ſeptemflua flumina Nili
Victrices egiſſe rates, Numidasque rebelles,
Cinyphiumque Iubam, Mithridateisque tumentem
Nominibus Pontum, populo adieciſſe Quirini,
Et multos meruiſſe, aliquos egiſſe triumphos,
Quam tantum genuiſſe virum, quo praeſide rerum
Humano generi, Superi, cauiſtis abunde.
Ne foret hic igitur mortali ſemine cretus,
Ille Deus faciendus erat. Quod vt aurea vidit
Aeneae genitrix: vidit quoque triſte parari
Pontifici letum, et coniurata arma moueri.
Palluit, et cunctis, vt cuique erat obuia, Diuis,

759 Vulg. *fauiſtis abunde*, quod fluxit ex interpretatione τῷ *cauiſtis*. 762 Mitſcherl. verba *vidit quoque — — moueri* ſignis parentheſeos incluſit, quod et alii fecere. Male. Nam *palluit* ad hoc membrum pertinet.

et in maximum Auguſti honorem tractata. Cauſſam eius a it Venus, vnde genus ducebat Caeſar, in concilio Deorum, eamque adiuuat Iupiter. Ineſt h. l. catalogus rerum et a Caeſare et ab Auguſto geſtarum.

748 *Properata*, properanter parta. Cic. pro Marc. 2. de Caeſare, *Nec vero disiunctiſſimas terras citius cuiusquam paſſibus potuiſſe peragrari, quam tuis non dicam curſibus, ſed victoriis luſtratae ſunt.* De *ſtella comante* v. vſ. 849.

750 Mirum in modum adulatur Auguſto. *Scilicet* ironicae locutioni inſernit. Male igitur Tan. Faber emend. *minus eſt domuiſſe.* Lenzius totum loc. vsque ad *cauiſtis abunde* interrogatiue capit. Sed hoc non patitur, opinor, τὸ *ſcilicet.* Vertit tamen ſic et Rode. *aequoreos*, aequore cinctos. *Papyrifer Nilus* etiam III Triſt. 10, 27. *Numidas rebelles*, qui iugum recipere nolebant, ſed ſemper excutiebant, et qui *Iuba* duce arma contra Caeſarem ſumſerunt. *Cinyphium*, Africanum, a Cinype Africae fluuio. VII, 272. *nominibus*, gloria et fama. — *Aliquos egiſſe.* Quinquies triumphauit; nempe quater eodem menſe poſt deuictum Scipionem, et rurſus ſemel poſt ſuperatos Pompeii liberos. Sueton. Caeſ. 37. — *cauiſtis*, proſpexiſtis, conſuluiſtis.

Adſpice, dicebat, quanta mihi mole parentur
Inſidiae, quantaque caput cum fraude petatur,
Quod de Dardanio ſolum mihi reſtat Iulo.
Solane ſemper ero iuſtis exercita curis?
Quam modo Tydidae Calydonia vulneret haſta.
Nunc male defenſae confundant moenia Troiae:
Quae videam natum longis erroribus actum
Iactarique freto, ſedesque intrare ſilentum,
Bellaque cum Turno gerere, aut, ſi vera fatemur,
Cum Iunone magis. Quid nunc antiqua recordor
Damna mei generis? timor hic meminiſſe priorum
Non ſinit. In me acui ſceleratos cernitis enſes:
Quos prohibete, precor, facinusque repellite, neue
Caede ſacerdotis flammas exſtinguite Veſtae.
Talia nequicquam toto Venus anxia coelo
Verba iacit, Superosque mouet: qui rumpere quamquam
Ferrea non poſſunt veterum decreta ſororum,
Signa tamen luctus dant haud incerta futuri.
Arma ferunt nigras inter crepitantia nubes,
Terribilesque tubas, auditaque cornua coelo
Praemonuiſſe nefas. Phoebi quoque triſtis imago
Lurida ſollicitis praebebat lumina terris,
Saepe faces viſae mediis ardere ſub aſtris:
Saepe inter nimbos guttae cecidere cruentae.
Caerulus et vultum ferrugine Lucifer atra

769 Venus vulnerata Diomedis haſta. Homer. Il. ε, 335. *Calydonia.* v. ad XIV, 513. *confundant,* pudore ſuffundant. *Cum Iunone,* ea enim impulſus Turnus arma mouerat.

778 *Ignis Veſtae exſtinctus* fuit in prodigiis. v. Ciofan. ad h. l.

781 *Veterum ſororum* pro, vetera decreta ſororum, Parcarum. Niſi mauis ſenes Parcas intelligere. *vetus* enim ſic dr. et Parcae fingebantur ſenes. V. Lenzius. *ferrea,* immutabilia. *Sig* [illegible] prodigia ſequentia ſumta ſunt e Virg. G. I, 464. ſqq. quamquam etiam hiſtoricis celebrata. Cf. Tibul. II, 71 — 78. et Cic. de Diu. I, 10. ſqq. *luctus futuri,* bellorum ciuilium inſtantium. Nam ſecundum Virg. illa acciderunt poſt caedem Iulii Caeſaris.

783 Virg. *Armorum ſonitum toto Germania coelo Audiit.* Tibul. *Atque tubas, atque arma ferunt crepitantia coelo Audita.* De *crepitu* armorum v. ad I, 143. *Phoebi imago,* Phoebus, ſol per totum illum annum pallidior ſolito fuit. Plin. II, 30. Plutarch. in Iulio Caeſ. extr.

789 *Ferrugo* poëtis tenebrae, caligo. Virgil. *Caput obſcura nitidum ferrugine texit.* Eam ferruginem ſolis interdum, etiam hodie, efficiunt vapores, quibus aër repletus, qui et ſanguineam reddunt lunam. — De *bubone* v. ad X, 453.

792 *Ebur,* ſtatuae eburneae. Eae cum tempore pluuio humidae eſſent, lacrimare credebantur. Virg. *moeſtum illacrimat templis ebur, aeraque ſudant.* Tibul. *ſimulacra Deum lacrimas fudiſſe tepentes.* — *cantus,* voces, quaſi oraculo editae, quales ſaepe auditae inter omina habita. Ita Burm. contra Brouckhuſ. qui malebat, *planctus.* Virg. *Vox quoque per lucos vulgo exaudita ſilentes Ingens.* Tibul. *lucos praecinuiſſe fugam.*

794 *Litare,* i. Deos placare, drr. et homines, et victimae et arae. v. Schwarz. ad Plin. pan. cp. 52. *Fibra — extis.* Virg. *nec tempore eodem Triſtibus aut extis fibrae adparere minaces Aut puteis manare cruor ceſſauit.* — *Caput,* nempe extorum, quod *caeſum* cultro victimarii mali ominis erat. Liu. VIII, 9. *Decio caput iecinoris a familiari parte caeſum aruſpex dicitur oſtendiſſe, alioqui acceptam Diis hoſtiam eſſe.*

796 — 98. Virg. *Obſcoenique canes Signa dabant — inſolitis tremuerunt motibus Alpes — ſimulacra modis pallentia miris Viſa ſub obſcurum noctis.*

800 *Praemonitus,* ſigna praemiſſa. *templum* nunc curia, vt ſaepe ap. Cic. quia illa inaugurata; *templum* enim omnis locus inauguratus et ſanctus. *ſtricti ferruntur* pro, ſtringuntur in templo; nam inuoluti illati erant in curiam. Dio 44, 16.

804 *condere,* Caeſarem. De *Paride erepto* v. Homer. Il. γ, 380. *infeſto Atridae,* Menelao, quocum certabat. De *Aenea* v. Il. ε, 311. ſqq.

Sparſus erat, ſparſi lunares ſanguine currus.
Triſtia mille locis Stygius dedit omina bubo:
Mille locis lacrimauit ebur, cantusque feruntur
Audiri, ſanctis et verba minacia lucis.
Victima nulla litat: magnosque inſtare tumultus
Fibra monet: caeſumque caput reperitur in extis.
Inque foro, circumque domos, et templa Deorum
Nocturnos vlulaſſe canes, vmbrasque ſilentum
Errauiſſe ferunt, motamque tremoribus vrbem.
Non tamen inſidias, venturaque vincere fata
Praemonitus potuere Deum: ſtrictique feruntur
In templum gladii: neque enim locus vllus in Vrbe
Ad facinus, diramque placet, niſi Curia, caedem.
Tum vero Cytherea manu percuſſit vtraque
Pectus: et aetheria molitur condere nube,
Qua prius infeſto Paris eſt ereptus Atridae
Et Diomedeos Aeneas fugerat enſes.
Talibus hanc genitor: Sola inſuperabile fatum,

Nata, mouere paras? intres licet ipsa Sororum
Tecta trium: cernes illic molimine vasto
Ex aere, et solido rerum tabularia ferro;
Quae neque concursum coeli, neque fulminis iram,
Nec metuunt vllas tuta, atque aeterna ruinas.
Inuenies illic inclusa adamante perenni
Fata tui generis: legi ipse, animoque notaui,
Et referam, ne sis etiamnum ignara futuri.
Hic sua compleuit (pro quo, Cytherea, laboras.)
Tempora, perfectis, quos terrae debuit, annis.
Vt Deus accedat coelo, templisque colatur,
Tu facies, natusque suus; qui nominis heres,
Impositum feret Vrbis onus, caesique parentis
Nos in bella suos fortissimus vltor habebit.
Illius auspiciis obsessae moenia pacem

819 Multi, *numinis heres.*

809 — 14 Grauissime immutabilitatem fatorum notat. *Rerum tabularia*, locus, in quo seruantur tabulae, quibus res fatales continentur, structus *molimine vasto*, opera maxima, *ex aere* etc. Tabularia illa Lenzius fuisse putat in limine Tartari, vbi aenei muri, et comparat Orph. h. 58, 1 s. *Concursus coeli*, tonitrua, vt VI, 695. XI, 436. Cf. Lucret. VI, 160. Sed et *concussum coeli*, quod habent plerique Mss. bene habet. Iupiter enim tonans *concutere* coelum et terram graniter dr. Hor. I od. 34, 12. *Inclusa*, incisa, insculpta, quod vtrumque Mss. multi e glossa praeferunt. Etiam Cic. Cat. I, 2. *SCtum inclusum in tabulis.* Cf. Claudian. XV, 202. vbi Atropos *voces* Iouis *adamante notat.*

819 *suus*, eius. *nom. her.* διάδοχος ὀνόματος Caesaris vr. a Dione. Sueton. Aug. 7. *Postea Caesaris, et deinde Augusti cognomen assumsit: alterum testamento auunculi.* — *suos*, fauentes.

822 *Mutinae* obsessus D. Brutus ab Antonio, quem Augustus, iussus a Senatu, vna cum Hirtio et Pansa Coss. fugauit. Flor. IV, 4. Sueton. Aug. 10. Sequentia expressa e Virg. G. I, 490. sqq. *Ergo inter sese paribus concurrere telis Romanas acies iterum videre Philippi: Nec fuit indignum Superis, bis sanguine nostro Emathiam et latos Haemi pingue scere campos*, vbi Heyn. obseruat, *Emathiam* esse quidem Macedoniae partem, ad quam nec *Pharsalus* nec *Philippi* pertineant, sed poëtas latius eo nomine vti etiam pro Thessalia. Licuisse porro poëtae, quamquam paullo crassius, in eodem loco proelium factum dicere, quod in illis regionibus, in eo regno aut plaga factum. Hinc *Pharsaline* nunc fit mentio, vbi prius proelium commissum, hinc *iterum modefacti Philippi. sentiet illum*, vsu cognoscet eius fortitudinem et consilium.

Victa petent Mutinae: Pharsalia sentiet illum,
Aemathiaque iterum madefacti caede Philippi:
Et magnum Siculis nomen superabitur vndis.
Romanique ducis coniux Aegyptia, taedae
Non bene fisa, cadet: frustraque erit illa minata,
Seruitura suo Capitolia nostra Canopo.
Quid tibi Barbariem, gentesque ab vtroque iacentes
Oceano, numerem? Quodcumque habitabile tellus
Sustinet, huius erit: pontus quoque seruiet illi.
Pace data terris, animum ad ciuilia vertet
Iura suum, legesque feret iustissimus auctor,
Exemploque suo mores reget: inque futuri
Temporis aetatem, venturorumque nepotum
Prospiciens, prolem sancta de coniuge natam
Ferre simul, nomenque suum, curasque iubebit.
Nec, nisi cum senior similes aequauerit annos,
Aetherias sedes, cognataque sidera tanget.
Hanc animam interea caeso de corpore raptam
Fac iubar, vt semper Capitolia nostra Forumque

826 *Romani ducis*, Antonii, *coniux Aegyptia*, Cleopatra, quam ille, repudiata Octauia, vxorem duxerat. *taedae non bene fisa*, tenere sperans, se nuptam Antonio potituram esse imperio Romano (Dio IV. p. 421.), *cadet*, victa ad Actium ab Augusto aspidum veneno peribit. *frustraque* etc. inuidose, frustra imperium R. affectauerit. Pro toto imperio *Capitolium* nominat, vt vs. 589. et Horat. I od. 37, 7. de eadem, *dum Capitolio Regina dementes ruinas, Funus et imperio parabat* etc. *Canopus*, numen Aegyptiorum.

829 *Barbaria*, monente Burm. totus tractus terrarum, quem barbari populi tenent.

833 *Auctor*, legislator, vt VIII, 101. Sueton. Aug. 34. *Leges retractauit, et quasdam ex integro sanxit.* Idem 32. *Pleraque pessimi exempli correxit, quae in perniciem publicam aut ex consuetudine licentiaque bellorum ciuilium duraverant, aut per pacem etiam exstiterant.*

836 *Prolem*, Tiberium, *sancta de coniuge*, Liuia, *natam*, quam praegnantem a Nerone duxit Augustus. *Sancta* sollemne epitheton mulierum castarum et probarum, etiam in Monumentis.

838 Iul. Caesar, cum interficeretur, natus erat annos LVI. Cum igitur h. l. non admodum longus vitae terminus promittatur Augusto, Heins. suadet, *cum senior Pylios aequauerit annos.* Certe *Pylios annos* Augusto precatur Noster etiam Pont. II, 8, 41. et V Trist. 5, 62. Cf. Martial. IV Epigr. 1. VIII, 2. Cum Mss. quidam *patrios* praeferant, Lenzius suadet, *patrios superaverit annos.*

Diuus ab excelſa proſpectet Iulius aede.
Vix ea fatus erat, media cum ſede Senatus
Conſtitit alma Venus, nulli cernenda, ſuique
Caeſaris eripuit membris, nec in aëra ſolui
Paſſa recentem animam, coeleſtibus intulit aſtris.
Dumque tulit, numen capere, atque igneſcere ſenſit,
Emiſitque ſinu: Luna volat altius illa,
Flammiferumque trahens ſpatioſo limite crinem
Stella micat, natique videns benefacta, fatetur
Eſſe ſuis maiora, et vinci gaudet ab illo.
Hic ſua praeferri quamquam vetat acta paternis,
Libera fama tamen, nullisque obnoxia iuſſis
Inuitum praefert, vnaque in parte repugnat.
Sic magni cedit titulis Agamemnonis Atreus:
Aegea ſic Theſeus, ſic Pelea vincit Achilles.
Denique vt exemplis ipſos aequantibus vtar,
Sic et Saturnus minor eſt Ioue. Iuppiter arces
Temperat aetherias, et mundi regna triformis:
Terra ſub Auguſto: pater eſt et rector vterque.
Dì, precor, Aeneae comites, quibus enſis, et ignis
Ceſſerunt, Dique Indigetes, genitorque, Quirine,

855 Vulg. *magnis*. Multi, *magnus*.

842 Praefero ex Thuan. Mſ. *proſpectet Iulius arce. Excelſa arx* eſt coelum. Alibi, *ſumma arx*. Similis ſententia in Epiced. Druſi vſ. 61. *ſumma facer ille locatus in arca, Res hominum ex tuto cernere dignus erat.*

849 Sueton. Iul. Caeſ. 88. *In Deorum numerum relatus eſt, non ore modo decernentium, ſed et perſuaſione vulgi. Siquidem ludis, quos primos ei heres Auguſtus edebat, ſtella crinita per ſeptem dies continuos fulſit, exoriens circa vndecimam horam: creditumque eſt, animam eſſe Caeſaris in coelum recepti: et hac de cauſſa ſimulacro eius in vertice additur ſtella.*

859 *Triformis*. v. ad XII, 40. Expreſſit autem Horat. I od. 12, 50. *Orte Saturno, tibi cura magni Caeſaris fatis data: tu ſecundo Caeſare regnes. Te minor latum reget aequus orbem: Tu graui curru quaties Olympum.* Cf. Faſt. II, 130.

861 *Aeneae comites*, Penates, quos incendio Troiano ereptos in Latium aduexit Aeneas. Ab his diuerſi *Indigetes*, ἐγχώριοι, in quibus ipſe Aeneas. XIV, 608. Expreſſus autem loc. e Virg. G. I, 498. — *Genitor*, conditor, *vrbis*. Cic. de Div. I, 2. *Huius vrbis parens Romulus*. Silius II, 654. *parens murorum*, vbi v. Drakenb. — *domeſticus*, Palatinus. *Tarda ſit* etc. Horat. I od. 2, 45. *Serus in coelum redeas, diuque Laetus interſis populo Quirini.*

871 Epilogus fideliter expreſſus ex Horat. III od. 30. Cf. etiam II, 20. et Propert. III, 1, 34 ſqq. *Exegi*, ad finem perduxi, abſolui. Horat. *Exegi monumentum aere perennius. Iouis ira*, fulmen. *edax*, omnia abſumens. Horat. *Quod non imber edax, non Aquilo impotens Poſſit diruere, aut innumerabilis Annorum ſeries, et fuga temporum.*

875 *ſuper alta perennis Aſtra ferar*, gloria mea erit aeterna. Horat. *Non omnis moriar: multaque pars mei Vitabit Libitinam. ore legar populi.* Propert. II, 1, 2. *Veniat mollis in ora liber.* vbi v. Brouckh.

Vrbis, et inuicti genitor, Gradiue, Quirini,
Veſtaque Caeſareos inter ſacrata Penates,
Et cum Caeſarea tu, Phoebe domeſtice, Veſta,
Quique tenes altus Tarpeias Iuppiter arces,
Quosque alios vati fas appellare piumque;
Tarda ſit illa dies, et noſtro ſerior aeuo,
Qua caput Auguſtum, quem temperat, orbe relicto
Accedat coelo, faueatque precantibus abſens.

Iamque opus exegi, quod nec Iouis ira, nec ignes,
Nec poterit ferrum, nec edax abolere vetuſtas.
Cum volet illa dies, quae nil, niſi corporis huius
Ius habet, incerti ſpatium mihi finiat aeui:
Parte tamen meliore mei ſuper alta perennis
Aſtra ferar, nomenque erit indelebile noſtrum,
Quaque patet domitis Romana potentia terris,
Ore legar populi, perque omnia ſecula fama,
Si quid habent veri Vatum praeſagia, viuam.

879 In multis Mſſ. hoc diſtichon eſt adſcriptum: *Bis ſex millenos verſus in codice ſcriptos, Sed ter quinque minus continet Ouidius.* Burm. monet, exſtare hodie nonniſi 11993. vt ſeptem deſint.

INDEX VERBORUM

IN OVIDII METAMORPHOSES.

Numerus Romanus librum, Arabicus versum indicat.

A

A. non socer a genero tutus. I, 145. a fronte. ib. 173. a dextra laeuaque. II, 25. cf. III, 161. aduersa a fronte. II, 476. a puero inermi. III, 553. a mero. ib. 631. sacro a corpore. IV, 448. a tanto cecidisse viro. V, 192. a tergo. ib. 614. a facto propiore. VI, 316. a magno Gradiuo. ib. 427. laudem a crimine sumit. ib. 474. a coniuge tutus (i. caelebs). VIII, 316. etc.

Ab. prima ab origine mundi. I, 3. ab alto aethere. I, 80. cf. vs. 608. non hospes ab hospite tutus. ib. 144. patria ab arce. ib. 673. rutilo ab ortu. II, 112. dextra ab aure. ib. 311. et 624. ab aeui principiis. ib. 385. densa ab vlmo. ib. 557. tumida ab ira. ib. 602. ab ictu. III, 87 et 183. medio ab albo. ib. 221. genetricis ab aluo. ib. 310. Thusca pulsus ab vrbe. ib. 624. largo satos ab imbri. IV, 282. ab his (i. post haec dicta) tacuit. ib. 329. ab hoste doceri. ib. 428. ab illo (i. post illum). ib. 464. ab origine eadem. ib. 606. Solis ab ortu. V, 445. et VI, 49. feris ab annis. VI, 29. ab Isthmo. ib. 419 sq. facinus excussit ab ore. VII, 423. ab Ioue carmina nostra move. X, 148 etc.

Aeolius, adj. ad Aeolum pertinens. Aeolius tyrannus, i. Aeolus ipſe. XIV, 232. poſtes Aeolii, i. Athamantis. IV, 486. Aeolia virgo. VI, 116. v. not. Aeolia Pitane. VII, 357.

Aeolus, Deus ventorum cuſtos. XI, 748. et XIV, 223 ſqq.

Aeſacus, filius Priami, praemoerore ob Heſperies a ſe amatae interitum ſe e ſcopulo in mare praecipitare vult, ſed a Tethye in mergum transformatur. XI, 762 ſqq. XII, 1.

Aeſar, fluuius Italiae inferioris. XV, 23.

Aeſareum flumen, idem. XV, 54.

Aeſon, Iaſonis pater. VII, 84 et 110. a Medea iuuenilem aetatem artibus magicis recipit. ib. 162 ſqq.

Aeſonides, i. Iaſon, filius Aeſonis. VII, 60. 77. 164 et 255. et VIII, 411.

Aeſonius heros, idem. VII, 156.

Aethalion, nauta. III, 647.

Aethion, vates, in nuptiis Perſei cruentis perit. V, 146.

Aethiopes, gentes nigri coloris in Africa. II, 236. IV, 668.

Aethiopes lacus. XV, 320.

Aethon, vnus ex quatuor equis ſolaribus. II, 153.

Aetna, vel *Aetna*, mons Siciliae igniuomus. II, 220. V, 352 et 442. XIII, 770. 868 et 877. XIV, 1. 160 et 188. XV, 340.

Aetnea tellus, i. Sicilia. VIII, 260.

Aetola arma. XIV, 528.

Aetolius heros, i. Diomedes. XIV, 461.

Agamemnon, filius Atrei, rex Argiuorum, ſummus Graecorum dux in bello Troiano. XIII, 184 et 444. XV, 855.

Aganippe, fons Muſarum. V, 312.

Agaue, filia Cadmi, Penthei mater, quem, adiuuantibus ſororibus, diſcerpſit. III, 725.

Agenor, rex Phoenicum, pater Cadmi et Europes, a Ioue raptae. II, 858. vbi et in ſqq. vſt. hic raptus narratur. Agenore natus, i. Cadmus. III, 51 et 97. v. etiam vſ. 257.

Agenorides, i. Cadmus, filius Agenoris. III, 8. 81 et 90. IV, 562. it. Perſeus. IV, 771.

Aglauros, filia Cecropis. II, 560. 739. 749 et 785. in saxum mutatur. ib. 819 sqq.

Agre, canis Actaeonis. III, 212.

Agriodos, alius canis Actaeonis. III, 224.

Agyrtes, patricida, in nuptiis Persei interficitur. V, 148.

Aiax, Oilei filius, vnus e fortissimis ducibus Graecorum in bello Troiano. XII, 622. et XIII, 356.

Aiax, Telamonis filius, pariter dux fortissimus Graecorum, de armis Achillis occisi cum Vlysse contendit. XII, 624 sqq. XII, 2 sqq. sed inferior discedens, semet ipse ense confodit. XIII, 382 sqq.

Alastor, vnus e sociis Sarpedonis, regis Lyciorum, ab Vlysse fusus. XIII, 257.

Alba, vrbs Latii, ab Ascanio condita, vbi ipse cum posteris suis regnauit. XIV, 609 et 612.

Albani montes. XIV, 674.

Albula, appellatio antiqua Tiberis. XIV, 328.

Alcander, socius regis Sarpedonis, ab Vlysse occiditur. XIII, 258.

Alcathoë, regio Graeciae, alias Megaris dicta. VII, 443.

Alcathous, filius Pelopis, conditor vrbis Megarae. VIII, 8.

Alce, canis Actaeonis. III, 217.

Alcidamas, cuius filia in columbam mutata est. VII, 369.

Alcides, i. Hercules, Alcei nepos. IX, 13. 51. 110 et 217. XI, 213. et XII, 538.

Alcimedon, nauta. III, 618.

Alcinous, rex Phaeacum, amicus Vlyssis, cnius nauis in saxum mutata est. XIV, 565.

Alcithoë, vna de Minyeidibus, quae Bacchi sacra contemserunt, et propterea ab ipso in vespertiliones mutatae sunt. IV, 1 et 274.

Alcmena, i. *Alcmene*, vxor Amphitryonis, Herculis mater. VIII, 543. IX, 23. Iolae difficultatem partus sui narrat. IX, 276 sqq. v. etiam vs. 396.

Alcon, faber argentarius. XIII, 683.

Alemon, Argiuus, pater Mysceli, conditoris Crotonis. XV, 19.

Alemonides, i. Myscelus, filius Alemonis. XV, 26 et 48.

Alexirhoë, mater Aesaci, filii *Priami*. XI, 763.

Almo, fluuius Italiae, in Tiberim influens. XIV, 329.

Aloidae, filii Iphimediae, vxoris Aloi, quos ex Neptuno concepit. VI, 117.

Alpes, iugum montium altissimorum in Italia septemtrionali. II, 226.

Alpheias, i. Arethusa, fons Siciliae, quia ab Alpheo, Elidis flumine, oriri putabatur. V, 487.

Alphenor, filius Niobes quintus, ab Apolline iaculo percussus perit. VI, 248.

Alpheos, s. *Alpheus*, fluuius Peloponnesi. II, 250. et V, 599.

Alpinus rigor. XIV, 794.

Althaea, vxor Oenei, Meleagri mater. VIII, 446. filium fatali stipite comburendo vita priuat. ib. 511 sqq. se ipsa interficit. ib. 530 sq.

Amathus, vrbs Cypri, metallis abundans. X, 220 et 531.

Amathusiacae bidentes, oues ex Amathunte. X, 227.

Amazone natus, i. Hippolytus, Thesei et Hippolytae Amazonis filius. XV, 552.

Ambracia, vrbs Graeciae. XIII, 714. v. not.

Amenanus, fluuius Siciliae, nonnunquam plane euanescit. XV, 279.

Amithaon, pater Melampi, vatis, Proeti filias ab insania liberantis. XV, 325.

Ammon, cognomen Iouis apud Aethiopas, quibus sub hoc nomine oracula dabat. IV, 670. V, 17 et 328.

Ammon, in nuptiis Persei cruentis a Phineo occiditur. V, 107.

Ammon, fons Aethiopum, cuius aqua die frigida, nocte feruida est. XV, 309 sq. v. not.

Amor, passim pro Cupidine ponitur; it. plur. Amores, dii amoris. X, 516.

Amphimedon, Libys, in Persei nuptiis perit. V, 75.

Amphion, rex Thebarum. VI, 221. semet ipse ob filiorum iacturam interficit. ib. 271. cf. vs. 402. Amphionis arces, i. Thebae. XV, 427.

Amphissia saxa. XV, 703. v. not.

Amphissos, Apollinis e Dryope filius. IX, 356.

Amphitrite, vxor Neptuni, Dea maris. I, 14.

Amphitryon, in quem conuersus Iuppiter, Herculem cum Alcmena, eius vxore, genuit. VI, 112.

Amphitryoniades, i. Hercules, Amphitryonis filius. IX, 140. et XV, 49.

Amphrysos, fluuius Thessaliae. I, 580. et VII, 229.

Ampucus, Cereris sacerdos, in nuptiis Persei a Phineo occiditur. V, 110.

Ampycides, i. Mopsus, vates, Ampyci filius, socius venationis Calydoniae. VIII, 316 et 350. idem pugnae Centaurorum adfuit. XII, 456 et 524. v. etiam *Mopsus*.

Ampyx, a Perseo capitis Medusaei ope in saxum mutatur. V, 183.

Ampyx, Lapitha, Oeclum Centaurum cornu transfigit. XII, 450.

Amulius, rex Latinorum Albanus, regnum iniuste possidet, fratri ademtum. XIV, 772.

Amyclae, vrbs Laconiae. VIII, 314.

Amyclides, i. Hyacinthus. X, 162. v. not.

Amycus, Centaurus, in pugna cum Lapithis perit. XII, 245 sqq.

Amymone, fons Argiuorum. II, 243.

Amyntor, pater Phoenicis, socii venationis Calydoniae. VIII, 307. fuit rex Dolopum. XII, 364.

Anaphe, insula maris Aegaei, Cretae vicina. VII, 461 sq.

Anapis, fluuius Siciliae. V, 417.

Anaxarete, e stirpe Teucri orta, ob spretum Iphidis amorem in saxum conuertitur. XIV, 699 sqq.

Ancaeus, socius venationis Calydoniae. VIII, 315. ab apro interficitur. ib. 401 — 407. cf. vs. 519.

Anchises, Troianus, pater Aeneae. IX, 424. XIII, 640 et 680. XIV, 118.

Andraemon, maritus Dryopes, in loton mutatae. IX, 333 et 363.

Andremon, pater Thoantis, ducis Graecorum in bello Troiano. XIII, 357.

Androgeos, filius Minois, regis Cretensium, ab Athenienfibus interfectus. VII, 458.

Andromeda, filia Cephei, regis Aethiopum, oraculi iussu scopulo alligata, cetoque obiecta, a Perseo liberatur, et in matrimonium ducitur. IV, 670 sqq.

Andros, insula maris Aegaei. VII, 469. XIII, 649. 661 et 665.

Anetor, bubulcus Pelei. XI, 348.

Anien, vel *Anio*, fluuius Italiae mediae. XIV, 329.

Anigros, fluuius Arcadiae, foetide olentem aquam vehit. XV, 282.

Anius, rex et sacerdos insulae Deli, Aeneam hospitio excipit. XIII, 632 sqq.

Antaeus, gigas monſtroſae magnitudinis, ab Hercule interfectus. IX, 184.

Antandrus, vrbs, haud procul a Troia. XIII, 628.

Antenor, Troianus. XIII, 201.

Anthedon, vrbs Euboeae. VII, 232. (vbi v. not.) et XIII, 905.

Antigone, filia Laomedontis, regis Troum, a Iunone in ciconiam conuerſa. VI, 93.

Antimachus, Centaurus, in pugna cum Lapithis a Caeneo interficitur. XII, 460.

Antiphates, rex Laeſtrygonum, claſſem Graecorum, a Troia redeuntium, vaſtat et aequore mergit, vnumque ex Vlyſſis ſociis deuorat. XIV, 234. 239 et 249. Antiphatae domus. XV, 717.

Antiſſa, olim inſula ſeparata, poſtea cum Lesbo cohaeſit. XV, 287.

Antium, oppidum Latii. XV, 718.

Anubis latrator. IX, 689. v. not.

Aonides, appellatio Muſarum. V, 333. et VI, 2.

Aonii, populus Graeciae, i. q. Boeotii. I, 313.

Aonius, adj. ad Aonios pertinens. Aonius, i. Hercules. IX, 112. Aonius inuenis, i. Hippomenes. X, 589. Aoniae Thebae. VII, 763. Aoniae vndae. XII, 24. Aoniae orae. XIII, 682. per Aonias vrbes. III, 339.

Apenninus, mons, vel potius iugum montium per Italiam mediam. II, 226.

Apharcia proles, i. Apharei filii, qui venationi Calydoniae intererant. VIII, 304.

Aphareus, Centaurus, a Theſeo brachiis mutilatur. XII, 341 ſqq.

Aphidas, in pugna Centaurorum, alto ſopore ex ebrietate oppreſſus, a Phorbante occiditur. XII, 317 ſqq.

Apidanus, fluuius Theſſaliae. I, 580. et VII, 228.

Apis, Deus Aegyptius, qui in boue candido cum maculis nigris colebatur. IX, 690. v. not.

Apollineus, ad Apollinem pertinens. Apollinea vrbs, primaria vrbs inſulae Deli, vbi Apollo colebatur. XIII, 631. Apollinea proles, i. Aeſculapius. XV, 533. v. etiam ind. verborum.

Apollo Pythonem, immanem ſerpentem, interficit. I, 441 ſqq. Daphnen amat, infelici cum ſucceſſu. ib. 452 ſqq. cum Pane cantu certat, eumque vincit. XI, 153 ſqq. Actiacus Apollo. XIII, 715. dignos Apolline crines. III, 421. nec Apolline vobis, qui minuat luctus, opus eſt, ſed Apolline nato (i. Aeſculapio). XV, 638 ſq. Porro Apollinis mentio fit VII, 389. X, 209. XI, 306 et 339. et XIII, 174.

Appenninigena Thybris, i. ex Appennino monte profluens. XV, 432.

Appulus, paſtor, Nymphis maledicens, in oleaſtrum mutatur. XIV, 517 ſqq.

Aquilo (vt perſona), pater Calais et Zetis. VII, 3.

Arabes, populus Aſiae notiſſimus. X, 477.

Arachne, artis textoriae peritiſſima, a Minerua, cum qua in arte ſua certare auſa erat, in animal ſui nominis (in araneam) transformatur. VI, 5 ſqq.

Arcadia, prouincia Graeciae. II, 405. Arcadiae vaſtator aper. IX, 192. lacus Arcadiae. XV, 332.

Arcas, filius Iouis et Calliſtonis. II, 468. vna cum matre in ſidus mutatur. ib. 497 ſqq.

Arcas, ex Arcadia oriundus. Arcas tyrannus, i. Lycaon. I, 218. bipennifer Arcas, i. Ancaeus, qui in venatione Calydonia periit. VIII, 391.

Arceſius, filius Iouis, auus Vlyſſis. XIII, 144.

Ardea, vrbs Rutulorum, Turno victo, ignibus deletur, et e cineribus eius procreatur ardea auis. XIV, 573 ſqq.

Areos, in pugna Centaurorum a Dryante interficitur. XII, 310.

Areſtorides, i. Argus, filius Areſtoris. I, 624.

Arethuſa, fons Siciliae. V, 409. ab Alpheo, Peloponneſi flumine, oriri, et cum eo ſub mari profluens in Siciliam deuolui credebatur. V, 487 ſqq.

Argi, v. *Argos*.

Argo, nauis Argonautarum. XV, 337.

Argolicus, adj. ad Argos pertinens. Argolicus ignis. XIV, 444. Argolico generatus Alcmone. XV, 19. Argolici duces, i. duces Graecorum in bello Troiano. XII, 627. Argolica claſſis. XIII, 659. moenia vrbis Argolicae. IV, 608. Argolicae portae. III, 560 Argolicae foſſae, i. foſſae Graecorum. XII, 149. Argolicas per vrbes. VIII, 267. Argolicis in aruis. XV, 276.

Argolis Alcmene. IX, 276. 313.

Argos, vel *Argi*, vrbs Graeciae nobilis. II, 240. VI, 414. XIV, 476. et XV, 164.

Argus, filius Areſtoris, centum oculis praeditus, a Iunone Ioni cuſtodiendae praefectus, a Mercurio Iouis iuſſu occiditur. I, 624 ſqq.

Aricina vallis. XV, 488. v. not.

Armenia, prouincia Aſiae, tigribus abundans. VIII, 121. et XV, 86.

Arne, in monedulam mutata. VI, 465.

Asbolus, canis Actaeonis. III, 218.

Aſcalaphus, Acherontis et Orphnes filius, a Proſerpina in bubonem mutatur. V, 539 ſqq.

Aſcanius, filius Aeneae. XIII, 627. regnum Albanum in Latio condit. XIV, 609.

Aſia, vna de quatuor partibus orbis terrarum, pro regno Troiano ponitur. XIII, 484.

Aſis, i. q. Aſia, pars orbis terrarum. V, 648. it. Aſis terra. IX, 447.

Aſopiades, i. Aeacus, Aſopi ex Aegina nepos. VII, 484.

Aſopis, i. Aegina, filia Aſopi, a Ioue, ſub forma ignis, ſtuprata, vnde Aeacum concepit. VI, 113. et VII, 616.

Aſſaracus, frater Ili, regis Troum. XI, 756.

Aſſyrii, magna natio Aſiae. XV, 393.

Aſſyrius Lycabas. V, 60.

Aſterie, Coei filia, in coturnicem a Ioue mutata. VI, 108.

Aſtraei fratres, i. venti, Aſtraei filii. XIV, 545.

Aſtreus, in nuptiis Perſei cruentis vita priuatur. V, 144.

Aſtyages, a Perſeo, Meduſaei capitis ope, in ſaxum mutatur. V, 203 ſqq.

Aſtyanax, filius Hectoris, a turri Troiana a Graecis praecipitatus perit. XIII, 415.

Aſtylos, augur, Centaurorum pugnae adfuit, ſed fuga ſalutem quaerit. XII, 308.

Aſtypaleia regna, Cretae vicina. VII, 461 ſq.

Atalanta, filia Schoenei, pedum velocitate inſignis, ab Hippomene currendo victa in matrimonium ducitur. X, 565 ſqq. in leaenam mutatur. ib. 698 ſqq.

Athamanteus, adj. ad Athamantem pertinens. Athamanteos ſinus pererrant. IV, 496.

Athamantiades (i. filius Athamantis) Palaemon. XIII, 919.

Athamantis aqnae, fluuius E-

piri, cuius aquis lignum accendi poteſt. XV, 311. v. not.

Athamas, filius Aeoli. III, 564. IV, 420. 466. 470. 488 furore correptus, Learchum filium ſaxo infringens perimit. IV, 515 ſqq.

Athenae, vrbs Graeciae celeberrima. V, 652. VI, 421. VII, 507 et 723. VIII, 262. et XV, 430.

Athis, Indus, a Perſeo occiditur. V, 47 ſqq. 63 et 72.

Athos, mons altiſſimus Macedoniae. II, 217. et XI, 554.

Atlantiades, i. Mercurius, Atlantis nepos. II, 704 et 834. et VIII, 627. it. Hermaphroditus. IV, 368.

Atlantis, idis, i. Maia, Atlantis filia, Mercurii mater. II, 685.

Atlas, mons Mauritaniae enormis altitudinis, vt coelum humeris ferre dicatur. II, 296. gelido ſub Atlante. IV, 771. antea fuit rex Mauritaniae. IV, 627. 631. 643. 645. 652. ſed a Perſeo, cui hoſpitium denegarat, capitis Meduſaei ope in montem mutatus. ib. 656 ſqq. fuit auus Niobes. VI, 174. v. etiam IX, 273. validi humeris inſiſtere Atlantis. XV, 149.

Atracides, i. Caeneus. XII, 209. v. not. ad vſ. 189.

Atreus, rex Argiuorum, pater Agamemnonis et Menelai. XV, 855.

Atrides, filius Atrei; et quidem *maior* eſt Agamemnon, *minor* Menelaus. XII, 623. ſic Atrides eſt Agamemnon: XIII, 189. 230. 359. 365. 439 et 655. ſed Menelaus: XV, 162 et 805.

Attis, iuuenis Phrygius, a Cybele amatus, in pinum transformatur. X, 104.

Auentinus, rex Albanus in Latio, a quo mons Auentinus nomen habet. XIV, 620.

Auerna, ſcil. loca, regiones inferorum. XIV, 105.

Auerna Inno, i. Proſerpina. XIV, 114.

Auernae valles, i. regiones inferorum. X, 51.

Auernales Nymphae. V, 540.

Auguſtus, primus Romanorum Imperator. XV, 860.

Auguſtus, adj. ad Auguſtum pertinens. poſtibus Auguſtis (i. Auguſti) — ante fores ſtabis. I, 562. caput Auguſtum, i. Auguſtus ipſe. XV, 869.

Aulis, portus Boeotiae, vbi naues Graecorum, ad bellum Troianum profecturae, ventis adverſis diu detinebantur. XII, 10. et XIII, 182.

Aura, perſona ficta, quam Procris, a ſuſurrone quodam decepta, mariti ſui pellicem eſſe credebat, cum ipſe auram (ventum lenem et ſuauem) ſub ea intellexiſſet. VII, 811 ſqq.

Aurora (vt perſona, Dea) Cephalum rapit. VII, 703 ſqq. ſed mox ad coniugem Procrin remittit. ib. 713. Memnonem filium ab Achille interfectum luget. XIII, 576 ſqq.

Auſonia, i. q. Italia. XIV, 7. et XV, 647.

Auſonius, adj. ad Auſoniam pertinens. Auſonius Pelorus. V, 350. Auſonii portus. XIII, 708. corpus in Auſoniâ poſuit rate. XV, 693. Naides Auſoniae. XIV, 786. Auſonias rexit opes. ib. 772. in Auſoniis terris. ib. 320. litus Auſonium. ib. 77.

Autolycus, Meſtrae maritus, quae in varias formas ſe conuertere poterat. VIII, 738. v. not.

Autolycus, Mercurii e Chione filius. XI, 313.

Autonoë, filia Cadmi, mater Actaeonis, in Pentheo dilaniando ſorores adiuuat. III, 720.

Autonoëius heros, i. Actaeon, filius Autonoës. III, 198.

B.

Babylonius, adj. ad Babylonem pertinens. Babylonius Euphrates. II, 248. Babylonia Dercetis. IV, 44. Babylonia Thisbe. ib. 99.

Bacchae, mulieres, ſacra Bacchi celebrantes. IV, 25. IX, 641. et XI, 89.

Bacchei vlulatus. XI, 17.

Baccheia ſacra. III, 691.

Bacchia ſacra. III, 518.

Bacchiadae, familia inclyta Corinthiorum. V, 407.

Bacchus, Iouis et Semeles filius, Deus vini. III, 317. 421. a Pentheo, contemtore ſacrorum ſuorum, poenas ſumit. ib. 519 ſqq. it. a Minyeidibus. IV, 1 ſqq. quae in veſpertiliones mutantur. ib. 389 ſqq. ponitur pro vino: IV, 764. VI, 488. VII, 246 et 450. et XIII, 639. Sacrorum eius mentio quoque fit: VI, 587 ſqq. Porro v. XI, 85 et 134. XII, 578. XIII, 669. XV, 114 et 413.

Baſſrius Halcyoneus. V, 135.

Balearica funda. IV, 708.

Barbaries, terrae populorum barbarorum. XV, 829.

Battus, ſenex paſtor, a Mercurio ob furtum indicatum in lapidem transformatur. II, 688 ſqq.

Baucis, vxor Philemonis, qui ombo Iouem et Mercurium hoſpitio receperunt, et tandem in arbores ſimul vno temporis momento mutati ſunt. VIII, 631 ſqq.

Belates, Lapitha, Amycum Centaurum menſae acernae pede proſternit. XII, 255.

Belides, i. Beli neptes, filiae Danai, ob maritos interfectos ad inferos detruſae, poenam luunt aqua in dolium pertuſum haurienda. IV, 462. et X, 44.

Bellona, Dea, bello praefecta. V, 155.

Belus, conditor regni Babylonici. IV, 213.

Berecynthia tibia. XI, 16. v. not. Berecynthius heros, i. Midas. ib. 106. v. not.

Beroë, Semeles nutrix. III, 278.

Bianor, Centaurus, in Pirithoi nuptiis a Theſeo percuſſus perit. XII, 345 ſqq.

Biſaltis, i. Theophane, Biſalti filia, a Neptuno vitiata. VI, 117.

Biſtonii viri, populus Thraciae. XIII, 430.

Boebe, oppidum. VII, 231. v. not.

Boeota tellus. XII, 9.

Boeotia, prouincia Graeciae. II, 239.

Boeotia moenia, i. Thebae. III, 13.

Bootes, ſidus ſeptemtrionale. VIII, 206.

Boreas (vt perſona) Orithyian, Erechthei filiam, rapit. VI, 682 ſqq. et duos filios, Calain et Zeten, ex ea procreat. ib. 711 ſqq.

Britanni, gens celeberrima Europae occidentalis. XV, 752.

Bromius, cognomen Bacchi. IV, 11.

Bromus, in pugna Centaurorum a Caeneo interficitur. XII, 459.

Broteas, in nuptiis Perſei a Phineo occiditur. V, 107.

Broteas, Lapitha, a Centauro Gryneo ara oppreſſus necatur. XII, 262.

Bubaſides nurus, i. feminae Bubaſi, regionis Cariae. IX, 643.

Bubaſtis, Dea Aegyptia. IX, 690.

Buris, vrbs quondam Achaiae, poſtea vndis ſubmerſa eſt. XV, 293.

Buſiris, rex Aegypti crudelis, ab Hercule interficitur. IX, 183.

Butes, filius Pallantis, Athenienſis, cum Cephalo ad Aeacum miſſus. VII, 500.

Buthrotos, vrbs Epiri, vbi

regnabat Helenus, Priami filius. XIII, 721.

Byblis, filia Mileti, in fratrem Caunum amore illicito exardeſcit, ſed repulſam ab eo ferens prae moerore in fontem mutatur. IX, 452 ſqq.

C.

Cadmeis, ſubſt. i. Semele, filia Cadmi. III, 287.

Cadmeis, adj. ad Cadmum, vel Cadmeam, i. Thebas, pertinens. Cadmeida palmis deplanxere domum. IV, 544. contigerant Cadmeida arcem. VI, 217. matres Cadmeides. IX, 304.

Cadmus, filius Agenoris, immanem ſerpentem perimit, et Thebas condit. III, 3 ſqq. in ſerpentem transformatur. IV, 575 ſqq. regia Cadmi, i. Thebae. VI, 177.

Caeneus, Elati filius, venationi Calydoniae intereſt. VIII, 305. telis inuulnerabilis erat. XII, 172 ſq. a natiuitate femina fuerat, et *Caenis* vocabatur, ſed a Neptuno in virum mutabatur. ib. 175. 179. 189 ſqq. in pugna Centaurorum cum Lapithis multos necat; ipſe a multis fruſtra petitur. ib. 459 ſqq. tandem arboribus congeſtis obrutus in auem mutatur. ib. 507 ſqq.

Caenis, nomen Caenei, cum adhuc femina eſſet. XII, 189. 195. 201. 470 ſq.

Caeſar, celeberrimus ille triumuir Romanus, in Curia tribus et viginti vulneribus confoſſus, quem Ouidius in numerum Deorum relatum fingit. XV, 746 ſqq.

Caeſareus, ad Caeſarem pertinens. Veſta Caeſareos inter ſacrata Penates. XV, 864. cum Caeſareâ Veſtâ. ib. 865.

Caeus, v. *Coeus*.

Caicus, amnis Myſiae. II, 243. curſum ſuum mutaſſe dicitur. XV, 278. v. etiam *Caycus*.

Caiete, nutrix Aeneae. XIV, 443.

Calais, Borene ex Orithyia filius. VI, 716.

Calaurea Letois. VII, 384. v. not.

Calliope, vna Muſarum. V, 339.

Callirhoë, filia Acheloi, vxor Alcmaeonis: eius filii impuberes ſtatim in viros mutantur. IX, 414 ſqq.

Calydon, vrbs Aetoliae. VI, 415. apro memorabilis, quem Meleagros ſuſtulit. VIII, 270 ſqq. regnum Calydonis. ib. 495. v. etiam vſ. 525. et IX, 147.

Calydonis, i. Deianira, Calydone oriunda. IX, 112. Plur. Calydonides Eueninae. VIII, 527. v. not.

Calydonius, adj. ad Calydonem pertinens. Calydonius heros, i. Meleager. VIII, 324. Calydonius amnis, i. Achelous. ib. 727. et IX, 2. Calydonia Tydidae haſta. XV, 769. Calydonia regna, i. regnum Diomedis. XIV, 512. v. not.

Calymne, inſula maris Aegaei. VIII, 222.

Camenae, mulieres vaticinantes. XIV, 434. v. not. eſt etiam nomen Muſarum. XV, 482.

Canace, canis Actaeonis. III, 217.

Caneus, vxor Pici, deſiderio coniugis amiſſi deliqueſcit, et in auras ſoluitur. XIV, 338 ſqq. Locus quoque, vbi exſpirauerat, ab ea dictus eſt *Caneus*. ib. 433.

Canopus, numen Aegyptiorum. XV, 828.

Capaneus, dux Argiuorum in bello aduerſus Thebas, fulmine ictus perit. IX, 404.

Capetus, rex Albanus in Latio. XIV, 613.

Caphareus, promontorium Euboeae. XIV, 472 (vbi v. not.) et 481.

Capitolium, et plur. *Capitolia*, arx vrbis Romae. I, 561. II, 538. XV, 589. 828 et 841.

Capreae, locus Italiae inferioris. XV, 709.

Capys, rex Albanus in Latio. XIV, 613 ſq.

Cares, populus Aſiae minoris. IV, 297. et IX, 644.

Carpathius vates, i. Proteus. XI, 249. v. not.

Carthaea arua, i. arua vrbis Carthaeae, in inſula Ceа. X, 109.

Caſſiope, vxor Cephei, regis Aethiopum, mater Andromedes. IV, 737.

Caſtalium antrum. III, 14.

Caſtor, filius Tyndari, equitandi peritiſſimus. XII, 401.

Caſtrum, vrbs Latii maritima. XV, 727.

Catheia moenia Ceae. VII, 368. v. not. (num i. q. *Carthaea*, quod ſupra adfuit?)

Caucaſius Abaris. V, 86.

Caucaſus, mons Scythiae. II, 224. et VIII, 798.

Caulon, vrbs maritima Italiae inferioris. XV, 705.

Caunus, filius Mileti, illegitimum, quo ſoror Byblis in ipſum flagrabat, amorem auerſans, patriam relinquit. IX, 452 ſqq.

Caycus, i. q. *Caicus*, fluuius Myſiae. XII, 111. v. not.

Cayſtros, amnis Lydiae. II, 253. et V, 386.

Cea, inſula maris Aegaei. VII, 368. et adj. Cea gens, incolae huius inſulae. X, 120.

Cebrenis Heſperie. XI, 769. v. not.

Cecropides, i. Theſeus, a Cecrope oriundus. VIII, 550. Plur. Cecropidae, poſteri Cecropis. VII, 671. ſic Cecropidae vocantur filiae Pandionis, Procne et Philomela. VI, 667. it. vniuerſe Athenienſes. VII, 486 et 502.

Cecropius, adj. ad Cecropem pertinens. Cecropius Eumolpus. XI, 93. portus Cecropios (i. Aticos) intrat. VI, 446. Cecropia arx, i. Attica. ib. 70. et ita Cecropiae arces, i. Athenae. XV, 427.

Cecrops, rex Athenarum, ex Aegypto oriundus. II, 555.

Celadon, Mendeſius, in nuptiis Perſei cruentis perit. V, 144.

Celadon, Lapitha, ab Amyco Centauro in Pirithoi nuptiis perimitur. XII, 250.

Celmis, a Ioue in adamantem mutatus. IV, 282.

Cenaeus Iuppiter. IX, 136. v. not.

Cenchreis, vxor Cinyrae. X, 435.

Centauri, gens fera et barbara Theſſaliae, quorum corpora in parte inferiori formam habebant equinam, Herculi impares erant in pugna. IX, 191. eorum pugna cum Lapithis in Pirithoi nuptiis deſcribitur: XII, 219 ſqq. v. etiam vſ. 536.

Cephalus, filius Deionei, Aeoli nepos, maritus Procridis. VI, 681. auxilium ab Aeaco aduerſus Minoem petit et impetrat. VII, 493 ſqq. vxorem imprudens iaculo perimit. ib. 841 ſqq. occurrit etiam VIII, 4.

Cepheia arua, i. Aethiopica, a rege ipſorum, Cepheo, ſic dicta. IV, 668.

Cephenes, Aethiopes. Cephenis regis proceres. IV, 763. vid. etiam V, 1 et 97.

Cepheſias ora. VII, 438.

Cepheus, rex Aethiopum, pater Andromedes, vxoris Perſei. IV, 737. V, 12. 42 et 44.

Cephiſides vndae. I, 369.

Cephiſius, i. Narciſſus, filius Cephiſi. III, 351.

Cephiſus, ſ. *Cephiſos*, fluuius Graeciae. III, 19. e Liriope Narciſſum gignit. ib. 343. v. etiam VII, 388.

Cerambus. VII, 353. v. not.

Ceraſtae, fera natio, ob hoſpites Ioui immolatos a Venere in tauros mutantur. X, 223.

Ceraunia. XV, 704. v. not.

Cerbereus, ad Cerberum pertinens. Cerbereos rictus inuenit. XIV, 65. oris Cerberei ſpumas attulerat ſecum. IV, 500.

Cerberus, canis infernalis. IV, 449. VII, 413. et IX, 185.

Cercopes, natio quaedam doloſa et fraudulenta, a Ioue in ſimias mutantur. XIV, 92. v. not.

Cercyon, immanis luctator et homicida, a Theſeo interficitur. VII, 439.

Cerealis, ad Cererem pertinens. Cerealis Eleuſin. VII, 439. Cereale nemus. VIII, 741. femina Cerealia. I, 123. Cerealia munera. XI, 121. et XIII, 639. Cerealia dona. XI, 122.

Ceres, Dea frugum; hinc pro frugibus ipſis, et omnino prb cibis ponitur, vt III, 437. et VIII, 292. filiam, a Plutone raptam, quaerit. V, 341 ſqq. Lyncum in Iyncem mutat. ib. 660. dona Cereris, i. fruges. ib. 655. v. etiam VIII, 274. 771. 778. 785 et 814. IX, 422. X, 74 et 431. et XI, 112.

Ceyx, filius Luciferi, rex Trachiniorum. XI, 272. oraculum Apollinis Clarii conſulturus, naufragio perit. ib. 411 ſqq. ipſe et coniux in halcyones mutantur. ib. 741 ſqq.

Chaonii ſinus. XIII, 717.

Chaonis arbos, i. quercus. X, 90. v. not.

Chaos, prima materia mundi, antequam a Deo digereretur et exornaretur. I, 7. et II, 299. it. ſedes inferorum, infernus. X, 30. et XIV, 404.

Charaxus, in cruentis Pirithoi nuptiis a Rhoeto interimitur. XII, 272 ſqq.

Chariclo, Nympha, mater Ocyrhoës. in equam conuerſae. II, 636.

Charopes, ab Vlyſſe victus et trucidatus XIII, 260.

Charybdis, vortex freti Siculi inter Italiam et Siciliam. VII, 63. VIII, 121. XIII, 730. et XIV, 75.

Cherſidamas, ab Vlyſſe occiſus. XIII, 259.

Chia tellus. III, 597. v. not.

Chimaera, monſtrum fuiſſe fingitur; proprie fuit mons Lyciae; feris abundans. IX, 646. vbi v. not.

Chimaerifera Lycia. VI, 339. v. not.

Chione, filia Daedalionis, a Phoebo et Mercurio amatur. XI, 301 ſqq e quibus duos filios enixa eſt. ib. 311 ſqq. a Diana ſagitta necatur. ib. 324 ſqq.

Chiron, Centaurus, Aeſculapium educat. II, 630 ſqq. fuit filius Saturni. VI, 126.

Choanius Molpeus. V, 163. v. not.

Chromis, in nuptiis Perſei Emathionem interficit. V, 103.

Chromis, Centaurus, a Pirithoo interficitur. XII, 333.

Cromius, vnus e ſociis regis Sarpedonis, ab Vlyſſe interfectis. XIII, 257.

Chryſe, vrbs, Apollini ſacra. XIII, 174.

Chthonius, Centaurus, in pugna aduerſus Lapithas a Neſtore iugulatur. XII, 441.

Cicones, gens Thraciae. VI, 710. X, 2. XI, 3. et XV, 313.

Cilix Taurus. II, 217.

Cimmerii, populus ſeptemtrionalis fictus. XI, 592. v. not.

Cimolus, inſula, in vicinia Cretae ſita. VII, 463.

Cinyphius, adj. ad Cinyphes, populum Africae, pertinens. Cinyphius Pelates. V, 124. Cinyphius chelydrus. VII, 272. Cinyphius luba. XV, 755. v. not.

Cinyras, rex Aſſyriorum, cuius filiae, Iunoni ſe praeferentes, in gradus templi eius transformatae ſunt. VI, 98.

Cinyras, Cyprius, Myrrhae, et ex ea ipſa Adonidis pater. X, 299. (vbi v. not.) 338. 343. 356. 361. 380. 438. 464 et 472.

Cinyreius, adj. ad Cinyram pertinens. iuuenis Cinyreius, i. Adonis, filius Cinyrae. X, 712. Cinyreius heros, idem. ib. 730. Cinyreia virgo, i. Myrrha, Cinyrae filia. ib. 369.

Cipus, Romanus, regiam dignitatem, vltro ſibi oblatam, repudiat; quapropter a Senatu parte quadam ruris donatur. XV, 565 ſqq.

Circaeus, adj. ad Circen pertinens. Circaea tellus. XV, 718. Circaeum litus, i. litus inſulae, in qua Circe habitabat. XIV, 248. Circaea moenia. ib. 253. Circaea arua. ib. 348.

Circe, filia Solis et Perſae, artis magicae peritiſſima. IV, 205. XIII, 968. Scyllam in monſtrum marinum mutat. XIV, 10 ſqq. Vlyſſis ſocios in ſues transformat. ib. 247 ſqq. ſed humanam formam iis reddit, et Vlyſſi nubit. ib. 297 ſqq. Picum, qui amorem ipſius repudiauerat, in auem ſui nominis (in picum) conuertit. ib. 312 ſqq.

Circus, locus publicus Romae, in quo ludi palaeſtrici agebantur. XII, 102.

Cithaeron, mons Boeotiae, Baccho ſacer. II, 223. et III, 702.

Clanis, in nuptiis Perſei cruentis ab ipſo perimitur. V, 140—143.

Clanis, alius, qui pugnae Centaurorum interfuit, in eaque perlit. XII, 379.

Clarius Deus, i. Apollo, qui Claro, vrbe Ioniae, oracula reddebat. XI, 413.

Claros, oppidum Ioniae. I, 516. vbi v. not.

Cleonae, vrbs Graeciae, inter Corinthum et Argos ſita. VI, 417.

Clitorius fons, eſt fons Arcadiae, cuius aqua ſi bibitur, vini taedium creat. XV, 322.

Clymene, vxor Meropis, mater Phaethontis. I, 756 et 765. II, 37. 43 et 333. et IV, 204.

Clymeneia proles, i. Phaethon, filius Clymenes. II, 19.

Clymenus, in nuptiis Perſei cruentis interficit Oditen. V, 98.

Clytie, Oceani et Tethyos filia. IV, 206. Solem amat. ib. 234. in heliotropium mutatur. ib. 256 ſqq.

Clytius, in nuptiis Perſei ab ipſo interficitur. V, 140—142.

Clytos, fillus Pallantis, ab Athenienſibus cum Cephalo ad Aeacum miſſus. VII, 500.

Clytus, a Perſeo occiditur. V, 87.

Coae matres. VII, 363. v. not.

Cocalus, rex Siciliae, Daedalum, e Creta profugum, in tutelam recipit. VIII, 261.

Coeranos Hippaſides, Sarpedonis regis ſocius, ab Vlyſſe interficitur. XIII, 257.

Coeus, vnus Titanum, pater Latonae. VI, 185. (vbi perperam *Caeus* typis expreſſum eſt) et 366.

Colchi, gens Ponto Euxino adiacens, vnde Iaſon vellus aureum auxiliante Medea abſtulit. VII, 120.

Colchis, i. Medea, Colchorum regis filia. VII, 301. 331 et 348.

Colchus, adj. ad Colchos pertinens. Colcha venena, i. a Medea Colchide data. VII, 394. Colcha litora. XIII, 24.

Colophonius Idmon, pater Arachnes. VI, 8.

Combe. VII, 383. v. not.

Cometes, in nuptiis Pirithoi a ſocio Charaxo per imprudentiam perimitur. XII, 284.

Corinthiacus pontus. XV, 507.

Corinthus ſ. *Corinthos*, vrbs Graeciae celeberrima. V, 407. et VI, 416.

Coronae. XIII, 698. v. not.

Coroneus, rex Phocenſis. II, 569.

Coronides, i. Aeſculapius, Apollinis e Coronide filius, ex Epidauro ſub forma ſerpentis Romam transfertur. XV, 624 ſqq.

Coronis, virgo, ab Apolline amata, ex qua Aeſculapium genuit, ſed poſtea ab eodem Apolline interfecta. II, 540. 599.

Coruthus, in nuptiis Perſei Pelaten manu vulnerat. V, 125.

Corycides Nymphae. I, 320.

Corythus, in pugna Centaurorum a Rhoeto interficitur. XII, 290 ſqq

Corythus alius. VII, 361.

Cragos, mons Lyciae. IX, 645.

Cruntor, armiger Pelei, in pugna Centaurorum a pinu, quam Demoleon in Theſeum mittere volebat, oppreſſus perit. XII, 361 — 367.

Crataeis, mater Scyllae, in ſcopulum poſtea conuerſae. XIII, 749.

Crathis, fluuius Italiae inferioris, qui capillos rutilo colore inficit XV, 315.

Crenaeus, e pugna Centaurorum fugiens, ſed in fuga reſpiciens, aduerſum vulnus accipit. XII, 313.

Creſſa, mulier Cretenſis. IX, 702.

Creta, vel *Crete*, inſula maris mediterranei ampliſſima, Graeciae verſus Auſtrum ſita, quae hodie *Candia* dicitur. VIII, 99. 118 et 183. IX, 667 et 734. XIII, 706. et XV, 540 ſq.

Cretaeus, adj. ad Cretam pertinens Cretaeus taurus. VII, 434. v. not. Cretaeae vrbes. IX, 665.

Crete, v. *Creta*.

Crocale, Nympha, miniſtra Dianae. III, 169.

Crocos, vna cum Smilace, a quo amabatur, in florem transformatus. IV, 283.

Cromyon, vicus Corinthi. VII, 435. v. not.

Croton, Italus, Herculem hoſpitio excipit. XV, 15. in tumulo eius Myſcelus vrbem Crotonem condit. ib. 55 ſqq.

Cumae, vrbs Italiae inferioris. XIV, 104.

Cumaea dux, ſcil. Aeneae, i. Sibylla. XIV, 121. virgo Cumaea, eadem. ib. 135. Cumaeae templa Sibyllae. XV, 712.

Cupido, filius Veneris, Apollinem ad amorem erga Daphnen inflammat. I, 453 ſqq. Plutonis amorem erga Proſerpinam excitat. V, 366 ſqq. occurrit etiam IV, 321. VII, 19 et 73. VIII, 74 et 143. IX, 481 et 542. X, 311 et 636.

Cures, primaria vrbs Sabinorum. XIV, 778. et XV, 7.

Curetes, incolae Cretae antiqui. IV, 282.

Curetis terra, i. Creta. VIII, 153.

Cyane, Nympha, ex moerore ob raptam a Plutone Proſerpinam in fontem mutata. V, 409. 412 ſqq.

Cyanee, vxor Mileti, mater Cauni et Byblidis. IX, 451.

Cybeleius, adj. ad Cybelen pertineus. Cybeleius Attis, i. a Cybele amatus. X, 104. v. not. Cybeleia frena. ib. 704.

Cyclades, notiſſimae maris Aegaei inſulae. II, 264.

Cyclops, Polyphemus, immanis gigas, amat Galateam, XIII, 744 ſqq. eius, ab Vlyſſe excaecati, furor et ſaeuitia deſcribitur: XIV, 174 ſqq. cf. vſ. 249. Plur. Cyclopes, fabricatores fulminum. III, 305. arua Cyclopum. XIV, 2. ritus referre Cyclopum. XV, 93.

Cycneia Tempe. VII, 371.

Cycnus, rex Liguriae, cognatus Phaëthontis, cuius interitum

lugens in auem ſui nominis (in cycnum ſ. olorem) mutatur. II, 367 ſqq.

Cydoneae pharetrae, i. Cretenſes, a Cydonia, vrbe Cretae. VIII, 22.

Cygnus, Neptuni filius, telis inuulnerabilis, cum Achille congreſſus, cum telis et gladiis laedi non poſſet, aliorum armorum pondere opprimitur, ſed a Neptuno in cycnum auem mutatur. XII, 72 ſqq. v. etiam vſ. 150. 164 et 171.

Cylla, vrbs, Apollini ſacra, ab Achille, Vlyſſis auxilio, expugnata. XIII, 174.

Cyllarus, Centaurorum formoſiſſimus, in pugna aduerſus Lapithas vna cum aliis, ignotum, a quo, conficitur. XII, 393 ſqq.

Cyllene, mons Arcadiae. V, 607. et VII, 386. v. etiam *Cyllenum*.

Cylleneus vertex, mons modo dictus. XI, 304.

Cyllenis harpe, i. a Cyllenio ſ. Mercurio accepta. V, 176.

Cyllenius, epith. Mercurii, a monte Cyllene, vbi natus erat. I, 713. II. 720 et 818. V, 331. XIII, 146. et XIV. 291.

Cyllenum, i. q. Cyllene, mons Arcadiae. I, 217. ſed v. Varr. Lect.

Cymelus, in pugna Centaurorum cum Lapithis a Neſſo perimitur. XII, 454.

Cynthia, epith. Dianae, a Cyntho, monte Deli. II, 465. VII, 755. et XV, 537.

Cynthus, mons Deli modo dictus. II, 221. et VI, 204.

Cyparissus, iuuenis ex inſula Cea, prae moerore ob ceruum, quem in deliciis habebat, improviſo a ſe ſagitta occiſum, in arborem ſui nominis (in cupreſſum) mutatur. X, 121 ſqq.

Cyprius, ad Cyprum pertinens. Cyprio cum fratre. III, 220. telluris Cypriae pars optima. X, 645.

Cyprus, inſula celeberrima maris mediterranei, Aſiae proxima. X, 270 et 718. XIV, 696.

Cytherea, appellatio Veneris. X, 717. XIV, 487. XV, 803 et 816.

Cythereia, pariter cognomen Veneris. IV, 190. X, 529 et 640.

Cythereiades columbae, i. Veneri ſacratae. XV, 386.

Cythereis, i. Venus. IV, 288.

Cythereius heros, i. Aeneas, Cythereae ſ. Veneris filius. XIII, 625. et XIV, 584.

Cythnus ſ. *Cythnos*, inſula maris Aegaei, vna Cycladum. V, 252. et VII, 464.

Cytoriacus pecten. IV, 311. v. not. Cytoriaco de monte. VI, 132.

D.

Daedalion, filius Luciferi, frater Ceycis, regis Trachiniorum, in accipitrem conuerſus. XI, 295 ſqq.

Daedalus, artifex celeberrimus, Labyrinthum in Creta exſtruit. VIII, 159 ſqq. alis cereis, ſuo corpori aptatis, e Creta euolat, et in Siciliam ſe confert. ib. 183 ſqq. ſororis filium, Perdicem, interimit. ib. 240 ſqq. v. etiam IX, 741.

Damaſichthon, ſextus Niobes filius, ab Apolline duobus telis conficitur. VI, 254.

Danaë, filia Acriſii, mater Perſei, quem e Ioue conceperat. IV, 610. VI, 113. et XI, 117.

Danaeius heros, i. Perſeus, filius Danaës. V, 1.

Danai, i. q. Graeci. XII, 13 et 69. XIII, 134. 181. 238 et 327. XIV, 472.

Danaus, adj. i. q. Graecus. prodere rem Danaam. XIII, 59. in Danaas claſſes. ib. 92. Danaas pa-

verunt Pergama flammas. XIV, 467.

Daphne, ab Apolline amata; sed amorem eius refugiens, in laurum mutatur. I, 452 sqq.

Daphnis, Mercurii filius, in saxum mutatur. IV, 277. v. not.

Dardanides matres, i. Troianae. XIII, 412.

Dardanius, adj. ad Dardaniam s. Troiam pertinens. Dardanius vates, i. Helenus. XIII, 335. Dardanius Iulus. XV, 767. Dardania Roma, i. a Dardanis s. Troianis originem ducens. XV, 431.

Daulia rura, i. rura circa Daulidem, vrbem Phocidis. V, 276.

Daunus, rex Apuliae, Diomedi filiam in matrimonium collocat. XIV, 458 et 510.

Deianira, filia Oenei, vxor Herculis. IX, 9 et 137.

Deionides, i. Miletus, filius Apollinis. IX, 442. v. not.

Deiphobus, Troianus. XII, 547.

Delia, cognomen Dianae, ab insula Delo, vbi nata erat. V, 639.

Delius, epith. Apollinis, pariter ab insula Delo, loco natali suo. I, 454. V, 329. VI, 250. XI, 174. XII, 598. et XIII, 650.

Delos s. *Delus*, insula maris Aegaei. III, 597. in qua Latona Apollinem et Dianam peperit. VI, 191 et 333. Eius insulae quoque fit mentio: VIII, 221. IX, 332. et XV, 541.

Delphi, vrbs Phocidis, oraculis, ibi ab Apolline editis, notissima. IX, 332. X, 168. XI, 304. XV, 144 et 631.

Delphicus, adj. ad Delphos pertinens. Delphicus, i. Apollo. II, 543 et 677. Delphica tellus. I, 515. Delphica templa. XI, 414.

Delus, v. *Delos*.

Demoleon, Centaurus, Theseum pinu opprimere irrito successu conatur. XII, 356. a Peleo conficitur. ib. 368 sqq.

Deoia (i. Cereri sacra; a Gr. Δηώ, *Ceres*) quercus. VIII, 758.

Deois, i. Proserpina, filia Cereris, a Ioue sub forma serpentis vitiata. VI, 114.

Dercetis, Dea Syrorum s. Assyriorum. IV, 45.

Deucalion, filius Promethei, in diluuio seruatus, humanum genus e lapidibus post terga reiectis restituit. I, 318 sqq.

Deucalioneae vndae. VII, 356.

Dia, insula maris Aegaei, quae etiam *Naxos* vocatur. III, 690. et VIII, 174.

Diana, filia Latonae, soror Apollinis, perpetuam virginitatem colens. I, 487 et 695. II, 425. III, 156. 180. 185 et 252. IV, 304. V, 375. VI, 415. VII, 746. VIII, 272. 353. 395 et 578. XI, 321. XII, 35. XIII, 185. et XIV, 331. sacra Oresteae Dianae. XV, 489. pro Luna ponitur. ib. 196.

Dictaeus, adj. ad Dicten, montem Cretae, s. ad Cretam ipsam pertinens. Dictaeus rex, i. Minos, rex Cretae. VIII, 43. patre Dictaeo nati. III, 223. Dictaeo nata Teleste. IX, 716. Dictaea rura, i. Cretensia. III, 2.

Dictynna, appellatio Dianae. II, 441. et V, 619.

Dictys, nauta, in delphinem mutatur. III, 615.

Dictys, Centaurus, in pugna cum Lapithis Pirithoum fugiens, a praecipitio montis delapsus perit. XII, 334. 337 sqq.

Didymae, insula maris Aegaei. VII, 469.

Dindyma, mons Phrygiae. II, 223.

Diomedes, filius Tydei, vnus e ducibus Graecorum in bello Troiano, Dolonem, Troum exploratorem, capit et obtruncat. XIII, 100. 102. v. etiam vs. 242. Troia capta, in Apuliam venit, ibique vrbem condit, vbi Turno auxilium, quod aduersus Aeneam petebat, denegat. XIV, 457 sqq.

Diomedeus, ad Diomedem pertinens. Diomedeos Aeneas fugerat enses. XV, 806.

Dirce, fons Boeotiae. II, 239.

Dis, alias *Pluto* dictus, Deus inferni. IV, 438 et 510. amore in Proserpinam incenditur, eamque rapit. V, 384 sqq. v. etiam XV, 535.

Dodonaeus, adj. ad Dodonam pertinens. quercus de semine Dodonaeo. VII, 623.

Dodonis terra, regio Epiri. XIII, 716. v. not.

Dolon, explorator Troianorum, in castra Graecorum missus, vbi a Diomede et Vlysse captus interficitur. XIII, 98. cf. vs. 244.

Dolopes, populus Graeciae. XII, 364.

Dorceus, canis Actaeonis, III, 210.

Doris, coniux Nerei, Dea marina. II, 11 et 269. XIII, 742.

Dorylas, in nuptiis Persei cruentis perit. V, 129 sq.

Dorylas, Centaurus, in pugna cum Lapithis a Nestore iacule per manum et frontem figitur, et tum a Peleo ense sub aluum confossus cadit. XII, 380 sqq.

Dromas, canis Actaeonis. III, 217.

Dryades, Nymphae siluarum. III, 507. VI, 453. VIII, 746 et 777. XI, 49. et XIV, 326.

Dryas, venationi Calydoniae interfuit. VIII, 307.

Dryas, Lapitha, in pugna cum Centauris Rhoetum fuse obusta vulnerat et ad fugam compellit. XII, 290. 296 sqq. plures interficit. ib. 311. Forte idem est, qui praecedens.

Dryope, soror Iolae, vxor Andraemonis, in arborem loton convertitur. IX, 331 sqq.

Dulichius, adj. ad insulam Dulichium, vti etiam ad Vlyssem, cui haec insula, prope Ithacam sita, parebat, pertinens. Dulichius dux, i. Vlysses. XIV, 226. Dulichius vertex, i. vertex Vlyssis. XIII, 107. Dulichii portus. ib. 711. Dulichiae manus, i. manus Vlyssis. ib 425.

Dymantis, idis, i. Hecuba, filia Dymantis. XIII, 620.

Dymas, antis, pater Hecubae, vxoris Priami. XI, 761.

E

Echidna, monstrum infernale. IV, 500. Echidna Lernaea. IX, 69 et 158. Plur. Echidnae. X, 313.

Echidnea canis, i. Cerberus. VII, 408.

Echinades, insulae ad Graeciam, haud procul ab ostio Acheloi, sitae. VIII, 588.

Echion, vnus e Spartis, i. iis, qui e dentibus vipereis, a Cadmo satis, orti esse dicebantur, pater Penthei. III, 126. Echione natus, i. Pentheus. ib. 526. v. etiam X, 686. ibique not.

Echion, alius eius nominis, socius venationis Calydoniae. VIII, 311.

Echionides, i. Pentheus, Echionis filius. III, 513 et 701.

Echionius, ad Echionem, alterum huius nominis, pertinens. cuspis Echionio contorta lacerto. VIII, 345.

Echo, Nympha, amat Narcissum, sed ab eo spreta, prae luctu ita contabuit, vt nil nisi sonus in ea remaneret. III, 358 sqq.

Edonides matres, i. mulieres Thracicae, Bacchae. XI, 69.

Eetioneae Thebae. XII, 110. v. not.

Egeria, Nympha, Numae vxor, moerore et luctu ob mortem coniugis sui consumta in fontem mutatur. XV, 487 sqq. 547 sqq.

Elateius Caeneus. XII, 497.

Elateia proles, Caenis. ib. 189. v. not.
Eleae vndae, i. in Elide orientes. V, 487.
Eleleus parens, appellatio Bacchi. IV, 15
Eleum fiumen, i. Alpheus. V, 576.
Eleusin, vrbs Graeciae. VII, 479.
Elis, regio et vrbs Peloponnesi. V. 494 et 608. VIII, 308. IX, 187. ab Hercule diruitur. XII, 550. ludis Olympicis inclaruit. XIV, 325.
Elpenor, vnus e sociis Vlyssis, ad Circen missis. XIV, 252.
Elyces, in nuptiis Persei ab ipso interimitur. V, 87.
Elysiae domus, i. sedes piorum in inferis. XIV, 111.
Emathides, i. filiae Pieri, Musarum aemulae. V, 669.
Emathion, in nuptiis Persei cruentis a Chromi perimitur. V, 100.
Emathius Halesus. XII, 462. v. *Halesus*. Emathii campi, i. Macedonici. V 313.
Enaesimus, filius Hippocoontis, venationi interest Calydoniae, sed ab apro ictus perit. VIII, 362.
Enipeus, flumen Thessaliae. I, 579. VI, 116. et VII, 229.
Ennomos, ab Vlysse victus et trucidatus. XIII, 260.
Eous, vnus ex quatuor equis solaribus. II, 153.
Epaphus, filius Iouis, quem ex Ione procreauit. I, 748 et 756.
Ephyre, appellatio antiqua vrbis Corinthi. II, 240. VII, 391.
Epidaurius, adj. ad Epidaurum pertinens. Epidaurius, scil. Deus, i. Aesculapius. XV, 723. Epidauria Semeles nutrix. III, 278. Epidauria tellus. VII, 436. Epidauria litora. XV, 643.
Epimethis, i. Pyrrha, Epimethei filia. I, 390.
Epiros, prouincia Graeciae, ad mare Ionium. VIII, 283. et XIII, 720.
Epitos, rex Albanus in Latio. XIV, 613.
Epopeus, nauta, in delphinem conuertitur. III, 619.
Erasinus, fluuius regionis Argolicae, per aliquod spatium terra absconditur, tum rursus emergit. XV, 276.
Erebus, locus infernalis. V, 543. X, 76. et XIV, 404.
Erechtheae arces, i. Athenae (ab Erechtheo rege, qui sequitur). VIII, 547.
Erechtheus, rex Athenarum. VI, 677 et 701. et VII, 697.
Erechthidae, propr. posteri Erechthei, tum vniuerse Athenienses. VII, 430.
Erechthis, i. Procris, Erechthei filia. VII, 726.
Erichthonius, filius Vulcani. II, 553. et IX, 423.
Eridanus, fluuius, in quem Phaethon a Ioue fulminis ope praecipitatus est. II, 324. (vbi v. not.) et 372.
Erigone, Icari filia, a Baccho vitiata. VI, 125. et inter sidera relata. X, 451.
Erinnys, i. q. Furia. IV, 489. et XI, 14.
Erisichthon, Thessalus, arborem, Cereri sacram, caedit, quapropter enormi et insatiabili fame ab ea punitur. VIII, 738 sqq.
Erithos, a Perseo cratere percussus interimitur. V, 79 sqq.
Erycina, appellatio Veneris, ab Eryce, monte Siciliae, in quo colebatur. V, 363.
Erygdupus, in pugna Centaurorum cum Lapithis a Macareo veste in pectus adacto trucidatur. XII, 453.
Erymanthides siluae, i. Arcadicae (v. artic. sq.). II, 499.
Erymanthus, fluuius et mons Arcadiae. II, 244. et V, 608.

Eryx, a Perseo, capitis ope Medusaei, in saxum conuertitur. V, 196 sqq.
Eryx, mons Siciliae. II, 221.
Eryx, vrbs Italiae inferioris, ab Eryce, Veneris filio, condita. XIV, 83.
Ethemon, Nabataeus, in nuptiis Persei cruentis perit. V, 163 sqq.
Etrusca gens, natio Italiae mediae. XV, 558.
Euagros, Lapitha, in pugna cum Centauris a Rhoeto necatur. XII, 290 sqq.
Euan, cognomen Bacchi. IV, 15.
Euander, Aeneae aduersus Turnum auxilia suppeditat XIV, 456.
Euboea, insula maris Ionii, hodie *Negroponte* dicta. XIII, 660.
Euboicus, adj. ad Euboeam pertinens. Euboicus tumidarum cultor aquarum, i. Glaucus. XIV, 4. Euboica Anthedon. VII, 232. et XIII, 905. Euboica Aulis. XIII, 182. Euboica vrbs, i. Cumae. XIV, 155. Euboicae vndae, i. mare Euboicum. IX, 218. et fici in Euboico, scil. mari. ib. 226.
Eueninae matres. VIII, 527. v. not.
Euenus, fluuius Aetoliae. IX, 104.
Euippe, mater Pieridum, quae Musarum erant aemulae. V, 303.
Eumelus. VII, 390. v. not.
Eumenides, appellatio Furiarum. VI, 430 sq. VIII, 482. IX, 410. et X, 46.
Eumolpus. XI, 93. v. not.
Eupalamos, socius venationis Calydoniae, ab apro prosternitur. VIII, 360.
Euphorbus, Panthoi filius, Troianus, a Menelao hasta transfixus obit; cuius animam in suum corpus immigrasse Pythagoras iactabat. XV, 161.
Euphrates, fluuius Orientis celeberrimus. II, 248.
Europa, filia Agenoris. VIII, 20. v. etiam *Europe*.
Europaeus dux, i. Minos, filius Europae. VIII, 23.
Europe, Agenoris filia, a Ioue sub forma tauri rapta, et in Cretam transportata. VI, 104. v. etiam in *Agenor*.
Europe, s. *Europa*, vna e quatuor partibus terrae. V, 648.
Eurotas, fluuius terrae Laconicae. II, 247. et X. 169.
Eurydice, vxor Orphei, quam vita defunctam ab inferis reducere frustra conatur. X, 31 sqq. sed mortuus ipse in aruis piorum rursus inuenit. XI, 63 sqq.
Eurylochus, vnus e sociis Vlyssis, ad Circen missis. XIV, 252. qui, praeter Vlyssem, solus mutationem in suem, quae sociis acciderat, feliciter effugit. ib. 286 sq.
Eurymides Telemus, vates. XIII, 771. v. etiam *Telemus*.
Eurynome, Oceani et Tethyos filia, vxor Orchami, regis Persarum, mater Leucothees, a Sole amatae. IV, 210 et 219.
Eurynomus, Centaurus, in pugna cum Lapithis a Dryante occiditur. XII, 310.
Eurypylus, filius Herculis. VII, 363.
Eurypylus, vnus e ducibus Graecorum in bello Troiano. XIII, 357.
Eurystheus, filius Stheneli, rex Argiuorum, qui Herculem durissimis laboribus imponendis vexavit. IX, 203. et vel in posteros eius odium continuat. ib. 274.
Eurytion, venationi Calydoniae interest. VIII, 311.
Eurytis, i. Iole, filia Euryti. IX, 395.
Eurytus, pater Ioles et Dryopes, in lotos mutatae. IX, 356.
Eurytus, Centaurus, auctor turbarum et pugnae in nuptiis Pirithoi. XII, 220. 224 et 228. a

Theſeo cratere percuſſus perit. ib. 237 ſqq. Ab aliis vocatur *Eurytion*.

Exadius, Lapitha, Centaurum Gryneum cornibus cerui oculis ſpoliat. XII, 266.

F

Fama, vt perſona, cuius habitatio et indoles deſcribitur: XII, 43 ſqq. cf. XIV, 726. XV, 4 et 853.

Fames, vt perſona, e Scythia, vbi habitabat, a Cerere ad Erichthonem arceſſitur. VIII, 785 ſqq.

Farfarus, fluuius Italiae mediae, in Tiberim influit. XIV, 330.

Faunigena Latinus, i. Fauni filius. XIV, 449.

Faunus, Deus ſiluarum. VI, 329. et XIII, 750. Plur. Fauni, numina ſilueſtria. I, 193. et VI, 392.

G

Galanthis, miniſtra Alcmenae, Lucinam deridet, et ab ea in muſtelam mutatur. IX, 306 ſqq.

Galatea, filia Nerei, Nympha marina, Polyphemi amorem reiicit. XIII, 738. 789. 798. 839. 863. 869. 880 et 898.

Ganges, magnus Indiae orientalis fluuius. II, 249. IV, 21. et V, 47.

Gangetica tigris. VI, 636.

Ganymedes, filius Trois, ob inſignem pulchritudinem a Ioue ſub aquilae forma raptus. X, 155 ſqq. et XI, 756.

Gargaphie, vallis prope Plataeas. III, 156.

Gigantes, homines enormis magnitudinis et ferociae, qui Diis bellum intuliſſe dicuntur, ſed a Ioue fulmine proſtrati. I, 152. V, 319. et X, 150.

Glaucus, ex homine in Deum marinum mutatus. VII, 233. Scyllam amat, ſed infelici cum ſucceſſu. XIII, 906 ſqq. XIV, 9. 38 et 68.

Gnidos, vrbs Doridis. X, 531.

Gnoſiacus, ad Gnoſon, vrbem Cretae, et omnino ad Cretam pertinens. Gnoſiacus rex, i. Minos, rex Cretae. VIII, 52. Gnoſiaca carina. ib. 144. Gnoſiacae rates, i. naues Cretenſium. VII, 471. Gnoſiacum regnum. IX, 668.

Gnoſius, i. q. praecedens. Gnoſius Ichnobates. III, 208. Gnoſia caſtra, i. Cretenſia, regis Minois. VIII, 40.

Gorge, filia Oenei, regis Aetoliae. VIII, 542.

Gorgo anguicoma, i. Meduſa, vna Gorgonum. IV, 698. v. *Meduſa*. cf. 180. 202 et 209.

Gorgoneus, adj. ad Gorgones pertinens. Gorgoneus crinis. IV, 800. cf. V, 196. Gorgoneae domus, habitationes Gorgonum. IV, 778.

Gortyniacus arcus, i. Cretenſis, a Gortyne, vrbe Cretae. VII, 778.

Gradiuus, cognomen Martis. VI, 427. XIV, 820. et XV, 863.

Graecia. XIII, 199. et XIV, 474.

Graius, ſubſt. XIV, 163 et 220. Plur. Graii. XIII, 241. 281. 402 et 414.

Graius, adj. ad Graeciam vel Graecos pertinens. Graios patres adiere. XV, 645. vinceris a timido Graiae raptore maritae. XII, 609. Graiâ Elide. XIV, 325. per Graias gentes. IV, 16. aurum Graias miſiſtis in vrbes. VII, 214. fecerat notum, Graias aduentare rates. XII, 64. Graium nomen. IV, 537. Graia moenia. XV, 9.

Granicus, fluuius Phrygiae. XI, 763.

Gratia, vna trium Gratiarum, quae erant Deae hilaritatis et amoenitatis, et nuptiis etiam aderant. VI, 429.

Gryneus, Centaurus, pugnae cum Lapithis intereſt, duosque ex iis conficit. XII, 260. ſed ab Exadio cornibus cerui petitus oculorum iacturam patitur. ib. 268.

Gyarus, inſula maris Aegaei. V, 252. et VII, 470.

H

